CASAJOANA

DISQUISITIONES

SCHOLASTICO-

DOGMATICAE

2

B839
C3
v.2

002353

EX LIBRIS

HEMETHERII VALVERDE TELLEZ

Episcopi Leonensis

1080014409

DISQUISITIONES

SCHOLASTICO-DOGMATICAE.

VOL. II.

UANL
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
®

DISQUISITIONES
SCHOLASTICO-DOGMATICAE

QUAS LEGEBAT

VALENTINUS CASAJOANA, S. J.

PLURIBUS IN ACADEMIIS HISPANIS
ET EXTERIS ET NUPER UNIVERSITATE PONTIF. GREGORIANA

COLLEGII ROMANI
Theologiae Dogmaticae Lector.

VOL. II.

DE DEO O. M.

DISQUISITIONES QUATUOR

**IV. DE DEO UNO. — V. DE DEO TRINO IN PERSONIS. —
VI. DE DEO CREATORE. — VII. DE DEO INCARNATO**

SUPERIORUM PERMISSU.

BARCINONE.
APUD VIDUAM ET FILIOS J. SUBIRANA, EDITORES.
IN VIA DICTA PUERTA FERRISA, 16.
1889.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS
Capilla Alfonsina
Biblioteca Universitaria
UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez
45004

B839
C3
v.2





FONDO ANTIGUO
VALVERDE Y TELLEZ

Typis Viduae et Filiorum J. Subirana.

APPROBATIO

Ego Joannes Florit, Societatis Jesu presbyber, ex commissione A. I. D. Francisci de Pol, Vicarii Generalis Dioeceseos Barcinonensis, legi librum, cui titulus, *Disquisitiones Scholastico-Dogmatice, quas legebat Valentinus Casajoana, S. J., pluribus in Academiis hispanis et exteris et nuper Universitate Pontificia Gregoriana Collegii Romani Theologiae Dogmaticae Lector. vol. II*, nihilque in eo quod catholicae fidei ac pietati absonum sit deprehendi; imo auctoris disquisitiones quator, quae de Deo Uno et Trino, necnon de Deo Creatore ac de Deo Incarnato agunt, ob claritatem, profunditatem, et sublimitatem commendantur, simulque ad horum praecipuorum christianae religionis dogmatum cognitionem valida exhibentur argumenta: quamobrem dignum existimo ut prelo excudatur.

In Collegio Maximo Dertusano Societatis Jesu, VI Calendas Januarias anno Dni. MDCCCLXXXIX.

Joannes Florit, S. J.

Barcinone 20 Januari 1889

Imprimatur

Vicarius Generalis, FRANCISCUS A POL.

DE MANDATO P. D.

Lic. *Emmanuel a Fernandez*, Serius. Carius. Subst.

008353

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

INDEX GENERALIS

juxta Disquisitionum ordinem (1).

DISQUISITIO IV.

De Deo Uno, seu de spectantibus ad Dei naturam.

CAPUT I.

DE DEI EXISTENTIA ET UNITATE.

	Pag.
Articulus I.—De Dei existentia.	1
Thesis I. Deum existere fide est certum et ratione demonstrabile.	1
Thesis II. Existit aliquod ens necessarium et aliqua prima causa.	3
Thesis III. Ex hoc mundo aspectabili summa aliqua causa potentissima et sapientissima dignoscitur.	4
Corollarium. Deum existere deducitur.	6
Thesis IV. Dei existentia non est nobis immediate nota. . .	6
» V. Dei existentia non est a priori demonstrabilis. .	7
Articulus II.—De unitate Dei.	8
Thesis VI. Fide et ratione certo patet Deum esse unum seu unicum.	8
Thesis VII. Ens necessarium est suum esse, ipsum esse, primum esse, actus purus per essentiam.	10

CAPUT II.

DE DEI ATTRIBUTIS ET ESSENTIA.

Articulus I.—De perfectionibus Dei positive significatis. .	13
Thesis VIII. Esse divinum est substantiale, spirituale et intellectivum; seu Deus est substantia, spiritus purus et intelligentia.	15

---

(1) Adest ad calcem voluminis index alphabeticus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pag.

Thesis IX. Deus est summe perfectus, seu continet omnes perfectiones, vel formaliter vel eminenter. 16
Thesis X. Deus est summe verus et bonus, seu ipsa veritas et bonitas. 17
Thesis XI. Deus est summe unus, seu simplicissimus. . . 18
» XII. Deus est omnipotens. 19
Corollaria. Omnipotentiae latitudo. 22
Thesis XIII. Deus est summe justus, sanctus et misericors. 22
Articulus II.—Dei perfectiones negative explicatae. . . . 25
Thesis XIV. Deus est immutabilis, aeternus et immensus. 25
» XV. Deus est incomprehensibilis omni creato intellectui, et ineffabilis. 29
Scholia. De comprehensionis natura. 31
Thesis XVI. Deus est naturaliter nobis invisibilis, imo omni creaturae. 37
Corollarium. Repugnat Dei corporea visio. 40
Thesis XVII. Intellectus creatus supernaturaliter adjutus potest intuitive Deum videre. 41
Scholia. De natura visionis Dei. 43
§ I. *De virtute proxima visionis Dei.* 43
§ II. *De auxilio extrinseco ad Deum videndum.* 46
§ III. *De visione Dei et intellectuali specie.* 49
§ IV. *De specie impressa visionis Dei.* 51
Thesis XVIII. Visio Dei est quidditativa et intuitiva, ejusdem speciei in omnibus beatis, licet inaequalis perfectionis. 54
Thesis XIX. Videntes divinam essentiam vident omnia Dei attributa, omnesque simul divinas Personas. 56
Thesis XX. Deum videntes non ideo divinae voluntatis libera consilia necessario vident: possunt tamen eadem, Deo id volente, videre. 57
Thesis XXI. Per eamdem visionem, qua Deum beati vident, possunt et creaturas aliquas in eo videre, juxta visionis perfectionem. 59
Thesis XXII. Res quoque creatas beati in Deo videre possunt, et de facto vident, secundum beatificae visionis perfectionem et mensuram. 62
Articulus III. De essentia Dei. 63
Thesis XXIII. Essentia Dei physica, formaliter loquendo, constituitur per attributa absoluta tantum; identice vero tum per absoluta, tum per relativa. 63
Thesis XXIV. Essentia Dei metaphysica est ens reale

Pag.

a se secundum totam plenitudinem essendi. 65
Thesis XXV. Essentia Dei ab attributis absolutis, et attributa ad invicem non distinguuntur realiter; aut formaliter ex natura rei, ut vult Scotus cum suis; sed ratione, cum fundamento in re. 67

CAPUT III.

DE SCIENTIA DEI

Articulus I.—Quam habet Deus Sui Ipsius scientiam. . . . 71
Thesis XXVI. Deus habet perfectissimam scientiam, et in primis Sui Ipsius. 71
Scholia. 72
§ I. *Status quaestionis.* 72
§ II. *De motivo formali scientiae divinae.* 73
§ III. *Quod sit motivum formale scientiae Dei.* 74
Thesis XXVII. Deus cognoscit se ipsum, in se ipso et in creaturis. 76
Corollarium. 77
Articulus II.—De scientia divina creaturarum possibilium. . 77
Thesis XXVIII. Deus cognoscit omnia possibilia tum in divina essentia, tum directe in se ipsis. 77
Scholion. De connexione Dei cum possibilibus. 80
Thesis XXIX. Deus cognoscit creaturas existentes, tum in se ipso, tum in se ipsis. 82
Corollaria. § I. *De singularium cognitione.* 86
§ II. *Ab aeterno novit Deus existentia.* 87
Articulus III.—De scientia divina futurorum contingentium. 88
Thesis XXX. Contingentia libera absolute futura ab aeterno et infallibiliter cognovit Deus. 88
Scholia. § I. *Notiones praeviae.* 89
§ II. *Quid de futuris contingentibus dignoscit Deus.* . . . 89
§ III. *De formali futuritione.* 90
§ IV. *Futuritio contingentium non est a decreto Dei.* . . . 91
§ V. *Praescientia contingentium est in Deo simultanea.* . . 93
§ VI. *De futurorum praesentia in aeternitate.* 94
Articulus IV.—De scientia divina actuum liberorum, sub conditione, futurorum. 97
Thesis XXXI. Deus certe cognoscit futura contingentia libera conditionata, sub conditione indifferenti et conducibili. 97

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pag.

Thesis XXXII. Deus non cognoscit in decreto, subjective absoluto et objective conditionato, futura contingentia conditionata nobis libera.. 99
Thesis XXXIII. Deus cognoscit in se ipsis, seu in sua praesentialitate (ut loquitur S. Thomas) futura libera conditionata. 104
Scholion. Divinae scientiae signa. 106
Thesis XXXIV. Scientia objective conditionata, qua Deus cognoscit futura conditionata nobis libera, recte appellatur *media*. 107
Scholia. § I. *Scientia media reflexa*. 109
§ II. *Exemplum scientiae mediae reflexae*. 110
§ III. *Proponitur difficultas*. . . . . »
§ IV. *Conditionata libera disparata*. 112

CAPUT IV.

DE DIVINA VOLUNTATE.

Articulus I.—Quod in Deo est voluntas. 113
Thesis XXXV. In Deo datur voluntas ad modum actus purissimi. 113
Scholia. De appetitu innato. 115
Articulus II.—Divinae voluntatis objectum. 116
Thesis XXXVI. Deus necessario se ipsum amat propter suam infinitam bonitatem. 116
Thesis XXXVII. Divina voluntas terminatur ad creaturas, existentes quidem amore efficaci, hypothetice necessario; mala autem odit, in possibilibus vero complacere potest. 118
Articulus III.—De divinae voluntatis libertate. 120
Thesis XXXVIII. Dei voluntas libere fertur, libertate indifferentiae, in creaturas seu in opera ad extra non mala. . 120
Scholia. De liberis Dei decretis. 122
§ I. *Duo certa praesupponenda*.. 122
§ II. *Tria omnino rejicienda*. 122
§ III. *Connotantium sententia*. 123
Dico I. *Non constituitur decretum Dei liberum per connotatum extrinsecum*.. 124
§ IV. *Alia expenditur opinio*. 125
Dico II. *Decreta Dei libera non constituuntur per aliquid realiter et virtualiter Deo identificatum*. 125
§ V. *Verior sententia*.. 125

Pag.

Dico III. *Actus liber Dei, ultra amorem necessarium, addit realem respectum virtualiter distinctum*. 125
§ VI. *Divinae voluntatis partitiones*. 127
Dico IV. *Deus amat justos propter eorum bonitatem tamquam motivum*. 128

DISQUISITIO V.

De Deo Trino in Personis

CAPUT I.

DE PLURALITATE ET ORDINE DIVINARUM PERSONARUM.

Articulus I.—Pluralitas divinarum Personarum. 131
Thesis I. In divinis sunt Pater, Verbum seu Filius, et Spiritus Sanctus; tres Personae realiter distinctae. 131
Articulus II.—Divinarum Personarum processio. 136
Thesis II. In divinis Personis sunt duae processiones reales, nec plures.. 136
Thesis III. Processiones divinae sunt per intellectionem et volitionem, non autem per naturam, ut ab utraque per rationem distinguitur. 138
Scholion. **Dico I.** Inter attributa, quae actum prae se ferunt intellectus vel voluntatis, est distinctio virtualis. . . . 141
Dico II. Oriuntur processiones ab intellectu et voluntate, quatenus sunt hae potentiae in actu secundo. 143
Articulus III.—Divinarum Personarum Relationes. . . . 145
Thesis IV. In Deo sunt propriae relationes. 145
Thesis V. Relationes quae Deo insunt reales sunt, etiam secundum ultimam formalem rationem. 147
Thesis VI. Spiratio activa, seu relatio principii producentis Spiritum Sanctum, est realis. 149
Thesis VII. Spiratio activa non est relatio realiter distinta a Paternitate et Filiatione. 151

CAPUT II.

DE DIVINITATE ET UNITATE DIVINARUM PERSONARUM.

Articulus I.—Divinitas trium Personarum. 153
Thesis VIII. Pater, prima Trinitatis Persona, est verus Deus. 153

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pág.

Thesis IX. Filius seu Verbum, secunda Trinitatis Persona, est verus Deus. 154
Scholion. § I. *De Filio Sapientia*. 158
§ II. *De Filio Primogenito*. 159
§ III. *Baronii opinio rejicitur*. 160
Thesis X. Spiritus Sanctus, tertia Persona, est verus Deus. 162
Articulus II. Unitas Essentiae Personarum divinarum. . . 164
Thesis XI. Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt consubstantiales. 164
Scholion. De v. 7. c. V. Ep. I. S. Joannis. 168
Thesis XII. Consubstantialitas divinarum Personarum est unius, realis et individuae substantiae. 169
Articulus III.—Personarum divinarum unitatis et distinctionis mysterium. 174
§ I. *Distinctio realis rejicitur*. 174
§ II. *Durandi opinio*. 175
§ III. *Distinctio Scotistica*. 176
§ IV. *Distinctio Rationis*. 177
§ V. *Distinctio virtualis*. 178
§ VI. *Duplex argumentum pro distinctione virtuali*. . . . 180
Articulus IV.—Utrum insit Personis unitas in subsistendo. . 181
Thesis XIII. Essentia divina, vi suae existentiae absolutae et essentialis, non solum existit, sed etiam existit per se. . 181
Thesis XIV. Existentia absoluta et essentialis Dei, quatenus ex plenitudine perfectionis ejus essentia per se existit, dici potest subsistentia. 184

CAPUT III.

DE IIS QUAE SUNT DIVINIS PERSONIS COMMUNIA.

Articulus I.—De Personarum divinarum constitutione. . . 187
Thesis XV. In Deo sunt verae proprietates constitutivae Personarum. 187
Articulus II.—De natura Proprietatum, Originum et Notionum. 189
Thesis XVI. Non constituuntur et distinguuntur divinae Personae proprietatibus absolutis, sed relativis tantum. . 189
Thesis XVII. Proprietates constitutivae Personarum non sunt Origines, sed Relationes secundum propriam rationem relationis. 190
Thesis XVIII. Proprietates in divinis sunt tres, Origines quatuor, Notiones autem quinque. 193

Pág.

Articulus III.—De virtute et perfectione Proprietatum. . . 195
Thesis XIX. In sola proprietate personali non intelligitur virtus seu principium *quo* actum notionaliuum, id est generandi et spirandi. 195
Thesis XX. Potentia, seu principium formale producendi est sola Essentia; postulat autem in Persona producente relationem propriam. 196
Thesis XXI. Relationes, ut virtualiter distinctae ab Essentia et secundum conceptum *ad*, dicunt perfectionem. . . . 197
Scholia. 199

CAPUT IV.

DE SINGULIS PERSONIS PARTICULARITER.

Articulus I.—De Patre. 201
Thesis XXII. Patris proprium est esse Patrem; esse Ingenitum, seu carere Origine; esse principium Divinitatis. . . 201
Scholia § I. *Paternitatis fundamentum*. 202
§ II. *De attributo Ingenitus*. 203
§ III. *De aliis Patris attributis*. 203
Articulus II. De Filio. 204
Thesis XXIII. Secunda Persona Trinitatis seu Verbum est vere ac proprie Patris Filius, et vere ac proprie ejus Verbum. 204
Scholia. § I. *Quae Verbi, quae Filii ratio*. 207
§ II. *E divinorum cognitione procedit Verbum*. 207
§ III. *E possibilium cognitione procedit Verbum*. 208
§ IV. *E contingentium cognitione utrum procedat Verbum?*. . 209
§ V. *Quae Filio per appropriationem conveniunt*. 210
Articulus III.—De Spiritu Sancto. 210
Thesis XXIV. Spiritus Sanctus non est Filius seu Genitus, sed a Patre Filioque procedens. 210
Scholia. § I. *Generationis divinae occulta ratio*. 214
§ II. *Plures et diversae sententiae*. 214
§ III. *Ex conceptu generationis desumitur ratio*. 215
Articulus IV.—De respectu Spiritus Sancti ad Patrem et Filium. 216
Thesis XXV. Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedit, ut ab unico principio. 216
Scholion. 217
Thesis XXVI. Spiritus Sanctus est Amor et Donum. . . . 219

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pag.

Scholion. 220
Thesis XXVII. Mittere Patri et Filio convenit, mitti autem tum Filio, tum Spiritui Sancto.. 221
Articulus V.—De Circuminsessione.. 221
Thesis XXVIII. In qualibet Persona insunt aliae Personae, ita ut, earum tota fulgeat perfectione; quod Circuminsessio dicitur. 221

DISQUISITIO VI.

De Deo Creatore seu secundum emanationem ad extra

CAPUT I.

DE DEO UT CAUSA EXISTENDI.

Articulus I.—De Deo, ut est causa efficiens essendi. . . . 223
Thesis I. Deus est omnium rerum causa efficiens essendi seu existendi. 223
Scholion. 226
Thesis II. Rerum, quae per actionem effectae sunt creativam, solus Deus causa existit. 229
Scholion. De potentia creativa. 232
Thesis III. Res non sunt ab aeterno creatae: multo minus earum ordo potuit aeternus existere. 236
Articulus II.—De Deo ut causa exemplari et finali.. . . . 240
Thesis IV. Deus est omnium entium, quae condidit, causa exemplaris. 240
Thesis V. Deus est omnium entium causa finalis. 242
Articulus III.—De rerum distinctione, praesertim de bono et malo.. 248
Thesis VI. Deus est rerum omnium, etiam quatenus sunt inter se distinctae, causa.. 248
Theses VII. a) Mali, sive physici, sive moralis, non est Deus causa effectiva, sed permissiva; b) neque est causa directa seu intentiva mali moralis; c) sed potest physica mala intendere; et mala poenae, solum consequenter seu hypothetice. 251

CAPUT II.

DE DEO CUM CREATURIS OPERANTE.

Pag.

Articulus I.—De concursu Dei in actu secundo. 260
Thesis VIII. Effectuum causarum secundarum est etiam Deus principium efficiens; non tantum quatenus eis virtutem agendi indidit, sed etiam quia immediate ad omnem cujusque causae actionem concurrit. 260
Scholion. De actione Dei concurrentis.. 264
Articulus II.—De concursu Dei in actu primo. 265
Thesis IX. Deus omnipotentiam suam ad concurrendum nostris actibus liberis applicat per decretum indifferens, non vero per decretum cum illis connexum. 265
Responsio ad obj. Auctoris recentis. 267
§ I. *Praemotio et praedeterminatio*. 267
§ II. *De mente S. Thomae*. 268
§ III. *Concursus simultanei parentes*.. 268
§ IV. *Molinae et Suarezii sententiae*. 269

CAPUT III.

DE DEO PROVIDENTE ET CREATURAS MOVENTE.

Articulus I.—De Providentia generatim. 271
Thesis X. Omnes creaturae, rerumque eventus divinae subduntur Providentiae. 271
Thesis XI. Creaturae omnes divina virtute in esse conservantur. 273
Thesis XII. Deus in omni operante etiam operatur; movet quoque intellectum et voluntatem.. 277
Thesis XIII. Praevia motio causarum secundarum per Causam Primam, ad mentem S. Thomae, defenditur et explicatur.. 280
Articulus II.—De Providentia supernaturali. 282
Thesis XIV. Deus habet Providentiam supernaturalem erga omnes homines, seu voluntatem antecedentem veram ac sinceram salvandi omnes homines. 282
Thesis XV. Ab aeterno Deus aliquos elegit, voluntate efficaci, ad vitam aeternam et ad media certa illam assequendi, seu aliquos praedestinavit. 284
Thesis XVI. Praedestinatio est in se ipsa immutabilis ac certa, non tamen *quoad nos*.. 287

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pag.

Scholia. De Praedestinatione. 289
§ I. *Axiomata.* 289
§ II. *Systemata de Praedestinatione.* 289
§ III. *De horum systematum probabilitate.* 290
§ IV. *Quid sententiae* Molinae *obstet.* 281
§ V. *Quid* Bellarmino *opponitur.* 292
§ VI. *Quae objiciuntur opinioni tertiae.* 293
§ VII. *Ex dictis quid magis probandum.* 294
Thesis XVII. Deus neminem positive destinavit ad poenas aeternas, aut reprobavit a beatitudine ante praevisa peccata. 296
Thesis XVIII. Nullum Deus, propter solum praevisum peccatum originale et in eodem signo praevisionis, excludit absolute a vita aeterna. 296
Thesis XIX. Neminem Deus positive reprobat a gratiis efficacibus. 297
Thesis XX. Reprobatio negativa omnino absoluta, id est, quae praescindat omnino a praesenti auxiliorum ordine et hominum cooperatione, non est admittenda. 297
Thesis XXI. Quidquid hominem minus Deo gratum reddit ut peccata, sive mortalia sive venialia, etc. potest esse causa reprobationis negativae a gratia efficaci. 299
Scholion. S. Thomae mens de praedestinatione. . . . 300

CAPUT IV.

DE IPSA DEI VIRTUTE AD EXTRA.

Articulus I.—De Dei virtute in actu primo. 302
Thesis XXII. Licet scientia Dei sit dirigens causa rerum, non tamen necessario illa quae dicitur visionis. 302
Thesis XXIII. Virtus Dei productiva ad extra nec est formaliter divinus intellectus nec divina voluntas; sed attributum aliud, ratione distinctum, quod potentia dicitur. . . 308
Articulus II.—De virtute Dei in actu secundo. 311
Dico: Actio transiens non recipitur in agente. 311

DISQUISITIO VII.

De Deo Incarnato, seu juxta Unionem Hypostaticam.

Prooemium. 313

CAPUT I.

DE CHRISTO QUA MESSIAS EST.

Pag.

Articulus I.—De Messiae promissione. 314
Thesis I. Messias multimodis fuit Judaeis promissus. . . . 315
Scholion. De Judaeorum fide in Messiae adventum. . . . 317
Articulus II.—De Messiae promissi muneribus. 318
Thesis II. Foedus seu Testamentum Novum, a veteri Judaico Foedere diversum, inter Deum et homines a Messia erat constituendum. 318
Thesis III. Ad Foedus Novum Messias Gentes erat adducturus. 319
Thesis IV. Messias a Judaeis negandus, ipsique vicissum a Messia, magna ex parte, reprobandi. 320
Thesis V. Ab expectato Messia Judaei conversi iterum misericorditer suscipiendi. 321
Thesis VI. Messias promissus reconciliaturus erat homines cum Deo, peccata deleturus, et viam edocturus justitiae et sanctitatis. 325
Thesis VII. Messias futurus erat propheta. 326
Scholion. 329
Articulus III.—De aliis Messiae characteribus. 329
Thesis VIII. Messias ex Abraham, Isaac, Jacob, Juda et David erat nasciturus. 329
Thesis IX. Messias multa magnaque signa facturus erat. . 331
Thesis X. Messias sanctitate et justitia praefulgens extiturus. 332
Thesis XI. Quoad tempus adventus Messiae, necessum erat jam illum advenisse, cum tribus a Juda oriunda et principes ab ejusdem femore nascituri deficerent. 332
Scholia. § I. *De benedictione.* 335
§ II. *De Sceptro.* 336
§ III. *De Ducibus.* 336
§ IV. *De Messia.* 337
Thesis XII. Messias venturus erat intra LXX hebdomades Danieli ab Angelo designatas, quae definitis characteribus ab eodem describuntur. 340
Scholia. I. *Septuaginta hebdomades illae vel dierum vel annorum intelligendae erant.* 341
II. *Ab edicto Cyri aedificari coepit Jerusalem, ideoque inde sunt LXX hebdomadae computandae.* 342

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pag.

Articulus II. - De Christo, ut termino generationis et relationis divinae. 399
Thesis XXXIX. Christus proprie et speciali modo est Filius Dei. 399
Thesis XL. Christus D. est Filius Dei naturalis. 400
Thesis XLI. Christus, in quantum homo, non est Filius Dei adoptivus. 401
Thesis XLII. Christus, in quantum homo, est Filius Dei. . 403
Articulus III.—De Christo. ut termino actionis et relationis humanae. 404
Thesis XLIII. Beata V. Maria fuit Christi Mater. 404
Thesis XLIV. B. Virgo Maria vera est Mater Dei. 405
Thesis XLV. B. Maria, Christi Mater, et ante partum et in partu Virgo permansit. 408
Scholion. De Christi Genealogia. 412
Thesis XLVI. Etiam post partum B. Maria constanter virgo permansit. 415
Articulus IV.—De Christo, ut termino efficientiae finalis, seu de Incarnationis fine. 416
Thesis XLVII. Incarnatio Filii Dei, praeter supremum finem gloriae Dei, plures respexit fines. 416
Thesis XLVIII. Incarnatio Verbi non habuit solum rationem medii, sed etiam finis; seu voluit Deus Incarnationis mysterium propter ipsum Christum. 419

CAPUT IV.

DE CHRISTO QUATENUS PRINCIPIUM EST AGENDI VEL EFFICIENDI.

Articulus I. – De Christo ut agente particulari. 422
Thesis XLIX. Christus, habet duas voluntates et duas operationes, nempe, utriusque naturae divinae atque humanae. 422
Thesis L. Non secundum potentiam tantum, sed etiam secundum actum fuit voluntas tum sensibilis, tum rationalis in Christo. 425
Thesis LI. Christus D. non habuit fomitem, neque in actu secundo, neque in actu primo. 426
Thesis LII. Appetitus sensilis semper, de consensu voluntatis rationalis, motus est in Christo. 427
Thesis LIII. - In Christo D. fuit intellectus, tum secundum potentiam, tum secundum actum. 428
Thesis LIV. Christus habuit scientiam beatorum, seu visionem beatificam, ante mortem; imo, ab ipsa conceptione. . 429
Thesis LV. Christo fuit, ab ipsa conceptione, scientia plenissima, tum naturalis tum supernaturalis, infusa. . . . 430
Thesis LVI. Voluntas humana Christi donata fuit libero arbitrio. 433
Thesis LVII. Christus vere ac proprie fuit praecepti capax. . 435
Thesis LVIII.—In Christo nec peccatum fuit, nec esse ullatenus potuit, non tantum de potentia ordinaria, sed nec de potentia absoluta. 438
Thesis LIX. In Christo D. fuerunt, ab initio conceptionis, infusae omnes virtutes; sive quae dicuntur infusae *per se*, sive genere suo acquisitae seu infusae *per accidens*. . . . 440
Thesis LX. In Christo fuerunt omnia Dona Spiritus S. etiam Donum Timoris. 443
Thesis LXI. Christus D. nullam habuit imperfectionem, nec habere potuit. 444
Thesis LXII. In Christo plenissime fuerunt gratiae miraculorum et prophetiae, et ceterae omnes gratiae gratis datae. 446
Thesis LXIII. Christus D. non solum morali modo, sed etiam physico, operatus est miracula, seu opera supernaturalia, per actiones suae humanitatis. 448
Thesis LXIV. Habuit Christus D. corpus perfectum, quoad potentias, et bene dispositum, quoad temperamentum qualitatum. 452
Thesis LXV. Christus non assumpsit omnes perfectiones naturales commodas animae vel corpori, quae in actione aliqua vel passione, seu actuali dispositione, consistunt, sed potius contrarios defectus, uti famem, sitim, defatigationem, dolorem, tristitiam; idest, fuit passibilis et mortalis passus mortuusque est. 454
Scholion. *De Unione hypostatica post Christi mortem.* . . 455
Dico I. Verbum Divinum non erat post mortem ab anima et corpore separatum; sed iisdem hypostatice unitum. . . . 455
Dico II. Quae de Corporis unione cum Verbo divino diximus, eadem de sanguine Christi effuso intelligas. 457
Thesis LXVI. Christus D. capax fuit infiniti meriti et satisfaccionis. 458
Articulus II.—De Christo, ut principio et causa generali. . 461
Thesis LXVII. Meruit nobis Christus remissionem peccatorum, gratiam sanctificantem et vitam aeternam. 461
Scholia I. Omne gratiae excitantis et adjuvantis auxilium, quo disponitur homo ad justificationem, est ex merito Christi. 462

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Pág.

II. Omnes gratiae, quae homini justificato conferuntur, effectus sunt meritorum Christi. 463
Thesis LXVIII. Christus D. sufficienter satisfecit pro universis peccatis hominum, tum ratione culpae, tum ratione poenae. 463
Scholia I. Christi satisfactio pro peccatis nostris fuit superabundans. 465
II. Satisfactio Christi fuit in actu primo, seu antecedenter ad acceptationem divinam, condigna. 465
Thesis LXIX. Christus Sacerdos in ara crucis se ipsum, pro humano genere, sacrificium obtulit. 467
Corollarium. Etiam pro reprobis et eorum salute mortuus est Christus. 467
Scholia I. Christus D. in acceptatione mortis, et oblatione seu morali mactatione victimae, multo plus quam SS. Martyres influxit ut occideretur.. 468
II. Nullo modo dicendum quod Christus D. vel ardentissimo amoris actu Cor suum diruperit, vel aliter, miraculoso modo, se occiderit. 468
Thesis LXX. Christus D. non pro se obtulit sacrificium quasi eguerit, sed solum quatenus exinde suam glorificationem et exaltationem meruit. 469
Scholia. De merito gratiae et Unionis hypostaticae. . . . 470
Thesis LXXI. Christus D. meruit et satisfecit pro nobis ex rigore justitiae. 471
Thesis LXXII. Christus D. est Summus Sacerdos et inter Deum hominesque Mediator.. 476
Thesis LXXIII. Christus meruit Angelis gratiam et gloriam. 478
Thesis LXXIV. Christus est caput Ecclesiae, imo omnium hominum et Angelorum. 480
Thesis LXXV. Christus D. constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum, in iis quae ad salutem vel damnationem spectant aeternam. 482
Thesis LXXVI. Christus fuit, estque Rex universi mundi, etiam quoad temporalia. 483
Thesis LXXVII. Christus D. secundo veniet in gloria et potestate magna; Antichristum et imperium ipsius delebit: et electos servabit. 487
Scholia. I. *De signis adventus Christi*. 493
II. *De notis Antichristi*. 495

CAPUT V.

DE INCARNATIONIS NECESSITATE, ET CHRISTI CUM ORDINE RERUM CONNEXIONE.

Pág.

Articulus I.—De Incarnationis necessitate. 499
Thesis LXXVIII. Conveniens fuit Incarnationis mysterium, non autem absolute necessarium, sive metaphysice, sive moraliter. 492
Thesis LXXIX. In hypotesi quod condignam satisfactionem exigeret Deus ab hominibus, necessarium erat incarnationis mysterium.. 503
Articulus II.—De connexione mysterii Incarnationis cum praesenti rerum ordine. 505
Thesis LXXX. Deus voluit Incarnationem per illam primam intentionem seu decretum, quo voluit se ad extra communicare. 505
Thesis LXXXI. Deus voluit Incarnationem et omnes res creatas primario propter Jesum Christum. 507
Thesis LXXXII. Si homo non peccasset, Verbum fuisset vi praesentis decreti incarnatum. 508
Thesis LXXXIII. Vi praesentis formalis decreti Incarnationis non fuisset eadem facta, si Deus peccatum impedivisset. 508
Thesis LXXXIV. Si decretum Dei non fuisset peccati permissivum, arguitive dicimus factam tum etiam Incarnationem fuisse.. 509
Appendix. S. Cyrilli Anathematismi. 511

FINIS INDICIS GENERALIS TOMI II.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PROOEMIUM.

In praemissis, volumine primo, tribus disquisitionibus, ea, quae scientiae theologicae fundamentalia dici usus obtinuit, dilucidavimus, quantum scopo, hisce disquisitionibus praefixo, pertinere visum est. His ergo jactis fundamentis, vel potius, his apertis januis et stratis viis, per quas Sacrae Scientiae aedem ingredi oportet; primam nobilioremque divinae sapientiae aulam aggredimur conspiciendam, è qua ceterae pulchritudinem et honorem consequuntur: scilicet, primum de Deo O. M. et de iis quae Deum ipsum prope attingunt, agendum est; quod quidem secundum hoc volumen amplectitur. Deinde vero de reliquis, quae, vel quatenus a Deo fluunt, vel quatenus ad Eum ducunt et redeunt, scientiam hanc complent, Deo ipso favente, disseremus.

Ad disquisitiones, in hoc traditas volumine, Lectorem praemonitum velim: in testimoniis seligendis, praesertim sacrarum Scripturarum, non soli theses probandi necessitati prospectum esse; sed verbi quoque divini intelligentiae, ne ob ejus difficultatem, multi a Scripturis legendis, uti fieri solet, deterreantur; quae tamen, in Sacra Scientia, primas obtinent partes. Quod quidem adnotatum volui, ne aliquibus in probationibus, ampliores, quam oportet, sententias fuisse cumulatas, existimetur: nam si quibusnam thesibus Prophetarum vaticinia lumen perfundant animadvertat Lector, deinceps experietur; non tantum magno scientiae profectu legi Prophetas posse, sed etiam eorum fata, quibus futurorum admonemur, magnum, in praesentibus angustiis, afferre solamen et delectationem. Unde fiet, ut libros propheticos, quasi penitus obseratos et tenebris opertos, minime intactos dimittamus et ignotos; sed iis, a Spiritu divino dictatis, grato animo perfruamur. Amice Lector, vale.

DISQUISITIO IV.

DE DEO UNO
seu
De spectantibus ad Dei Naturam.

De Deo tractaturi, cum natura fons sit et origo omnium, quae in re quacumque apprehendere valemus, ab iis exordimur, quae ad Dei naturam spectare compertum est.

DIVISIO GENERALIS.

CAPUT I. De Dei Existentia et Unitate.
— II. De Essentia Dei et attributis.
— III. De Scientia divina.
— IV. De divina Voluntate.

CAPUT I.

De Dei existentia et unitate.

ARTICULUS I.

De existentia Dei.

THESIS I.

Deum existere fide est certum et ratione demonstrabile.

1. **Nota.** Prima theseos pars fide tenenda, imo totius fidei est fundamentum, adversus atheos: secunda autem est doctrina etiam fide catholica certa, post Vaticani Conc. definitionem; hanc tamen nonnulli ex antiquis negavere theologis, ac recentiores Traditionalistae.

Pars I[a] prob. 1.° ex symbolis fidei. «Credo in Deum...»

2.° Universae SS. Litterae testantur, *In principio creavit Deus coelum et terram* (1). Dominus Jesus Christus ait: *Haec est vita*

---

(1) Gen. I, 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PROOEMIUM.

In praemissis, volumine primo, tribus disquisitionibus, ea, quae scientiae theologicae fundamentalia dici usus obtinuit, dilucidavimus, quantum scopo, hisce disquisitionibus praefixo, pertinere visum est. His ergo jactis fundamentis, vel potius, his apertis januis et stratis viis, per quas Sacrae Scientiae aedem ingredi oportet; primam nobilioremque divinae sapientiae aulam aggredimur conspiciendam, è qua ceterae pulchritudinem et honorem consequuntur: scilicet, primum de Deo O. M. et de iis quae Deum ipsum prope attingunt, agendum est; quod quidem secundum hoc volumen amplectitur. Deinde vero de reliquis, quae, vel quatenus a Deo fluunt, vel quatenus ad Eum ducunt et redeunt, scientiam hanc complent, Deo ipso favente, disseremus.

Ad disquisitiones, in hoc traditas volumine, Lectorem praemonitum velim: in testimoniis seligendis, praesertim sacrarum Scripturarum, non soli theses probandi necessitati prospectum esse; sed verbi quoque divini intelligentiae, ne ob ejus difficultatem, multi a Scripturis legendis, uti fieri solet, deterreantur; quae tamen, in Sacra Scientia, primas obtinent partes. Quod quidem adnotatum volui, ne aliquibus in probationibus, ampliores, quam oportet, sententias fuisse cumulatas, existimetur: nam si quibusnam thesibus Prophetarum vaticinia lumen perfundant animadvertat Lector, deinceps experietur; non tantum magno scientiae profectu legi Prophetas posse, sed etiam eorum fata, quibus futurorum admonemur, magnum, in praesentibus angustiis, afferre solamen et delectationem. Unde fiet, ut libros propheticos, quasi penitus obseratos et tenebris opertos, minime intactos dimittamus et ignotos; sed iis, a Spiritu divino dictatis, grato animo perfruamur. Amice Lector, vale.

DISQUISITIO IV.

DE DEO UNO
seu
De spectantibus ad Dei Naturam.

De Deo tractaturi, cum natura fons sit et origo omnium, quae in re quacumque apprehendere valemus, ab iis exordimur, quae ad Dei naturam spectare compertum est.

DIVISIO GENERALIS.

CAPUT I. De Dei Existentia et Unitate.
— II. De Essentia Dei et attributis.
— III. De Scientia divina.
— IV. De divina Voluntate.

CAPUT I.

De Dei existentia et unitate.

ARTICULUS I.

De existentia Dei.

THESIS I.

Deum existere fide est certum et ratione demonstrabile.

1. **Nota.** Prima theseos pars fide tenenda, imo totius fidei est fundamentum, adversus atheos: secunda autem est doctrina etiam fide catholica certa, post Vaticani Conc. definitionem; hanc tamen nonnulli ex antiquis negavere theologis, ac recentiores Traditionalistae.

Pars I[a] prob. 1.° ex symbolis fidei. «Credo in Deum...»

2.° Universae SS. Litterae testantur, *In principio creavit Deus coelum et terram* (1). Dominus Jesus Christus ait: *Haec est vita*

---

(1) Gen. I, 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aeterna ut cognoscant te, solum verum Deum (1). Et Paulus: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est* (2).

2. Pars II.ª prob. 1.° Conc. Vaticanum (3) definivit: can. I. «Siquis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum »nostrum, per ea quae facta sunt, naturali rationis lumine certo »cognosci non posse: anath. sit.»

2.° Apostolus (4) ait: *Quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit: invisibilia enim ipsius a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus et divinitas. Manifestam* ergo vocat Dei notitiam apud gentiles; Dei virtutem ac divinitatem *conspici, intelligi* asserit; id autem *per ea quae facta sunt* compleri.

3. 3.° Patrum fuit communis sententia, nec non Doctorum Scholasticorum. Justinus (5): «Unde sciri potest, sit ne Deus omni»no? Ex eorum quae sunt constitutione et stabilitate.»

Gregor. Nazianz. (6): «Nimis absurdus et praeposterus est. »qui argumentis naturalibus non cedit, et inficiatur Deum esse.»

4. Objic. 1.° Fides est *argumentum non apparentium*, Apostolo testante (7); è contra demonstratio est apparentium. Sed apparere et non apparere, de uno et eodem dictum, est contradictorium: ergo Deum existere credi simul et demonstrari non potest.

Resp. Dist. *min.* Apparere et non apparere, de uno et eodem *et sub eadem ratione* dictum, est contradictorium: conc. Sub diversa ratione: nego. Creditur enim Dei existentia sub ratione attestationis divinae; demonstratur sub claritate luminis naturalis.

Objic. 2.° Demonstratio fit ex principiis. Sed Dei existentiae non sunt principia; ergo Deum existere non demonstratur.

Resp. Dist. *maj.* Demonstratio a priori fit ex principiis; conc. A posteriori; subd. Ex principiis quae sint priora in essendo; nego. Quae sint tantum prima in cognoscendo; concedo. Ad *minorem* autem et *consequentiam* facile distinctionem deduces.

Objic. 3.° Inter esse finitum et infinitum non est proportio: ergo esse divinum ab effectibus dignosci nequit.

Resp. Dist. *ant.* Non est proportio comparationis; conc. Dependentiae; nego. Deinde dist. *conseq.* Dignosci nequit, quoad essentiae perfectionem; conc. Quoad existentiam; nego *consequentiam.*

Objic. 4.° Eatenus per effectus probaretur Deum existere, quatenus praeluceret relatio aliqua inter illos et Ejus existentiam: sed cognitio cujuslibet relationis praesupponit notitiam terminorum

(1) Jo. XVII, 3. — (2) Hebr. XI, 6. — (3) Const. *Dei Filius*, de *Revelatione*. — (4) Rom. I, 19, 20. — (5) *Ad quaes.* 6, *Gent.* — (6) Orat. 2, *de Theol.*— (7) Hebr. XI, 1.

ejusdem; ergo demonstratio existentiae Dei per effectus praerequirit Ipsius existentiae cognitionem, ideoque non erit demonstratio, sed forsan reflexio quaedam.

Resp. Dist. *min.* Cognitio relationis praedicamentalis, praesupponit terminorum notitiam: Conc. *min.* Transcendentalis; subdist. Supponit notitiam aliquam terminorum indeterminate et confuse; conc. Aliter; nego. Sane ipsa natura et ratio effectus respectum importat ad causam aliquam; quae autem sit haec causa ratiocinio evolvitur.

THESIS II.

Existit aliquod ens necessarium et aliqua prima causa.

5. **Nota**. Ens necessarium intelligimus, quod ita a se existat ut ejus essentiae repugnet non existere. Primam causam dicimus quae non sit causata, sed causans tantum.

Pars. 1.ª theseos prob. Repugnat quod omnia entia sint contingentia. Sed si non existeret ens aliquod necessarium, omnia entia essent contingentia; ergo concedendum ens aliquod necessarium.

Maj. prob. Si omnia entia forent contingentia, aliquando omnia fuissent nihil, seu non extitissent. Sed repugnat quod omnia entia fuerint nihil, seu non extiterint: ergo repugnat omnia esse contingentia.

Maj. est evidens. Quod enim est contingens, seu indifferens ut sit, aut non, indiget determinari ut actu sit; ideoque ex se non erat seu nihil existebat: ergo si omnia entia forent contingentia, et nihil aliquando fuissent.

Min. quoque est evidens. Si enim *omnia entia* fuissent nihil, determinatio contingentium ad existendum facta fuisset a nihilo; sed hoc aperte est absurdum.

6. Prob. 2.ª pars. Repugnat omnem causam esse causatam; ergo datur aliqua prima causa.

Ant. prob. Impossibile est quod sint causae et effectus sine sufficienti causalitate et efficientia. Sed si omnes causae forent causatae, nulla existeret sufficiens causalitas et efficientia: ergo omnem causam esse causatam repugnat.

Min. prob. Nulla esse potest sufficiens causalitas et efficientia, si nulli causae adest sufficientia ad existendum. Atqui si omnes causae forent causatae, nulli earum adesset sufficientia ad existendum: ergo non daretur sufficiens causalitas, si omnes causae forent causatae.

Confirm. Si omnes causae forent causatae; vel ab aliquo existente

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

extra illarum collectionem, vel intra, causatae fuissent. Si primum dicas, concedis, extra omnes causas causatas, aliam minime causatam. Si autem secundum cogites, habes causam se ipsam causantem, seu contradictionem apertam.

7. Objic. 1.° In serie infinita causarum productarum, nulla esset prima, seu improducta. Atqui quaelibet illarum haberet sufficientem causalitatem in priori: ergo non est necessaria causa non causata.

Resp. nego *min.* Prior enim causa non est sufficiens nisi ab alia id accipiat: ab alia autem accipere nequit, quia nulla sufficiens existit. Quod si series insufficientium causarum in infinitum, seu sine ullo principio, distendatur, non inde sufficientia, sed infinita insufficientia effingitur.

Objic. 2.° A sensu distributivo ad collectivum non valet consecutio: ergo neque licet inferre, totam seriem causarum efficientiam habere incompletam, quia singulae insuficientes sunt.

Resp. Dist. *Ant.* Non valet consecutio in essentialibus; nego *ant.* Quia enim singuli homines sunt rationales, et omnes quoque tales erunt. In accidentalibus; subd. Si accidentia sint quantitativa; conc. Aliter; nego. Exempli causa: singuli sunt albi, vel sapientes: ergo omnes. Singuli non ferunt tantum pondus; non deducitur, ergo neque omnes. Jam vero dependentia causae productae adeo est intrinseca et essentialis, sicut essentiale et intrinsecum est, id quod causatur «ab alio causari.» Donec igitur pervenias ad improductam causam, eadem semper perseverat dependentia et insufficientia.

THESIS III.

Ex hoc mundo aspectabili summa aliqua causa potentissima et sapientissima dignoscitur.

8. Prob. 1.° *Coeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum* (1). Item: «*A magnitudine speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri*» (2).

2.° Clemens Alex. ait: (3) «Forte ne aggredi quidem oportet »demonstrationem (de Dei existentia), cum sit manifesta Dei provi»dentia..... Itaque populi omnes ad orientem et occidentem, ad bo»ream et ad austrum, unam et eamdem habent anticipationem de »Illo, qui hoc regnum constituit; siquidem universalissime ejus »operationes omnia aeque pervaserunt.»

Athanasius (4) vero: «Res creatae, quasi litteris, sua disposi-

(1) Ps. 18, 2. — (2) Sap. XIII, 5. — (3) Apud Origen. *de Princ.* l. 1, c. 3. — (4) Orat. *cont. gent.* n. 34.

»tione et ordine dominum ac creatorem suum indicant et procla»mant..... Saepe enim artifex, etiamsi ipse non videatur, ex operibus »cognoscitur.»

Haec ad specimen sufficiant, cum sit una Patrum in hac re mens.

9. 3.° Ratio est obvia, quam quidem exemplo proponit et illustrat Greg. Nazianz. (1): «Neque enim quis videns citharam »pulcherrime elaboratam, ejusque concinnitatem et artem, vel ejus »audiens sonos armonicos aliud mente reputabit, quam citharae »artificem et citharoedum, et ad ipsum cogitatione feretur, etiamsi »de facie forte eum non novit: sic et nobis causa efficiens et movens »et conservans res effectas manifesta est, etiamsi mente non com»prehendatur. Nimis enim stolidus est qui hucusque non progre»ditur sponte sua.»

Confirm. Argumentum hoc ex totius mundi ordine desumptum, ex singulis ejusdem partibus urgeri potest. Rerum enim materialium infinita pene varietas ex paucis elementis, tot plantarum mirum artificium, quarum classes, familiae, genera, species ex una et simplici vegetandi vi orta ingenium,vel imbecillitatem potius, torquent omnium sapientum; innumerae animantium formae, quorum alia mirae magnitudinis, alia mirae exiguitatis, exhibentia in suis organis, sensibus, instinctibus ineffabilis sapientiae ordinem; homines potissimum, tot ordinatissimis linguarum artificiis, scientiarum inventionibus, artium ornamentis et utilitatibus, et mentis, mundum universum ejusque Conditorem contemplantis, nobilitate et majestate, haec omnia et singula in Conditore rerum incomprehensibilem potentiam ac sapientiam praedicant.

10. Objic. 1.° Ex fortuito atomorum materialium concursu talem ac tantum ordinem ortum duxisse, putare possumus: ergo Dei existentiam non ostendunt.

Resp. dist. *ant. Putare possumus* stolidissime, et dementis more insanientes; permitto; mente sani, nego.

Objic. 2.° Plura conspicimus in rebus, quae prorsus inutilia, imo et ordini adversari videntur: ergo licebit ex istis, Auctoris rerum vel insipientiam vel impotentiam arguere.

Resp. Dist. *ant.* In rebus quas perfecte cognoscimus, plura conspicimus..... nego *ant.* In iis quae non satis attingimus; permitto.

Hoc passim accidit, ut stulti vel minus sapientes reprehendant sapientiorum, quae tamen prudentiores laudant et extollunt, opera. Aliqua tamen accidere, quae particulari alicui adversantur ordi-

(1) Orat. 28 (al. 34).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ni, non negamus; ordini vero universali convenire prorsus asserimus. Refert Aristoteles (l. 3, Rhet.), Socratem, lecto Heracliti, qui σκοτεινός, id est, tenebrosus et obscurus vocatus est, libro dixisse: «Laudo quae intelligo, laudo etiam quae non intelligo.» Quod rectissime dixeris de omnibus Creatoris operibus.

COROLLARIUM.

11. Deum esse seu existere, ex duabus praecedentibus thesibus demonstratum deducimus.

Dei enim nomine, in horum argumentorum processu, intelligimus summum aliquod Ens, supremamque Causam, é qua dependent res ceterae. Quae autem sint illius summi entis perfectiones, utrum unicum existat, quae ejus sit esentia, aliis definiendum est rationibus.

THESIS IV.

Dei existentia non est immediate nota.

12. Existimarunt nonnulli, qui demonstrari posse Dei existentiam negabant, adeo illam esse perspicuam, ut medio nullo amplius declarari possit; ideo *Deum existere*, veritatem esse *per se notam* asserebant. Si ipsam quidem Dei essentiam perspiceremus, in ea immediate et ejusdem existentia eluceret; quia essentia et existentia nullatenus in Deo distinguuntur. Verum aliter se habet essentia Dei *quoad se*, et aliter *quoad nos;* seu, secundum conceptum abstractum et confusum mentis nostrae. Jam vero propositio, *Deus existit*, non est secundum ipsam Dei essentiam judicanda, sed secundum nostros conceptus; voces enim id significant quod concipimus.

13. Prob. 1.° Fieri nequit ut id quod est per se et immediate notum, puta, *totum est majus sua parte,* magnis ingeniis velatum appareat. Sed magna et acuta ingenia, ut D. Thomas, Suarezius, etc... asserunt. *Deum existere* propositionem esse immediate obscuram, et solum mediate apertam: ergo Dei existentia non est immediate evidens.

Prob. 2.° Immediatae et per se notae veritati contradicere, aut penitus non conformari, longe vituperabilius est, quam in aliis mediate tantum cognitis errare. Sed in SS. Litteris error ille summe vituperabilis nusquam reprehenditur; quod autem per *creaturam mundi,* et *per ea quae facta sunt*, Deum non cognoverint et a creaturis non distinxerint, id arguitur et quidem apud sapientes: ergo mediate tantum dignosci Dei existentiam, Sacra supponit Scriptura.

Objic. Docent plures Patres notitiam Dei esse insitam a natura, divinitus inspiratam, etc.

Resp. dist.; quatenus lumine rationis ex Dei operibus Deum existere edocemur; conc. Quasi immediate id apprehendamus, nego.

THESIS V.

Dei existentia non est a priori demonstrabilis.

14. **Nota**. Adversus D. Anselmum aliosque doctores, hanc tuemur cum D. Thoma sententiam; quam, etsi facilius ea defendatur dissolvendo rationes, quae ad probandam Dei existentiam a priori adhibentur, tamen unico argumento prius confirmabimus.

Prob. Demonstratio a priori, ait D. Thomas (1), est ea quae procedit per causam, et dicitur *propter quid*, et fit per priora simpliciter, sive extrinseca, sive rei intrinseca. Sed Dei existentia nullam habet causam extrinsecam, ut patet; neque intrinsecam, quia idem omnino est in Deo essentia et existentia: ergo nequit Deum existere ostendi a priori.

Solvuntur argumenta quae a priori adhiberi solent.

15. 1.m Arg. Existentia Dei in conceptu ejusdem continetur. Sed quod in rei conceptu continetur potest a priori deduci: ergo.

Resp. Dist. *maj*. In conceptu continetur orto ex definitione rei; nego suppositum: procedente ex definitione nominis; conc.

Et dist. *min*. Si rem *ita esse* uti concipitur concedatur, seu constet; conc. Aliter; nego rem esse *talem* inferri.

2.m Arg. Deus est id quo majus concipi nequit. Sed si non existeret, quippiam Deo majus cogitari posset: ergo Deus existit.

Resp. Dist. *maj*. Deus, id est, vox *Deus* significat id quo majus... Permitto. Deus, id est, aliquod ens reale vel possibile est... Nego suppositum.

Dist. pariter *consequens:* ergo existit, id est, fingis, seu cogitas existere Deum; transeat: ergo existit in re, seu objective; nego consequentiam.

3.m Arg. Nullum bonum est chimaera. Sed ens carens omni defectu est bonum: ergo carens omni defectu non est chimaera; ergo est possibile: ergo existit, aliter defectum haberet.

Resp. Dist. *min*. Ens carens omni defectu est bonum, id est, concipitur ut bonum, ideoque non uti chimaera; conc. *minorem*.

Reipsa est bonum et non chimaera; nego, quia hoc est probandum, non supponendum.

---

(1) 1. p. q. 2, a. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

16. 4.m Arg. Immediate et perspicue patet ens infinitae perfectionis non repugnare, seu esse possibile. Sed nequit esse possibile quin existat: ergo revera existit. *Maj.* declaratur. Ut in aliquo conceptu sit repugnantia, debet affirmatio et negatio in eodem includi. Sed in conceptu entis perfectionis infinitae, nulla est negatio: pura enim et infinita perfectio nihil negat, nihil excludit, quidquid est positivum involvit. Ergo ens infinitae perfectionis est possibile.

Resp. Nego *maj.* Ad probationem autem, dist. *min.* Nulla est negatio explicita, conc. Implicita, nego. Quod autem pura et infinita perfectio nihil neget, nihil excludat, non patet immediate et a priori, nisi hypothetice; idea enim entis infiniti obscura nimis existit, ut possimus, utrum in eo conciliari possint perfectiones omnes, sive nobis notae, sive ignotae, perspicere. Nam quod formaliter convenire *in unum* omnes perfectiones nequeunt, omnes fatentur, estque manifestum. *Eminenter* ergo excogitari debent, ne aperta elucescat contradictio et repugnantia illarum. At numquid intelligimus clare et evidenter, quid sint perfectiones *omnes* in suo esse eminenti? Materiae perfectio *eminenter!* Extensionis, corporis, motus, appetitus, sensationis, etc., eminens perfectio! Hoc autem oporteret intelligere ut pateret clare et perspicue ac a priori, quo pacto in *unum* omnes possunt coadunari perfectiones sine mutua exclusione. De hac re vide Suarezium in Metaphysica (1).

ARTICULUS II.

De unitate Dei.

THESIS VI.

Fide et ratione certo patet, Deum esse unum, seu unicum.

17. Prob. 1.° Vide supra Vat. Conc. in Thesi I. Deinde, aperte constat ex omnibus fidei symbolis: «Credo in unum Deum.»

2.° *Audi, Israel: Dominus Deus noster, Dominus unus est,* (2); quod in sacris legimus Litteris. Et alibi: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum verum Deum* (3), *Nullus est Deus, nisi unus* (4).

18. 3.° Ens a se, seu necessarium, est unicum: ergo, unus est Deus. *Ant.* pr. Si homo foret hic singularis homo (Petrus), *quia homo est* praecise et formaliter; unus tantum et singularis esset homo. Sed ens a se est hoc singulare ens a se, *quia est ens a se* praecise et formaliter: ergo unum tantum est ens a se, seu necessarium.

(1) Disp. XXX, sec. II, nn. 24, 25. — (2) Deut., VI, 4: 1, Paral., XVII, 20.— (3) Jo. XVII. 3. - (4) I Cor. VIII, 4.

Min. pr. Quidquid existit est necessario et formaliter hoc singulare ens, ut ex Metaphysica supponimus; quia repugnat aliquid existere et esse commune pluribus. Sed ens a se, praecise et formaliter ut tale, est existens: ergo ens a se est hoc singulare ens a se, *quia est ens a se* praecise et formaliter.

Confirm. Ponamus esse plura entia necessaria, quemadmodum et plures sunt homines. Sicut concipimus hominem in communi praecisis singularibus (Petro, Paulo...), a pari concipere oportebit ens necessarium, praecisa *formaliter*, idque exigente ipsa essentia entis necessarii, quavis ejusdem singularitate. Atqui quod praecisa quavis singularitate concipi debet, est quid commune et indifferens; communitas et indifferentia ad singularitatem repugnat cum re existente: ergo in data hypothesi concipitur ens necessarium *non existens;* quod est aperte absurdum.

19. Objic. Homo existere nequit quin sit singularis homo, non tamen praecise *hic homo;* sed aut *hic*, aut *iste*, aut *ille* singularis. Ergo a pari; ens necessarium postulat esse singulare ens, non tamen *hoc*, sed vel *hoc*, vel *istud*, vel *illud* ens necessarium singulare et individuum.

Resp. Dist. *ant.* et inde patebit disparitas, ratioque supra facta magis elucebit.

Cum dicitur, *ut homo existat*, duplex confunditur idea, et inde argumenti fallacia; significantur, nempe, simul essentia hominis et existentia, seu essentia *ut actuata*.

Ut homo existat exigit *vi essentiae* esse singularis homo; nego *ant.* Exigit *vi existentiae*, seu essentiae actuatae, esse singularis homo; conc.

Nam homo, et quodlibet ens contingens, est ex essentia sua indifferens ut existat vel non existat, et quod actuetur ortum ducit ex efficientia extrinseca. Solum ergo interveniente causalitate externa exigit homo esse *singularis homo*, aut *hic*, aut *iste*, aut *ille*, quia haec differentia ad talem essentiam nihil refert. *Actuata* autem essentia, seu facta, erit aut *hic*, aut *iste*, aut *ille* singularis homo; ita ut si fuerit *hic*, repugnet esse *ille*, aut *iste*, et vice versa.

Jam vero ens necessarium per essentiam suam formaliter est in actu, ideoque essentia et existentia sunt omnino idem, quavis sublata indifferentia et indeterminatione. Quod ergo ens necessarium sit *hoc singulare* ita ad ipsius spectat essentiam, ut hanc plane evertat quaevis cogitata indifferentia ut sit vel *istud*, vel *illud* singulare. Cum igitur quis sibi illudit fingens in mente sua, quod ens a se

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

exigit et potest esse *hoc* vel *istud* vel *illud* singulare ens, contradictorios innectit conceptus, scilicet *indeterminationis* ac indifferentiae cum absoluta et essentiali *determinatione* entis a se.

THESIS VII.

Ens necessarium est suum esse, ipsum esse, primum esse, actus purus per essentiam.

20. **Nota 1.** Haec thesis est corollarium praecedentium, unde sufficiet indicare quomodo ab illis decurrat.

II. Juxta mentem D. Thomae, *esse* significat existentiam, seu actualitatem, seu terminum oppositum statui potentialitatis. «Ipsum *esse* est perfectissimum omnium; comparatur enim *ad omnia* »ut actus; nihil enim habet actualitatem nisi in quantum est: unde »ipsum esse est actualitas omnium rerum, et etiam ipsarum forma»rum; unde *non comparatur* ad alia sicut recipiens ad receptum, »sed magis sicut receptum ad recipiens» (1).

Haec Angelici Doctoris unica verba verissimam de natura existentiae referunt doctrinam; et genuinam ipsius mentem, de qua multum disputatum est et disputatur, nobis aperiunt.

21. Pars 1.ª Ens necesarium est suum esse per essentiam.

1.° Si enim ens necessarium non *esset* per ipsam suam essentiam formaliter, *compararetur* haec ad *esse* ut recipiens, ut determinabilis. Atqui est in terminis contradictio, ut vidimus in thes. praec., quod ens necessarium concipiatur ut determinabile, et indifferens: ergo est suum esse per essentiam.

2.° Si non esset *suum esse* entis necessarii essentia, aliunde ei adveniret: illud autem unde adveniret *esse*, a fortiori esset, et a se esset, et necessarium esset; ergo fingitur duplex ens necessarium et a se.

22. Pars II. Ens necessarium est ipsum esse per essentiam.

Prob. Cetera omnia entia nequeunt *esse*, seu, reduci ad actum, nisi per ens necessarium; «Cum ens in potentia non reducatur ad actum, nisi per aliquod ens in actu» (2).

Ergo ab *esse* entis necessarii fluit *omne esse:* sicut ergo est *suum esse* per essentiam, ita est *ipsum esse*.

23. Pars III. Est *primum esse* per essentiam in quolibet realis prioritatis ordine. Nam in qualibet reali prioritate, quod prius est, sicut per *esse suum* est, ita per *esse suum* est prius.

(1) 1. p, q. 4, a. 1, ad 1.° — (2) Sum. theol. 1. p. q. 4, a. 1. ad 2.

Sed per *esse* entis necessarii determinantur ad esse omnia alia entia: ergo Deus est prior per *suum esse* in qualibet reali prioritate. Atqui est *suum esse* per essentiam. Ergo et est *primum esse* per essentiam in qualibet reali prioritate.

24. Pars IV. Ens necessarium est *actus purus* per essentiam.

Quaelibet potentialitas respectum habet ad *aliquod esse* tamquam ad *actum suum*; ut enim supra ex D. Thoma notatum est. «esse est actualitas omnium rerum». Sed ens necessarium est *suum esse* per essentiam, imo *ipsum esse:* ergo per suam essentiam excludit omnem potentialitatem, seu est *actus purus*.

Confirm. Si esset ens necessarium aliquo modo in potentia, actus ille ad quem esset in potentia, ab ipso ente necessario fluere deberet, cum sit *primum esse* per essentiam in quolibet ordine reali. Ergo simul foret *in actu* dum supponitur esse *in potentia*. «Cum »ens in potentia non reducatur in actum nisi per aliquod ens in »actu» (1).

25. Objic. 1.° Ens contingens creatum est etiam *suum esse* per essentiam: atqui tamen per essentiam suam est indifferens ac indeterminatum ad esse vel non esse. Ergo ut ens necessarium sit omnino determinatum ad esse, non opus est nec juvat quod sit *suum esse* per essentiam.

Maj. prob. Vel *esse* entis creati distinguitur realiter ab essentia, vel non. Si non distinguitur; patet quod sit *suum esse* per essentiam. Si autem distinguitur, est duplex realitas actualis in ente creato; nempe, realitas existentiae et realitas essentiae: ergo est etiam duplex actualitas; «in his enim quae fiunt, tunc dicitur ali»quid esse perfectum, cum de potentia educitur in actum (2),» ait D. Thomas. Si in ente ergo creato non esset duplex actualitas, sicut et duplex realitas, vel una vel altera realitas esset infecta et confunderetur cum Deo. Atqui hoc est absurdissimum; nam ens contingens tam secundum existentiam, quam secundum essentiam est eductum a nihilo. Ergo revera est duplex actualitas in ente creato; essentiae, nempe, et existentiae. Jam vero *esse* existentiae nihil aliud est quam ejus actualitas, et similiter *esse* essentiae; ut cum D. Thoma in 2.ª nota praenotavimus. Ergo etiamsi in ente creato distinguatur existentia ab essentia, est tamen sine dubio *suum esse* per essentiam.

Resp. Dist. *maj.* primi syll. Ens contingens creatum est etiam *suum esse* per essentiam *absolute* inspectam; nego *maj.* Nam hoc

(1) Sum. theol. 1, p. q. 4, a. 1, ad 2. — (2) Ibid. 1. p. q. 4, a. 1, ad 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

modo est indifferens per essentiam ad esse vel non esse, ideoque nequit esse *suum esse* per essentiam. *Per essentiam* ut actuatam; subd. Ens contingens creatum est suum esse per essentiam *ut actuatam* ab intrinseco; nego: ut *actuatam* ab *extrinseco;* concedo.

Scilicet, *esse* entis contingentis est creatum, seu ab efficientia extrinseca actuatum; ideo ei convenit quod sit per essentiam ab extrinseco quoque actuatam, seu effectam. *Esse* autem entis necessarii est increatum; proinde est per essentiam increatam, seu ab intrinseco actuatam.

Ad probationem autem, dico: distinctionem realem, quae fingitur et supponitur inter existentiam et essentiam, esse plane inutilem ad solvendam difficultatem, ut discursus ibidem factus ostendit. Vel enim realitas intrinseca essentiae est facta, vel non: si non est facta, erit Deus, et pantheismus inducitur: si autem est intrinsece facta, est intrinsece extra suam causam, id est intrinsece actuata, intrinsece existens; ideoque illa existentia realiter distincta plane inutilis evadit, quemadmodum argumento clarissimo D. Thomas argumentatur, adversus eos qui unitatem entis uti rem distinctam fingebant. «Si enim per aliquid aliud esset *una* quaelibet »res, cum illud iterum sit *unum*, si esset iterum *unum* per aliquid »aliud, esset abire in infinitum. Unde standum est in primo» (1). Ita standum est in actualitate (seu existentia) intrinseca rei creatae.

26. Objic. 2.° Si ens necessarium est *ipsum esse* per essentiam, erit quodlibet *esse*, id est, omnia. Ergo pantheismus statuitur.

Resp. Dist. ant. Erit quodlibet *esse* eminenter et imparticipatum; conc. Quodlibet *esse* formaliter et participatum; nego.

Inst. Eatenus ens necessarium esset *ipsum esse*, quatenus foret «esse subsistens non receptum» (2). Atqui entium contingentium *esse* non est *receptum* et est subsistens: ergo...

Resp. Dist. seu explico dictum D. Thomae: foret «esse subsistens, non receptum;» id est, non *contractum*, non *participatum;* conc. «Non receptum» in subjecto *realiter distincto;* nego, vel subd. Si id dicatur *comparative*, ut dicit D. Thomas (supra, Nota II); Conc. Si proprie et stricte; nego suppositum a mente D. Thomae et a veritate aeque alienum.

Scilicet, propria et stricta receptio locum habere nequit, nisi inter recipiens et receptum sit realis mutuaque distinctio; sic materia recipit formam, anima gratiam, mens scientiam. Ut autem *comparative* recipi aliquid dicatur, sufficit distinctio realis *non mutua:* hoc modo ens creatum recipit *esse* a Deo; antea quippe non erat, nunc vero est et quidem a Deo recipiens suum esse; hoc autem suo

(1) Sum. theol. p. 1, q. 11, a. 1, ad 1. — (2) Ibid. q. 7, a. 1.

reali *esse*, distinguitur realiter a non ente; *non ens* autem, cum sit nihil, nequit habere praedicatum reale. Quod si quis velit mordicus, contra apertam rationem, contendere, receptionem qualemcumque exigere realem distinctionem inter receptum et recipiens, velit nobis explicare, quomodo ipsam suam essentiam res creatae a Deo receperunt; vel neget essentiam esse receptam, et pantheismi eum arguemus.

27. Objic. 3.° Deus est *suum esse* et *ipsum esse* eminenter, non autem formaliter. Sed *esse* eminenter non excludit *esse* formaliter; nam divina essentia, continet Personalitates eminenter, simul et formaliter; ergo etiamsi Deus sit actus per essentiam quia est eminenter *ipsum esse*, poterit nihilominus in potentia existere ad aliquod *esse* formale.

Resp. Dist. *maj*. Deus non est formaliter ipsum *esse*, si hoc *esse* non sit purum, sed imperfectum; conc. Aliter; nego.

Dein dist. min. *Esse* eminenter non excludit *esse* formaliter, si istud sit imperfectum; nego. Si non involvat imperfectionem (ut Personalitates divinae), subd. Cum esse eminenter potest stare esse formaliter; *identice*, conc. Per unionem, seu interveniente aliqua potentialitate; nego.

CAPUT II.

De Dei attributis et essentia.

Quot sint inter theologos sententiae ad essentiam Dei definiendam postea notabimus: interim a notioribus aggredientes ostendemus praecipuas divinae essentiae perfectiones, quo praemisso, obscuriorem illam multo facilius enodabimus quaestionem.

ARTICULUS I.

De perfectionibus Dei positive significatis

THESIS VIII.

Esse divinum est substantiale, spirituale et intellectivum; seu Deus est substantia, spiritus purus, et intelligentia.

28. Tota propositio fide tenenda, et per partes probatur.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

modo est indifferens per essentiam ad esse vel non esse, ideoque nequit esse *suum esse* per essentiam. *Per essentiam* ut actuatam; subd. Ens contingens creatum est suum esse per essentiam *ut actuatam* ab intrinseco; nego: ut *actuatam* ab *extrinseco;* concedo.

Scilicet, *esse* entis contingentis est creatum, seu ab efficientia extrinseca actuatum; ideo ei convenit quod sit per essentiam ab extrinseco quoque actuatam, seu effectam. *Esse* autem entis necessarii est increatum; proinde est per essentiam increatam, seu ab intrinseco actuatam.

Ad probationem autem, dico: distinctionem realem, quae fingitur et supponitur inter existentiam et essentiam, esse plane inutilem ad solvendam difficultatem, ut discursus ibidem factus ostendit. Vel enim realitas intrinseca essentiae est facta, vel non: si non est facta, erit Deus, et pantheismus inducitur: si autem est intrinsece facta, est intrinsece extra suam causam, id est intrinsece actuata, intrinsece existens; ideoque illa existentia realiter distincta plane inutilis evadit, quemadmodum argumento clarissimo D. Thomas argumentatur, adversus eos qui unitatem entis uti rem distinctam fingebant. «Si enim per aliquid aliud esset *una* quaelibet »res, cum illud iterum sit *unum*, si esset iterum *unum* per aliquid »aliud, esset abire in infinitum. Unde standum est in primo» (1). Ita standum est in actualitate (seu existentia) intrinseca rei creatae.

26. Objic. 2.° Si ens necessarium est *ipsum esse* per essentiam, erit quodlibet *esse*, id est, omnia. Ergo pantheismus statuitur.

Resp. Dist. ant. Erit quodlibet *esse* eminenter et imparticipatum; conc. Quodlibet *esse* formaliter et participatum; nego.

Inst. Eatenus ens necessarium esset *ipsum esse*, quatenus foret «esse subsistens non receptum» (2). Atqui entium contingentium *esse* non est *receptum* et est subsistens: ergo...

Resp. Dist. seu explico dictum D. Thomae: foret «esse subsistens, non receptum;» id est, non *contractum*, non *participatum;* conc. «Non receptum» in subjecto *realiter distincto;* nego, vel subd. Si id dicatur *comparative*, ut dicit D. Thomas (supra, Nota II); Conc. Si proprie et stricte; nego suppositum a mente D. Thomae et a veritate aeque alienum.

Scilicet, propria et stricta receptio locum habere nequit, nisi inter recipiens et receptum sit realis mutuaque distinctio; sic materia recipit formam, anima gratiam, mens scientiam. Ut autem *comparative* recipi aliquid dicatur, sufficit distinctio realis *non mutua:* hoc modo ens creatum recipit *esse* a Deo; antea quippe non erat, nunc vero est et quidem a Deo recipiens suum esse; hoc autem suo

(1) Sum. theol. p. 1, q. 11, a. 1, ad 1. — (2) Ibid. q. 7, a. 1.

reali *esse*, distinguitur realiter a non ente; *non ens* autem, cum sit nihil, nequit habere praedicatum reale. Quod si quis velit mordicus, contra apertam rationem, contendere, receptionem qualemcumque exigere realem distinctionem inter receptum et recipiens, velit nobis explicare, quomodo ipsam suam essentiam res creatae a Deo receperunt; vel neget essentiam esse receptam, et pantheismi eum arguemus.

27. Objic. 3.° Deus est *suum esse* et *ipsum esse* eminenter, non autem formaliter. Sed *esse* eminenter non excludit *esse* formaliter; nam divina essentia, continet Personalitates eminenter, simul et formaliter; ergo etiamsi Deus sit actus per essentiam quia est eminenter *ipsum esse*, poterit nihilominus in potentia existere ad aliquod *esse* formale.

Resp. Dist. *maj*. Deus non est formaliter ipsum *esse*, si hoc *esse* non sit purum, sed imperfectum; conc. Aliter; nego.

Dein dist. min. *Esse* eminenter non excludit *esse* formaliter, si istud sit imperfectum; nego. Si non involvat imperfectionem (ut Personalitates divinae), subd. Cum esse eminenter potest stare esse formaliter; *identice*, conc. Per unionem, seu interveniente aliqua potentialitate; nego.

CAPUT II.

De Dei attributis et essentia.

Quot sint inter theologos sententiae ad essentiam Dei definiendam postea notabimus: interim a notioribus aggredientes ostendemus praecipuas divinae essentiae perfectiones, quo praemisso, obscuriorem illam multo facilius enodabimus quaestionem.

ARTICULUS I.

De perfectionibus Dei positive significatis

THESIS VIII.

Esse divinum est substantiale, spirituale et intellectivum; seu Deus est substantia, spiritus purus, et intelligentia.

28. Tota propositio fide tenenda, et per partes probatur.

UNIVERSIDAD DE NUEVO LEON
Biblioteca Valverde y Tellez

Pars 1.ª prob. 1.° Ex Later. IV, c. *Firmiter:* «Credimus quod »verus est Deus... una essentia, substantia, seu natura simplex omnino.»

Et Vatic. Conc. (1) confirmavit.

2.° De Christo ait Apostolus (2): *Qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus* (Dei).

3.° Tertullianus ait (3): «Unius substantiae et unius status »et unius potestatis, unus Deus.» Et Patres quoque Toletani Concilii XI: «Confitemur unum Deum unius substantiae, unius »naturae.»

4.° Omne accidens intrinsece pendet ab alio ente, quo sustentatur et perficitur in suo *esse*. Si ergo Deus non esset substantia, sed accidens, neque foret *suum esse* per essentiam, neque *ipsum esse*, neque *primum esse*, neque *actus purus*.

29. Pars II.ª prob. 1.° Ex Vatic. Concilio (ibid.) «Qui cum »sit una substantia spiritualis....»

2.° S. Joannes docet (4): *Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare*. Idipsum docet Apostolus.

3.° Patres testantur: uti Athanasius (5); «Nec Deus hominis »similis est, uti nec homines Dei. Illi ex materia sunt creati; at »Deus expers est materiae et corporis.»

Didymus (6): «Deus cum spiritus appellatur, non ventus, »sed incorporea, vivificaque substantia significatur.»

Eusebius (7): «Divina mens est «incorporea et simplex, nullas»que partes habet... Divina natura ab omni materia semota.»

4.° Spiritualis est substantia, quae nullatenus materialis est, aut a materia dependens. Sed Deus est primum esse, per essentiam et actus purus. Ergo nequit vel materialis esse, vel a materia pendere.

30. Pars III.ª prob. 1.° Ex Vat. Syn. «Ita Catholica Ecclesia »credit et confitetur, unum esse Deum... intellectu ac voluntate »omnique perfectione infinitum.»

2.° *Omnis sapientia a Domino* (8). Et Paulus: *Ut innotescat... multiformis sapientia Dei* (9).

3.° Patrum una est sententia. Toletani PP. Syn. XV. «Hoc »est in Deo esse quod velle: quod sapere. Quod tamen de homine »dici non potest... In Deo autem non est ita, quia simplex ita na»tura est.»

4.° Intelligere est magnae perfectionis actus, seu *esse*. Sed Deus

(1) C. *Dei Filius*, cap. I. -(2) Hebr. I, 3.—(3) L. *contr. Prax.* c. 2.—(4) Joan. IV, 24; II Cor. III, 6, 8.—(5) De *Decret. Nicae. Syn.* n. 10—(6) Caten. PP. Graec. in Jo. c. IV.—(7) *Praepar. Evang.* l. 3, c. 10.—(8) Eccli. I, 1.—(9) Eph. III, 10.

est *ipsum esse*, et *primum esse* per essentiam: ergo est Deus intelligens.

Confirm. Mundus a Deo conditus est, ut ex Cap. I, constat: sed opus mundanum est mirae sapientiae effectus: ergo sapiens est Deus.

31. Objic. 1.° Ratio substantiae est complexa ac respectiva; scil. *stare sub*. Sed quod est complexum potentialitate afficitur; quod est respectivum, praesupponit ab intrinseco aliquid extra se: ergo nulla substantia potest esse actus purus, et *ipsum esse* per essentiam; ideoque Deo convenire nequit.

Resp. Dist. *maj*. Ratio substantiae finitae, seu imperfectae, est complexa et relativa; conc. Ratio substantiae est complexa... quoad suam perfectionem intrinsecam, qua differt ab accidentis essentia; nego.

Ratio illa substantiae *stare sub*, exhibet definitionem, ut ita dicam; geneticam conceptus substantiae é substantiis creatis deprompti. Ratio autem essentialis et transcendens substantiae, *esse per se*, nihil potentialitatis involvit.

32. Objic. 2.° Affectiones membraque corporea, SS. Litterae Deo inesse testantur: non est ergo spiritus purus.

Resp. Dist. *ant*. In sensu figurato testantur; conc. Proprio sensu; nego. Scilicet, ut cogitemus spiritualia sensibilibus figuris indigemus, quia ope phantasmatum sensibilium mens nostra, corpori sociata, ad conceptus insensibilium debet pervenire.

Inst. Homo factus est in imaginem Dei: ergo Deus nequit purus esse spiritus, aliter enim nihil divinum corpus hominis referre posset.

Resp. Dist. *Ant*. In imaginem Dei perfectam; nego. Similitudinariam: conc. Imagines similitudinariae potius significando, quam perfecte repraesentando, typum referunt: quo modo, propius secundum animam, minus autem etiam corpore est homo imago Dei; manus divinam significant actionem et providentiam, brachium vero Dei potentiam, oculi scientiam, cor divinam charitatem, etc.

Objic. 3.° Nonnulli Patres corporeum Deum esse dixerunt: ergo saltem non est spiritus purus.

Resp. Explico nonnullorum PP. sententias. Quemadmodum *umbram, vacuum, inane*, ad nihilum significandum usus saepe adhibuit ita *corpus*, rebus illis contrarium, id quod realiter existit, veraque est substantia, non autem inane, fictum et nihil, vere et admodum proprie refert. «Omne quod est, corpus est *sui generis*, nihil est in»corporale nisi quod non est» (1), ait Tertullianus. Tropice ergo,

(1) L. De *Car. Christi*, c. 11.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non proprietate vocis, nonnulli Patrum corpus Deo concesserunt, ut realem ejus significarent substantiam.

33. **Corollarium**. Cum Deus sit *suum esse* per essentiam, patet etiam subsistere, intelligere et vivere per essentiam: aliquem enim *actum*, seu, *essendi* rationem haec omnia indicant.

THESIS IX.

Deus est summe perfectus, seu continet omnes perfectiones, vel formaliter, vel eminenter.

34. **Nota**. Triplex perfectionum genus distinguitur; *mixtae*, quae non sine imperfectione existere possunt; *simplices*, quae simul nequeunt identice conjungi cum aliqua aequali perfectione; et *simpliciter simplices*, quas melius est habere, quam non habere, seu quae nequeunt per alias compensari.

Mixtas esse eminenter in Deo dicimus; *simplices* et *simpliciter simplices* formaliter.

35. Pars I. prob. 1.° Ex Vat. Conc. (1) «Sancta Ecclesia cre»dit unum esse Deum.... omni perfectione infinitum.»

2.° Deus de se Moysi dixit: (2) *Ostendam omne bonum tibi*. Et alibi (3): *Magnus Dominus, et laudabilis nimis, et magnitudinis ejus non est finis*.

3.° Athanasius ait: «In Deo aliquid deesse, non solum dictu impium est, sed omne nefas superat» (4).

Damascenus etiam (5): «Universum id quod est, tamquam immensum et infinitum quoddam essentiae pelagus, complexu suo continet.»

Augustinus quoque ait (6): «Deum esse bonum omnis boni.»

36. 4.° Omnis perfectio est increata vel creata, actualis vel possibilis. Atqui utramque Deus habere debet: ergo inest Deo omnis totaque perfectio.

Confirm. Deus est *ipsum esse* per essentiam (ex Thes. VII:) ergo est in Deo omnis gradus essendi, seu omnis perfectio; «secundum hoc enim dicitur aliquid esse perfectum, secundum quod est actu» (7), ait Doctor Ang.

37. Objic. 1.° Deus est *ipsum esse:* sed *esse* videtur id quod est imperfectissimum; id enim minimum quod potest res habere est *esse*. Ergo videtur Deus imperfectissimus.

Resp. dist. *min. Esse* qualecumque participatum est imperfectissimum: conc. *Esse subsistens*, seu in tota sua latitudine per se ac-

(1) C. *Dei Filius*, cap. I.—(2) Exod. XXXIII, 19.—(3) Ps. CXLIV, 3.—(4) *Orat. cont. gent.* n. 39.—(5) L. I *de Fide*, c. 12.—(6) *Enarratio in ps.* 26, n. 8.—(7) Sum. theol. 1. p. q. 4, a. 1.

tuatum, est imperfectissimum; nego. In hoc sensu se Deus definivit: «Qui est.» (1).

Objic. 2.° Aliquae perfectiones sunt invicem oppositae, ut corpus et spiritus: ergo nequeunt esse omnes in Deo.

Resp. Dist. *conseq*. Nequeunt esse eminenter; nego *consequentiam:* formaliter; subd. Si imperfectionem ferunt; conc. Si perfectiones fuerint simplices (de quibus in Tract. *de Trinit.*), iterum subd. Nequeunt esse invicem identificatae; conc. identificatae cum essentia; nego.

38. **Coroll**. Deus est simpliciter infinitus: hac enim voce solet etiam omnium perfectionum cumulus indicari.

Patet testimoniis adductis et iisdem argumentis. Finitum enim est, quod limitibus afficitur, seu cui aliquid deest ex latitudine essendi, aut actualitatis.

Objic. Si esset infinitus Deus, omnia amplecteretur: ergo non essent alia entia, nec malum aliquod et imperfectio.

Resp. Dist. *ant*. Si esset infinitus *quantitative*, permitto *antec*. Si infinitus est *intensive*, nego *antec*. Nam utique perfectionem omnium entium eminenter continet, non *numerice:* eo ipso quod infinitus est Deus, nequit esse numerice idem cum entibus finitis.

Dein negatur *conseq*. Nam solum deducitur, in ipso ente infinito non posse esse malum, aut imperfectionem, aut entitatem finitam; quod autem alia finita non sint et imperfecta entia, non sequitur; cum Deus non sit *forma*, sed causa tantum illorum efficiens.

THESIS X.

Deus est summe verus et bonus, seu ipsa veritas et bonitas.

39. **Nota** non agimus hic de veritate logica, quae ad scientiam Dei spectat; neque de veritate morali, seu, veracitate, quae pertinet ad sanctitatem; sed de transcendentali, de qua dicitur: «verum et ens convertuntur.»

Prob. 1.° Ex Vat. Conc. (2) «Hic solus verus Deus, bonitate sua...» Et in Symb. Const. «Deum verum de Deo vero.» Joannes quidem XXII illam Ekkardi damnavit proposit.: «Deus non est »bonus... Ita male dico, cum voco Deum bonum, ac si album vo»carem nigrum.»

2.° *Te solum Deum verum*, ait Christus D. (3); *Nemo bonus, nisi solus Deus* (4).

3.° Ex Metaphysica noscimus, ens, verum et bonum transcen-

(1) Exod. III, 14.—(2) C. *Dei Filius*, cap. I—(3) Jo. X, VII. 3.—(4) Luc. XVIII, 19.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dentaliter converti, seu invicem praedicari: Sed Deus est *ipsum esse* per essentiam; ergo et ipsum *verum*, ipsum *bonum*, ipsa veritas et bonitas per essentiam.

THESIS XI.

Deus est summe unus, seu simplicissimus omnino.

40. **Nota**: *Unum* duplici modo dici; transcendentaliter, et relative. Primo modo *unum* convertitur cum ente et ideo cuilibet aliquatenus convenit; secundo autem modo dicitur solum de aliquibus entibus quatenus extra se referuntur, et consortium aliorum in ratione aliqua non habent, unde *unum*, in hoc sensu, est nota negativa, et dicitur etiam *unicum*. In thesi sermo est de unitate transcendentali, de altera enim unitate in Thes. VI. egimus.

Thesis est fide certa, et Prob. 1.° ex Later. IV. (1) «Una essentia simplex omnino.» «Credimus et confitemur, quod una quaedam summa res est... cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino... et sic eadem res est Pater et Filius, nec non Sp. Sanctus.» Et Vatic. Conc. confirmat (2).

41. 2.° Et Patres id docebant; uti Athanasius ait: «Deus indivíduus est... Deus natura simplex (3).»

Et Cyril. Alex. (4): «Nulla est duplicitas et compositio in natura divina, quae simplicitatem tamquam proprium bonum et summam perfectionem obtinet.»

S. Maximus M. apud Euthymium (5): «Sola simplex et uniformis, et nullius indigens, et immutabilis est creatrix universorum substantia. At omnis creatura composita est...»

42. 3.° *Unum* est quod est indivisum a se, et divisum a quolibet alio. Sed Deus est indivisus, imo prorsus *indivisibilis* a se, et divisus a quolibet alio: ergo unus simplexque omnino.

Min. patet. Deus est ens necessarium et actus purus per essentiam: sed ens necessarium et sine ulla potentialitate, nec dividi potest, neque in partem alterius entis venire.

43. 4.° a) Deus constare nequit partibus essentialibus. Si enim illarum quaelibet esset entitas necessaria, plura forent entia a se: quod repugnat (6). Si autem una tantum pars esset ens necessarium, caeterae non forent essentiales Deo uti fingebatur, vel posset Deus deficere.

b) Neque potest ex supposito et natura coalescere. Quia essentia entis necessarii est ipsum esse et actus purus;

(1) Cap. *Firmiter*, et c. *Damnamus*.—(2) C. *Dei Filius*, cap. I.—(3) De decret. Nicae. Syn. n. 11.—(4) L. 9, in Joan.— (5) Panopl. tit. 2, p. 1.—(6) Cap. I, Thes. VI.

sed subsistere est vera perfectio seu actuatio: ergo essentia Dei per se subsistit, non autem per compositionem cum alia entitate.

c) Nec est compositio ex esse et essentia, ut supra dictum est (1).

d) Nequit genere et differentia constitui. Cum enim *esse* Dei sit *ipsum esse* et actus purus, nihil potest dari quod *esse* Dei determinet ad modum differentiae.

e) Compositio accidentalis Deo repugnat. Quia accidens debet inhaerere ac determinare subjectum suum ad aliquid: sed *ipsum esse* et *actus purus* amplius determinari non potest, seu actuari: ergo accidens Deo inesse nequit.

44. Objic. 1.° Deus simplicior existeret si una tantum foret Persona: ergo non est summe unus.

Resp. neg. *ant*. Si enim Personae comparentur cum essentia non est unio et compositio ulla, sed identitas: inter se autem sunt realiter distinctae, adeoque singulae sunt quid unum et simplex.

Objic. 2.° Deus est substantialiter unitus cum humanitate Christi: ergo non est divisus ab alio, neque summe unus.

Resp. Dist. *conseq*. Non est divisus, quasi alienam actuationem participet; nego *consequentiam*. Quatenus pure terminando tribuit, seu complet humanitati subsistentiam; conc. Unio, nempe, hypostatica quemadmodum nullo modo actuat, seu immutat, esse divinum, ita neque ejus summae unitati, seu simplicitati officit.

THESIS XII.

Deus est omnipotens.

45. **Nota**. Duplex est potentia; activa et passiva. Passiva potentia est ad aliquam actuationem recipiendam aptitudo; activa, è contra, ad illam tribuendam. Passivam potentiam Deo prorsus adversari ex supra dictis liquet, cum sit actus purus per essentiam (2). De secunda igitur potentia sermo est, et dicimus, nihil esse possibile quod non possit á Deo ad *esse* reduci, seu nullam esse passivam potentiam quae actuari a Deo nequeat.

46. Thesis est de fide, et Prob. 1.° ex Symbolis: «Credo in Deum, Patrem omnipotentem.»

2.° Ait Dominus: *Pater, omnia tibi possibilia sunt. Apud Deum autem omnia possibilia sunt* (3):

3.° Patres, cum Conciliis, unanimes hoc Dei attributum praedicarunt. Augustinus ait: «Omnipotens est ad facienda majora

(1) Thes. VII.—(2) Thesis VII.—(3) Marc. XIV, 36; Matth. XIX, 26.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»et minora; omnipotens ad facienda coelestia et terrestria... mag»nus in magnis, nec parvus in minimis; postremo omnipotens ad »facienda omnia quae facere voluerit.»

Hieronymus confirmat (1): «Nec mirum si Christus dicatur »omnipotens... qui dicit: omnia, quae Patris sunt, mea sunt. Si au»tem omnia, id est, Deus ex Deo, Dominus ex Domino, lumen de »lumine; ergo et ex omnipotente omnipotens.»

47. 4.° Ab eo pendet omne possibile, a quo pendet cujuslibet possibilis actuatio, seu *esse*. Sed a Deo pendet cujuscumque possibilis *esse*: ergo omnia potest. Maj. patet: nam *possibile* nihil est aliud quam posse *esse*, seu id, quod si supponatur *esse*, vere *est*.

Min. prob. Ens, seu *esse*, adaequate dividitur in *esse a se*, et *esse ab alio*. Sed solus Deus est *esse a se*, et quodlibet *esse ab alio* est pendens ab *esse a se*: ergo a Deo pendet, omne possibile.

48. Objic. 1.° Quodlibet Dei attributum debet esse infinitum; atqui Omnipotentia nequit esse infinita: ergo non potest esse omnipotens.

Resp. Dist. *min.* Non potest esse infinita *entitative;* nego: *terminative;* Subd. Quoad modum agendi; nego *min.* Quoad res factas; iterum subd. Infinita categorematice; conc. Nequit esse infinita syncategorematice; nego.

Nam modus agendi Dei in creandis possibilibus, quamdam infinitam innuit perfectionem: et etiamsi nequeat Deus ens simpliciter infinitum facere, potest plura et plura, majora et majora *sine fine* producere.

49. Objic. 2.° Deus nequit mentiri, peccare, quiescere a cogitatione et amore, etc., ergo non omnia potest.

Resp. nego suppositum, scil., ejusmodi esse possibilia, vel id esse *pure agere*. Ut enim observat Augustinus (2): «Dicitur »Deus omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult; »quod si ei accideret, nequaquam esset omnipotens. Unde propterea »quaedam non potest, quia omnipotens est.»

50. Objic. 3.° Deus nequit facere simul omnia possibilia: ergo limitata ejus est potentia.

Resp. Dist. *Ant.* Eo modo, quo repugnat esse *simul*, nequit Deus facere possibilia omnia; conc. aliter, nego. Potest Deus, ex. gr. condere hominem in statu pure naturali, vel in statu supernaturali: non autem facere potest ut sit homo simul in utroque statu. Potest facere ut existat quidquid est possibile, et Ipse simul potest alia condere; non autem potest virtutem suam exhaurire, quia id repugnat.

---

(1) In *Zachar.* II, 6.—(2) *De Civit. Dei*, l. 5, c. 10.

Objic. 4.° Nequit Deus facere nisi quod est melius: ergo nequit meliora facere quam haec finita, quae fecit.

Resp. Dist. *Ant.* Nisi quod est melius *objective;* nego: nequit facere nisi quod est melius *subjective*, seu quoad agendi perfectionem et modum; concedo *antecedens:* nam licet Deus finita entia et imperfecta *(absolute*, non autem *relative)* producat, perfectissime agit, ut supra notat Augustinus.

51. Objic. 5.° Si potentia Deo inesset, ageret necessario quidquid potest. Sed in hoc magna est dependentia et imperfectio: ergo potentiam Deus non habet.

Maj. prob. Agere est actus secundus, seu ultima determinatio potentiae, seu formalis emanatio effectus a causa. Atqui, si inest Deo potentia, necessario est in actu secundo, seu ultimo determinata, seu habens ultimam formam ad effundendum et producendum effectum. Ergo si potentia Deo inest, agit necessario.

Min. prob. Potentia Dei, quemadmodum quodlibet ejus attributum, nequit in ulla versari indeterminatione seu potentialitate: ergo si inest Deo potentia, est in actu secundo.

Resp. Nego *maj.* Ad probationem autem dist. *maj.* Agere est actus secundus, seu ultima determinatio, se habens ex parte effectus, seu informans effectum; conc. *maj.* Informans ipsam potentiam; nego *maj.* Et dist. *min.* Necessario est in actu secundo, seu ultimo determinata.., quoad omnia ipsam spectantia potentiam, seu intrinsecus; conc. *min.* Ex parte effectus, seu, extrinsecus, nego *min.* et *consequentiam.*

52. Etenim actio non respicit potentiam nisi *ut principium a quo*, ideoque non se habet ut forma et actus ipsius: actio quidem est formalis emanatio effectus *a potentia;* et propterea in effectu ipso, non vero in suo principio, est recipienda.

Hoc modo discernit D. Angelicus actiones vitales, seu immanentes, a non vitalibus. «Manifestum est quod potentia dicitur »in Deo per respectum ad facta, secundum rei veritatem, non per »respectum ad actionem... Unde si aliquae actiones Deo conveniunt, »quae non in aliquod factum transeant, *sed maneant* in agente, res»pectu harum non dicitur in Deo potentia, nisi secundum modum »intelligendi, non secundum rei veritatem; hujusmodi autem ac»tiones sunt intelligere et velle. Potentia igitur Dei, proprie lo»quendo, non respicit hujusmodi actiones, sed solos effectus.» *Contr. Gentes*, l. 2. sub cap. 10 (ex codice autogr. Edit. Uccelli).

Item in Summa (P. 1, q. 25, a. 1. ad 1): «Potentia activa non di»viditur contra actum, sed fundatur in eo; nam unumquodque agit »secundum quod est in actu: potentia vero passiva dividitur contra »actum; nam unumquodque patitur secundum quod est in po»tentia.»

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Confer etiam (ibid.) *Contr. Gent.* l. 1, c. 45; nam eamdem ibi tradit actionis immanentis et transeuntis differentiam: «Intelligere est »actus intelligentis *in ipso existens*, non in aliquid extrinsecum »transiens, sicut calefactio transit in calefactum...» Haec perpendant veri sancti Thomae discipuli.

53. **Corollarium** 1.m Potentia Dei est infinita. Nullum enim est ens possibile, ad quod non se porrigere valeat; nullumque, quod ab infinitudine divini esse non infinite superetur. Hinc ait Hilarius (1): «Deus est immensae virtutis vivens potestas.» Et Damascenus (2): «Credimus in unum Deum... immensa »vi praeditum... potentiam nulla mensura comprehensam et intel»lectam, verum ejusmodi ut eam sola sua voluntas metiatur... »essentias omnes penetrantem, omnibus rebus ulteriorem, atque »ab omni essentia, ut quae essentia omni sublimior sit, exemp»tam.»

54. **Corollar.** 2.m Plura et majora iis, quae fecit, potest Deus absolute facere.

Nam quaecumque fecit Deus finita sunt numero et perfectione. Hinc damnata ab Innocentio II et Conc. Senon. illa Abaelardi propositio: «Quod ea solummodo possit Deus facere, vel eo »modo tantum, vel eo tempore, quo facit, et non alio.»

Paulus (3) ait: *Potens est omnia facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus.*

Vide Augustinum, supra in Thesi; et Tertullianum, (l. *adv. Praxeam*, c. 10); et Athanasium, (Orat. 2, *contra Arian.*).

THESIS XIII.

Deus est summe justus, sanctus et misericors.

55. **Nota.** Justitiam intelligimus voluntatis ad omnem honestatem, praesertim ad cuique suum reddendum, habitudinem. Sanctum dicitur quod ad divinae majestatis honorem et gloriam est dedicatum. Misericordia est voluntatis apta dispositio ad subveniendum alienae miseriae.

I. Pars, quae, cum tota Thesi, est fide certa, probatur. 1.° Ait Propheta (4): *Justus Dominus et justitias dilexit; aequitatem vidit vultus ejus.* Et Apostolus (5): *Proprio Filio suo non pepercit Deus.* Et iterum (6): *Reddet mihi Dominus in illa die justus*

(1) *De Trinit.* l. 8, n. 24. — (2) *De fide*, l. 1, cap. 8. — (3) Eph., III, 20. — (4) Ps. X, 8. — (5) Rom., VIII, 32. — (6) II Tim. IV, 8.

judex. Daniel autem (1): *Justus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis.*

2.° Trident. Conc. ait (2): «Sine magnis nostris fletibus et »laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam pos»sumus» ad integram peccatorum remissionem.

56. Unanimis est Patrum in hac re consensus: ex. gr. Athanasius (3): «Quia ergo natura justus est et sanctus, idcirco »justitiam diligere et iniquitatem odio habere dicitur; quod per»inde est ac si dicas, eum homines virtute praeditos amare et ad»mittere, injustos vero repellere et odisse.» Hieronymus (4): «Si enim Dominus justitia est, veritas, sanctitas, ceteraeque vir»tutes, quisquis injuste fecit, et mentitus est, et scorta, vitiaque »sectatus est, Domino peccavit.»

57. II. Pars prob. 1.° *Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum* (5), ait ipse Deus. Apud Isaiam autem canunt (6) Seraphim: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.*

2.° PP. Toletani Conc. XI ajunt: «Confitemur et credi»mus sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem, Filium et »Spiritum Sanctum, unum Deum.» Pariter Conc. Later. sub Martino I ait: «Sanctae et consubstantialis et venerandae Tri»nitatis Deum Verbum.» Can. II.

Athanasius autem Deum natura sanctum esse testatur (hic supra). De illo autem Seraphim sacro eloquio ait (7): «Patrem et »Filium et Spiritum S. glorificant.» Et eodem modo commentat Hieronymus. Ambrosius pariter (8): «Ergo sanctus Pater, »sanctus Filius, sanctus et Spiritus... Una est vera sanctitas, sicut »una est vera divinitas; una illa vera sanctitas naturalis.»

58. 3.° Nequit Deus quidquam velle aut agere, quod ad sui ipsius bonitatem et gloriam non dirigatur: ergo est necessario Sanctus. *Ant.* probatur. Isaiae (9) dicitur: *Ego Dominus... gloriam meam alteri non dabo.*

Confir. 1.° Nihil potest Deus velle aut agere quod non sit intrinsecus participatio et testificatio divinae bonitatis et gloriae. Atqui quod est participatio et testificatio divinae bonitatis et gloriae, ad Dei bonitatem et gloriam ordinatur: ergo quidquid Deus vult et agit, ad Ipsius ordinatur gloriam.

Confir. 2.° Deus est in omni perfectione infinite perfectus. Sed si quidquam vellet aut ageret, quod non tenderet ad ejus bonitatem et gloriam, non esset infinite perfectus: ergo omnia ordinat Deus ad suam gloriam et bonitatem.

(1) Dan. IX, 14.— (2) Sess. 14, c. 2.—(3) Orat. 1 *contr. Arian.* n. 52.—(4) In Habac. c. III, v. 17. — (5) I Petr. I, 6.— (6) C. VI, v. 3.— (7) *De Incar. contr. Arian.*, 10.— (8) De Sp. S., l. 3, c. 16.— (9) C. XLII, 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

59. III. Pars prob. Ait Jonas propheta (1): *Patiens et multae miserationis et ignoscens*, Deus, scilicet. Et David (2): *Suavis Dominus universis, et miserationes ejus super omnia opera ejus.* Apostolus autem (loc. cit.): *Proprio Filio suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?*

2.° A Trident. Conc. (3) Deus dicitur: «Pater misericor»diarum, et Deus totius consolationis.» Hieronymus ait (4): «Deus natura misericors est, et paratus ut salvet clementia, quos »non potest salvare justitia: nos autem vitio nostro paratam mise»ricordiam et ultro se offerentem perdimus et relinquimus.»

3.° Tota Thesis ratione confirmatur. Justitia, sanctitas et misericordia sunt perfectiones simplices. Atqui in Deo omnes existunt formaliter perfectiones ejusmodi: ergo Deus justus est, sanctus et misericors. *Min.* supra (Thes. IX) patet.

60. Objic. 1.° Justitia et misericordia oppositae videntur: ergo simul Deo convenire nequeunt. *Ant.* prob. Justitia poenas delictis imponi jubet; misericordia autem condonari: ergo inter se opponuntur.

Resp. Neg. *ant.* Ad probationem autem dist. *ant.* Imponi jubet poenas donec non fiat remissio; conc. Aliter, nego.

Inst. 1.° Ipsa justitia postulat non remitti culpas, sed puniri: è contra misericordia: ergo absolute adversantur.

Resp. Dist *ant.* Postulat non remitti dum non cedit è jure suo Deus offensus; conc. Aliter; nego.

Inst. 2.° Si Deus offensus cedit è jure suo, non splendet justitia. Sed Dei gloria exigit ut justitia effulgeat: ergo ne remittat Deus postulat gloria divinae justitiae.

Resp. 1.° Dist *min.* Exigit Dei gloria, *id est*, consonum est Dei gloriae; ut justitia effulgeat; conc. Existit aliqua necessitas apud Deum; nego.

Resp. 2.° Exigit ut effulgeat justitia in omnibus offensis; nego *min.* In aliquibus; transeat. Hac oeconomia possunt simul emicare divina justitia et misericordia, juxta *Apostolum* (5).

Resp. 3.° Dist. *maj.* Si cedat Deus offensus è jure suo tum erga omnes offensores, tum erga Mediatorem, non splendet justitia; conc. *maj.* Si tantum cedat erga illos; nego.

Mira igitur Dei sapientia factum est, ut tum justitia, tum misericordia clarissime effulgerent: *Proprio enim Filio suo non pepercit...* ut supra diximus.

(1) C. IV, 2.—(2) Ps. CXLIV, 9.—(3) Sess. VI, c. 2.— (4) In Jonam, c. II, v. 9.— (5) Rom. IX, 22, 23.

61. Objic. 2.° Sanctum idem est ac Deo consecratum; quod concipi non potest sine aliqua distinctione inter Deum et illud quod eidem consecratur, et absque aliqua potestate consecrantis et ejus cui consecratur, in rem consecratam: sed haec Deo repugnant; ergo sanctus dici non potest.

Resp. Dist. *maj.* Sanctum *adjective;* conc. *substantive* sanctum concipi non potest sine aliqua distinctione et potestate, etc., nego *maj.*

Deus, potius *sanctitas*, quam sanctus; *misericordia*, quam misericors, dicendus, uti notat Philippus, Hieronymi discipulus insignis (1): «Non solum misericors (Deus), sed et misericordia di»citur: quia misericors a misericordia, et ideo quasi prototypon »nomen, majus est, quam deductio nuncupata. Quicumque ergo »sanctorum potest dici misericors, verax, justus: nemo tamen »eorum dicitur misericordia, et veritas, et justitia.» Sic Hieronymus supra, in probatione primae partis Theseos.

ARTICULUS II.

Dei perfectiones negative explicatae

THESIS XIV.

62. Deus est immutabilis, aeternus et immensus. Propositio est de fide quoad singulas partes.

Pars I. prob. 1.° Ex Vat. Conc. (2). «Cum sit simplex omni»no et incommutabilis.» Et Lateran. Conc. sub Martino I. «Si quis non confitetur... unum Deum, unam Deitatem inconditam, »immutabilem... condemnatus sit.»

2.° *Ego Dominus et non mutor.* (3) *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obrumbratio* (4). Unde sacrae Litterae aperte testantur.

3.° S. Ambrosius (5) refert hanc Conc. Nicaen. definitionem: «Eos, qui dicunt: erat quando non erat; aut mutabilem Fi»lium Dei; anathematizat Catholica et Apostolica Ecclesia.» Et ibidem (6) subjicit: «Arius dicit mutabilem Dei Filium: quomodo er»go Deus, si mutabilis? Cum ipse dixerit: *Ego sum et non sum mu»tatus.*»

4.° Res omnino simplex mutari nequit quin totaliter mutetur, seu desinat esse; sed Deus est simplicissimus et existit necessario; ergo est immutabilis. *Min.* supra (Thes. XI), ostensa fuit.

(1) In Job. c. XXIV, 20. Inter opera Hieronymi.—(2) C. *Dei Filius*, cap. I. — (3) Malach. III, 6.— (4) Jac. I, 17. — (5) L. 1, *de Fide*, c. 18, n. 120.— (6) L. 19, n. 131.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Confirm. Motus, seu mutatio, est actus entis in potentia: sed Deus est actus purus; ergo mutari non potest. *Min.* retro fuit probata, (Thes. VII).

63. Objic. 1.° Deum poenitere, irasci, converti, aliisque affici passionibus, passim Scriptura S. testatur: ergo mutationibus subjicitur.

Resp. Dicitur Deum eo modo affici *metaphorice;* conc. *Proprie;* negatur. Pari modo dicitur; manus habere, et os, etc.

Objic. 2.° *Omnium mobilior est sapientia*, divina, scilicet (1): ergo mutatur.

Resp. *Mobilior* virtualiter, quatenus omnia movet; conc. Formaliter; nego.

Objic. 3.° Deus in tempore creavit mundum: sed creare est agere, actuari: ergo in tempore Deus actuatus, ideoque mutatus est.

Resp. Dist *min.* Agere est *actuari*, formaliter; nego: agere enim non est actuari sed actuare. Agere est *actuari*, si supponitur agens in *potentia;* concedo, tunc agentem actuari materialiter et per accidens. Cum Deus sit actus purus, numquam actuatione ulla indiget ut agat quae decrevit agere.

Inst. Nunc Deus est Creator, cum antea non esset; nunc cognoscit existere mundum, quod prius non cognoscebat; sed esse Creator, cognoscere, significat quippiam reale in Deo; ergo mutatus est.

Resp. Dist. *min.* In Deo *tantum;* nego min. Simul in Deo et in termino creationis et cogitationis; conc.

Jam vero, quod nunc *sit Creator*, et nunc *cognoscat*, provenit ex mutatione termini, non vero ex mutatione Dei: ab aeterno enim habuit eumdem, quo creat et cognoscit, actum.

64. II.ª Pars prob. 1.° Concil. Vatic. docet. «Sancta catho»lica Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum... aeternum, »immensum, incomprehensibilem...» (C. *Dei Filius*, cap. I.)

2.° SS. Scripturae clare loquuntur. *Vivo ego in aeternum* (2): *Dominus in aeternum permanet* (3): *Qui vivit in aeternum creavit omnia simul; Deus solus justificabitur et manet invictus rex in aeternum* (4).

3.° Propria et perfecta aeternitas excludit initium, finem et quamlibet successionem; quod enim successionem patitur, secundum aliquid desinit esse. Sed Deus ens necessarium, initium et finem habere non potest; successio autem quaevis illi repugnat, quia immutabilis existit: ergo aeternus est.

(1) Sap. VII, 22.—(2) Deut. XXXII, 40.—(3) Ps. IX, 8.—(4) Eccli. XVIII, 1.

Confirm. Duratio transiens, vel successiva, concipi nequit sine aliqua potentialitate: sed Deus est actus purus per essentiam; ergo et aeternus essentialiter.

65. Objic. 1.° Aeternitas rebus pluribus in SS. Litteris tribuitur; sed convenit illis improprie, seu metaphorice; ergo impropria etiam de Deo censeri potest.

Resp. Dist. *min.* Convenit illis metaphorice, cum rerum adjuncta sensum exigunt improprium; conc. Aliter; nego *minorem*, et inde *consequentiam*.

Objic. 2.° Patres nonnulli aeternitatem soli Patri concedunt: ergo Dei non est attributum.

Resp. Dist. *ant.* per *appropriationem*, ut in schola dicitur, soli Patri convenit; conc. juxta proprietatem; nego *ant.* Cum enim solus Pater absque origine et processione subsistat, illi, ex *congruentia*, *appropriatur* seu attribuitur aeternitas.

66. III. Pars prob. 1.° Ex Vat. Conc. (ibid.): «Sancta Ecclesia »credit unum esse Deum... aeternum, immensum.» In Symb. Athan. «Immensus Pater, immensus Filius, immensus Sp. »Sanctus.»

2.° Propheta ait: *Magnus est et non habet finem, excelsus et immensus* (1). Et Salomon: *Coeli coelorum te capere non possunt*. (2).

3.° Athanasius, dicit (3): «Ne quaeretis loci magnitudinem, »ut quae possit Dei magnitudinem capere; non enim immensum »in menso est.»

Cyrillus Hierosoly. (4): «In loco minime definitus, sed lo»corum opifex; in omnibus existens et a nullo circumscriptus; »unus est ubique praesens.»

Haec sint in exemplum; nam una est Patrum doctrina.

67. 3.° Ad rationem intelligendam prae oculis habendum, triplicem dari rerum praesentiam; per cognitionem, aut per actionem, aut per essentiam. De prima agetur, cum Dei omnimodam scientiam ostendemus; de secunda, ubi de divina potentia creante et conservante; de tertia hic est quaestio: quod Dei, nempe, substantia, seu essentia in omnibus necessario existat locis, vi suae immensitatis absque ullo motu.

68. a) Ratio fundamentalis est, quia praesentia ejusmodi est perfectio; in entibus quidem finitis non sine imperfectione aliqua, quum sit limitata, in se autem est perfectio pura. Sed in Deo sunt perfectiones omnes quavis dempta imperfectione: ergo Deus habet

(1) Baruch, III, 25.—(2) III, Reg. VIII, 27.—(3) *Contr. Sabell.* n. 10.—(4) Cateches. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

praesentiam, secundum essentiam, prorsus illimitatam, seu est immensus.

Majoris veritatem jure possemus uti certam assumere, et a philosophis demonstratam: verum quia nonnulli incaute eam prorsus evertunt, paucis confirmare juvabit.

Ut ens reale praesentiam accipiat, determinari virtute aliqua reali ac positiva debet. Sed nisi praesentia foret vera ac realis perfectio, non opus esset virtute ulla ad eam assequendam: ergo praesentia perfectionem aliquam sibi vindicat.

Maj. patet. Non enim sufficit quod ens existat, quod producatur secundum essentiam, ut sit hic vel ibi praesens, Romae, ex. gr. Ergo determinari debet; haec autem determinatio non est fictio, seu solae rationis inventum; est igitur realis, seu ex virtute reali et positiva.

Confirm. Quum ens determinatam acceperit praesentiam, ut eam deponat, aliamque accipiat, opus est quoque virtute aliqua et actione reali ac positiva: puta, ut transferatur a basilica Sti. Petri, ad illam S. Pauli. Atqui si praesentia nihil haberet entitatis, seu perfectionis, ut una in aliam mutaretur nullius opus esset realis potentiae et actionis: ergo perfectionem et entitatem indicat rerum praesentia.

69. b) Dei immensitatem possumus insuper probare; quia vel Deus omnem omnino possibilem habet essentialem praesentiam, vel nullam, ita ut nullibi sit. Sed quod nullibi sit praesens est falsum et absurdum. Ergo est ubique necessarioque praesens.

Maj. patet. Quia nihil limitatum in Deo invenitur: si ergo aliqua conceditur Dei substantialis praesentia, omnis possibilis est concedenda.

Minor autem sensu communi aperte constat, et Scripturarum testimoniis: *Si ascendero in coelum tu illic es; si descendero in infernum, ades* (1). *Non longe est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur et sumus* (2).

70. Objic. 1.° Deus non est ubique: ergo immensus esse non potest.

Ant. prob. *Coelum coeli Domino* (3): *Ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (4).

Resp. Dist. *ant.* Non est ubique essentialiter; nego: actione *aliqua speciali*; conc. Etenim in coelo praesens est visione intuitiva, qua beatis se ostendit; in justis autem, sanctificatione gratiae, qua eis communicatur. Non omnibus ergo actionibus est ubique *secundum potentiam* praesens.

(1) Ps. CXXXVIII, 8.—(2) Act. XVII, 27, 28.—(3) Ps. CXIII.—(4) Jo. XIV, 23.

Objic. 2.° Deum esse in loco plures negant Patres. Ergo neque in omni loco esse potest.

Resp. Explico *antec.* Esse in loco *circumscriptive* vel definitive, ad modum aliarum rerum: conc. Esse enim *in loco*, communi loquendi modo, non sine aliqua *determinatione* dicitur ad talem locum; ideo negant Patres Deum in loco existere. Negamus autem eos excludere immensitatem, seu esse in omni loco sine mensura, sine ulla determinatione.

Objic. 3.° Si Deus est totus in singulis locis, multiplicatur; si solum totus in toto loco, diffunditur et extenditur: ergo in nullo existit loco.

Resp. Nego primam *antecedentis* partem. Nam simplex una et infinita Dei praesentia id praestat, quod omnes et singulae finitae rerum praesentiae praestare valent: unde sine extensione et diffusione est ubique et immensus Deus, totus in toto loco, totus in singulis locis, quin multiplicetur.

THESIS XV.

Deus est incomprehensibilis omni creato intellectui et ineffabilis.

71. Thesis fide certa, quoad utramque partem, dicenda.

Pars I prob. 1.° Conc. Vat. (1) ait: «Sancta Catholica Eccle»sia credit et confitetur unum Deum... incomprehensibilem.» Quod et definiverat Later. IV. c. *Firmiter*.

2.° *Magnus consilio et incomprehensibilis cogitatu*, ait Jeremias (2).

Et Paulus (3): *Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus.*

3.° Patres consentiunt. Gregor. Naz. (4): «Quorsum haec »disserui... Ut ostenderem... Deum totum quantus est, nec cogita»ri atque animo informari posse.» Et iterum: «Quemadmodum »nemo est, qui aërem totum unquam hauserit; ita Dei naturam nec »mens unquam ulla prorsus concepit, nec vox ulla complexa est.»

Augustinus (5): «Videre Deum in propria natura, promitti»tur Sanctis in alia vita... Non quia Dei plenitudinem quisquam »non solum oculis corporis, sed vel ipsa mente aliquando compre»hendit. Aliud est enim videre, aliud est totum videndo compre»hendere.»

Damascenus (6): «Deus neque oratione ulla explicari, nec »ullo modo comprehendi potest.» Rationem ipse tradit (7): «Quod

(1) Const. *Dei Filius*, cap. I. — (2) Cap. XXXII, 19. — (3) Rom. XI, 33. — (4) Orat. 27, et Orat. 30. — (5) Ep. 147, n. 21, Cl. III. —(6) *De Fide*, l. 1, c. 1.— (7) C. 4, ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»cognitionem superat, supra essentiam quoque erit: infinitus igi»tur est Deus et incomprehensibilis.»

72. 4.° Comprehendere est mente amplecti, seu exhaurire, objecti apprehensi intelligibilitatem; vel, ut explicat D. Angelicus, cognoscere objectum, *quantum est cognoscibile* (1). Atqui repugnat Deum ab intellectu creato intelligi quantum est intelligibilis: ergo et comprehendi.

Min. prob. Intellectus divinus non superat, sed adaequat solum Dei intelligibilitatem. Atqui intellectus divinus habet vim intelligendi infinitam et superantem infinite quamlibet creatam intelligentiam: ergo quaevis creata intellectio infinite distat a Dei intelligibilitate, ideoque repugnat Deum ab intellectu creato comprehendi. *Maj.* et *min.* patent ex dictis supra (2); quod Deus, scilicet, est suum intelligere, et suum esse, et ipsum esse, et ipsum verum: unde in illo intelligibilitas, et intelligere, et vis intelligendi sunt infinita et identificantur.

73. Objic. Quaelibet res est cognoscibilis a Deo: nulla ergo poterit nisi a Deo comprehendi; quia, quantum est divinitus cognoscibilis, nullus unquam alius intellectus poterit rem aliquam cognoscere.

Resp. nego suppositum. Quum enim dicimus, *quantum* est *cognoscibilis*, non intelligimus cognoscibilitatem *extrinsecam*, seu per denominationem ab intellectu cognoscente; sed radicalem et intrinsecam, quae sita est in veritate objecti transcendentali. Haec ergo intelligibilitas, de qua nos agimus, est illa, quae adaequate expleretur, seu exhauriretur, si objectum se ipsum intelligeret vi intellectiva omnino aequali suae perfectioni. Unde quod a Deo intelligibilis sit res omnis finita, non pertinet vel requiritur ad hujus comprehensionem, sed ad *super comprehensionem:* et propterea Deus non super comprehendit se ipsum, quia non excedit vis ejus intellectiva intelligibilitatem suam.

74. II. Pars deducitur ex priori. Nam quod non potest mente comprehendi, neque poterit verbis explicari. Ideo Later. Conc. (ibid.) ait: «Credimus quod unus et solus est verus Deus... incomprehensibilis, ineffabilis.» Confirm. ex Nazianzeno et Damasceno in I.ª parte laudatis.

(1) 1, p. q. 12, a. 7.—(2) Thes. VIII; coroll. Thes. XI.

SCHOLIA

De natura comprehensionis.

Ad pleniorem hujus celebris, gravissimaeque quaestionis intelligentiam nonnulla adjiciemus.

75. *Comprehensio* dicitur aliquando pro simplici assecutione rei, ut loquitur Paulus ad Corinthios (1). Nonnumquam autem pro quavis perspicua intellectione; ut ipse Paulus ad Ephesios (2). Denique *comprehensio* stricte dicitur, ut in thesi explicatum.

76. II. In quo autem sensu haec stricta *comprehensio* sit praecise intelligenda, non exigua est disceptatio. Aliqui Theologi, ut Arriaga, Merati, etc. putant, non esse de fide, quod Deus sit *absolute* incomprehensibilis; quia argumenta allata explicari possent de praesenti vitae statu, non vero pro casu beatificae visionis. Fatentur tamen falsam ac temerariam fore opinionem, quod possint beati Deum comprehendere. Videntur autem AA. isti in contradictionem decidere: si enim *certum est*, a beatis quoque non posse Deum comprehendi, oportet definitiones praedictas fidei in sensu absoluto, uti sonant, accipere: hic enim sensus certus est, ut fatentur, et aliunde nullo modo in illis innuitur quod sit restringendus. Propterea, cum Suarezio, dicimus: esse de fide, non posse, neque de potentia absoluta, Deum a creatura ulla comprehendi.

77. III. Quid autem requiratur, vel sufficiat, ut intelligatur objectum quantum est intelligibile, non facile est definire.

Praetermissis nonnullis minoris momenti opinionibus praecipue in quaestionem vocatur; utrum illud *quantum est intelligibile*, seu cognoscibile, accipiendum sit de quantitate *extensiva*, an etiam de *intensiva*.

Objecti inteligibilitas *extensiva* constituitur per ea omnia quae in illo sunt formaliter et eminenter: *intensiva* autem est illa claritas talis vel tanta, qua capax est, postulatque objectum intelligi. Censent igitur communi consensu theologi, ad strictam comprehensionem esse prorsus necessarium, ut omnia illa intelligantur, quae objecto insunt formaliter vel eminenter; idque clare, distincte, certo. Si enim obscure, vel probabiliter tantum dignoscerentur, plusquam apertum est, non posse id comprehensionem vocari; obscura enim ac probabilis cognitio non est sine aliqua objecti ignorantia. Utrum autem haec extensiva comprehensio necessario conjungatur cum intensiva, vel sejunctim esse possit, cardo est dif-

(1) I, c. IX, 24.—(2) III, 18.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ficultatis. Discipuli D. Thomae communiter sentiunt unam ab alia comprehensione sejungi non posse; quod solidis probat Suarezius (1) argumentis in Tract. *de Incarnat.* Alii è contra, affirmant separari posse, ideoque non comprehensurum beatum Dei essentiam, absolute et simpliciter loquendo, ex eo tantum quod omnia videret, quae in Deo formaliter et eminenter existunt: etenim, ajunt, non idcirco pertingeret ad eam summam claritatem, qua se ipsum Deus videt et comprehendit, postulatque videri.

78. IV. D. Thomas videtur ex altera parte, cum Suarezio aliisque suis stare discipulis, dum ait (2): «Quaedam sunt in sola »divina potentia; et ejusmodi non omnia cognoscit in Verbo anima »Christi: hoc enim esset comprehendere omnia quae Deus facere »potest, quod esset *comprehendere* divinam virtutem, et per conse»quens divinam essentiam.» Et secundam solvens difficultatem mentem suam penitus aperire videtur: «Deus *in tantum perfectius* »cognoscit suam essentiam quam anima Christi, quod eam compre»hendit. *Et ideo* cognoscit omnia, non solum quae sunt in actu... »sed etiam omnia quaecumque facere potest.» Non ergo disjunguntur comprehensiones in Deo, intensiva et extensiva, sed una per aliam constituitur et intelligitur.

Verum è contra, alteri videtur accedere sententiae, quum (ibidem) ad tertiam respondet objectionem: «Quantitas scientiae non »solum attenditur secundum numerum scibilium; sed etiam secun»dum claritatem cognitionis. Quamvis igitur scientia animae Chris»ti, quam habet in Verbo, parificetur scientiae visionis, quam Deus »habet in se ipso, quantum ad numerum scibilium; scientia tamen »Dei excedit in infinitum, quantum ad claritatem cognitionis, scien»tiam animae Christi; quia lumen increatum divini intellectus...»

Notemus tamen in his verbis nihil de *comprehensione* dicere, sed de illa loqui perfectione scientiae, quae *claritas* dicitur; hanc autem dicit pendere in Deo ex lumine increato; in anima vero Christi, ex lumine gloriae creato. Deinde ne putaremus hujusmodi excessum subjectivum, ex parte luminis, posse esse sufficiens discrimen formale scientiae comprehensivae, subdit immediate: «Licet absolute »loquendo, scientia divina excedat scientiam animae Christi, non »solum quantum ad modum cognoscendi, sed etiam quantum ad »numerum scibilium, ut dictum est.»

79. V. His ergo praemissis; **Dico**: licet ubi agitur de rei creatae comprehensione possit major vel minor claritas adjungi; tamen ad Dei extensivam comprehensionem summa et infinita opus est clari-

(1) In 3 p. disp. 26, Sec. 1.—(2) 3. p. q. 10, a. 2.

tate; ideoque omnia quae in Deo formaliter et eminenter existunt, a nullo possunt intellectu creato, ne extensive quidem, comprehendi.

Prima propositionis pars a nullo, puto, negabitur: quia si Angelus comprehendit essentiam suam, illam superior Angelus majori lumine et claritate intelliget, Deus vero longe, imo infinite majori.

79. Secunda autem pars probatur. 1.° *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei* (1). Hic de extensiva sermo est comprehensione, ut patet; tamen ut propria Dei exhibetur, ideo sancti Patres inde divinitatem Spiritus Sancti probant.

2.° Patres dum Deum incomprehensibilem declarant, de extensiva se loqui aperte significant. Augustinus (loco supra cit.) ait: «Totum autem comprehenditur videndo, quod ita videtur, ut »*nihil ejus* lateat videntem.» Ambrosius (ut refert ibidem August.) dicit: «Deum nemo vidit umquam: quia eam, quae in »Deo habitat, plenitudinem divinitatis nemo conspexit, nemo »mente aut oculis comprehendit.»

Perpendas quoque Gregorii M. verba (2): «Nec ita videbi»mus, sicut videt ipse se ipsum. Longe quippe dispariliter videt »Creator se, quam videt creatura Creatorem. Nam *quantum ad* »*immensitatem Dei*, quidam nobis modus figitur contemplationis, »qui eo ipso pondere circumscribimur, quo creatura sumus.» Ecce igitur, non ex sola intensitate visionis, seu claritate, sed ex parte ipsius objecti modus et circumscriptio existit.

Vide, in thesi, Greg. Nazianzeni verba, quae id confirmant. Athanasius autem, Pauli supra laudata expendens verba, ait (3): «Sat haec ad persuadendum vel cuivis contentioso, »ne dicat creaturam esse Dei, eum qui est in Deo, *quique profunda Dei scrutatur*.»

80. 3.° Extensiva Dei comprehensio in eo consistit, quod evidenter dignoscatur quidquid veritatis, sive formaliter sive eminenter, in Deo existit. Sed ad istud summo et infinito opus est lumine intellectivo; ideoque infinita claritate: ergo ad Dei extensivam comprehensionem infinita requiritur claritas.

Min. prob. Lumen intellectivum Dei, et veritas objectiva ipsius; seu, Deus ut *intelligens*, et ut *veritas* adaequate sumpta, aeque infinitus et omnino idem existit: sed ad veritatem infinitam, et identificatam cum infinito lumine, adaequate dignoscendam, opus est lumine intellectivo infinito; ergo, ad... etc.

(1) I Cor. II, 10. — (2) Lib. 19, in c. 27. B. Job. — (3) Ad Serapion. ep. 3, n. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Min. duplici ratione est apertissima; prima, quia alias non esset proportio inter vim intellectivam, et objectum quod dignoscendum est: secunda; quia aliter *esse* Dei non esset suum *intelligere*, seu suum lumen intellectivum. Si enim *esse* Dei est suum lumen intellectivum, actus essendi, et actus claritasque intelligendi sunt necessario aequalia, imo idem: ergo ad veritatem infinitam et lumini infinito identificatam adaequate intelligendam requiritur lumen infinitum.

Confirm. *Comprehensio*, vi suae significationis, seu in sensu obvio ac naturali vocis, significat mente objectum ambire, nihil ejusdem extra conceptionem linquere; ut explicat Augustinus (1): «Quod ita videtur ut nihil ejus lateat videntem, aut cujus fines cir»cumspici possunt.» Ergo opinio illa, quae praeter hoc postulat quemdam in lumine, seu claritate intellectionis, excessum et gradum, recedit ab obvio et naturali doctrinae catholicae sensu.

81. Objic. 1.° Certum est, ex communi consensu, non sufficere ad comprehensionem, cognitionem obscuram *omnium* quae objecto insunt; requiri autem cognitionem claram: atqui potest objectum esse dignum et capax cognitionis *clarioris*, aut *clarissimae:* ergo in data hypothesi ad comprehensionem *extensivam* non erit necessaria *intensiva*. Igitur in Deo id accidere non est negandum.

Resp. 1.° Permitto totum, et nego paritatem et ultimam consequentiam. Probatum est in thesi inseparabilem esse in Deo utramque comprehensionem.

Resp. 2.° Dist *min*. Objectum potest esse dignum clarioris cognitionis, si per cognitionem claram extensive non comprehendatur; conc. Aliter nego *min*. Si enim per illam claram cognitionem objectum formaliter, et eminenter, et quoad *omnes respectus* adaequate et clare cognoscitur, ut quid fingitur *dignum* et capax majoris claritatis? Nulla jam in eo superest dignitas, aut exigentia illius excessus, sed potius ut accidentalis, et ultra ejusdem dignitatem et capacitatem, adjungitur.

82. Objic. 2.° Ut amor sit *intensive* comprehensivus non sufficit amare omnia quae formaliter et eminenter in objecto sunt; opus est *intensione* amoris digna tali objecto. Ergo idem de cognitionis claritate dicendum, seu comprehensione.

Resp. neg. paritatem. Amor enim impulsum, tendentiam in bonum secum fert; in hoc sane gradus diversi, objecto eodem permanente, concipiuntur. Cognitio autem clara est imago et similitudo objecti: atqui cum objectum adaequate representatur *quoad omnia*, plus adhuc assimilari ac representari, est contradictorium.

(1) Ep. 147, seu 112, c. 9.

83. Objic. 3.° Deus non tantum omnia perspicit, quae in se sunt formaliter et eminenter, sed etiam infinita claritate ea intuetur. Si ergo illud prius ad absolutam comprehensionem sufficit, dicere oportebit, Deum non tantum se comprehendere, sed *super-comprehendere;* quod suam videtur infinitatem dedecere.

Resp. Nego suppositum in *minori*. Supponitur enim quod infinita divini intellectus claritas excedat, seu non requiratur, ad omnia clare intuenda, que in Deo sunt formaliter et eminenter. Hoc autem negamus propter traditas supra rationes.

84. Objic. 4.° Nequeunt clare cognosci omnia quae formaliter et eminenter in Deo sunt, quin entia alia dignoscantur. Sed comprehensio Dei nequit constitui formaliter per cognitionem aliorum entium; ergo comprehensio simpliciter dicta, non est comprehensio extensiva, id est, cognitio eorum omnium quac in Deo sunt formaliter et eminenter; sed intensiva, id est, summa claritas in Dei cognitione.

Min. probatur: «Quod per visionem essentiae divinae intelligan»tur omnia vera, etiam quae sunt a Deo distincta, haec non est *for»malis ratio* comprehensionis essentiae in se ipsa, sed est aliqua »proprietas vel aliquod consequens comprehensionem» (1). Sic praeclarus ac recens theologus.

Confirm. «Formalis ratio inaequalitatis in visione intuitiva, qua »omnes beati vident Deum sicut in se est, quatenus est visio essen»tiae ut objecti primarii, constituitur majori vel minori intensione »et claritate visionis, non autem majori vel minore *extensione* quoad »objectum secundarium, licet haec differentia extensionis ex diffe»rentia *intensionis* consequatur. Ergo eodem modo discrimen for»male inter comprehensionem et *visionem intuitivam* declarandum »est ex visione ipsius objecti primarii; quoad hoc autem non diffe»runt *extensione* sed solum *intensione et claritate.*» (ibid.)

85. Resp. Dist. *min*. Nequit constitui formaliter per cognitionem aliorum entium, *adaequate;* conc. *Inadaequate;* subd. Per cognitionem *directam;* conc. Per cognitionem in ipsa, seu per ipsam divinam essentiam; nego.

Ad rationem: Dist. Est aliqua proprietas consequens comprehensionem *inadaequate* sumptam; conc. *Adaequate* sumptam nego.

Ad confirm. Dist. Non autem majori vel minori *extensione* quoad objectum secundarium *directe* cognitum; conc. Per essentiam cognitum: subd. Non constituitur adaequate; conc. Inadaequate; nego.

Tota haec difficultas quamdam prae se fert ambiguitatem quae in falsam posset opinionem inducere, in Scholio rejectam.

(1) Emm. Franzelin, *De Deo Uno*, pag. 240.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Luminis et claritatis *intensio* potest duplici modo considerari: vel quatenus est cognitionis perfectio et ornamentum; vel quatenus in objectum refertur et illud aliquatenus *scrutatur*. Primo sensu, negamus diversitatem visionis intuitivae, ideoque et comprehensionis ac visionis differentiam, constitui formaliter tantum ex majori vel minori *intensione et claritate*. Alio sensu, concedimus; at tunc differentia pendet etiam ab *extensione* objectiva.

86. Illi sane Auctores qui, ut Vazquez, etc., censent nullam esse intrinsecam habitudinem inter Deum et possibilia; vel putant esse possibile videri a creatura omnia possibilia; hanc, quam non probamus, doctrinam debent sustinere.

At cum Cl. Theologus defendat praedictam habitudinem, et neget eam creaturae potestatem; inde fateri oportet, non posse Deum *formaliter* comprehendi, nisi possibilia omnia in ipsa *formali* comprehensione dignoscantur. Comprehensio enim rei cujusvis exigit *formaliter* cognitionem omnium habitudinum ipsius, ideoque et terminorum. Alias eodem jure dici posset, formalem comprehensionem actionis non includere cognitionem termini; et comprehensionem Patris et Filii non exigere *formaliter* cognitionem Sp. Sancti.

Intensiva cognitionis claritas sane requiritur ad comprehensionem objecti; verum eatenus necessaria est, quatenus per eam plus objectum, vel formaliter vel eminenter, explicatur: ita Suarezius, vestigia quidem sequens D. Thomae. Exponens enim Angel. Doctor quid sit Deum *totaliter* videre ait (1): «Hoc adverbium *to»taliter*, neque dicit modum videntis absolute, neque modum abso»lute rei visae; sed modum videntis per comparationem ad rem vi»sam. Hoc enim adverbium determinat ipsam visionem, secundum »quam comparatur videns ad visum.» Et alibi (2): «Dicitur aliquid »comprehendi, quando pervenitur ad finem cognitionis ipsius; et »hoc est, quando res cognoscitur ita perfecte sicut cognoscibilis »est... Est unumquodque cognoscibile secundum modum *sui actus:* »non enim cognoscitur aliquid secundum quod est in potentia, sed »secundum quod est *in actu*. Tanta est autem virtus Dei in cognos»cendo, quanta est *actualitas* ejus in existendo... Unde manifestum »est quod tantum se ipsum cognoscit, quantum cognoscibilis est, »et *propter hoc se ipsum perfecte comprehendit.*»

Ex objecto ergo cognito et *actuatione* ipsius (formali vel eminenti) repetenda est comprehensio, et non ex *intensione* et *claritate* cognitionis solum.

(1) 4, dist. 49, a. 3, ad 3.^{m} —(2) 1.^{a} q. 14, a. 3.

THESIS XVI.

Deus est naturaliter nobis invisibilis; imo omni creaturae.

87. **Nota** I. Illud *naturaliter* significat; secundum vires naturis existentibus debitas. Nam utrum sit possibilis substantia aliqua, cui connaturalis sit visio Dei, praesens in tempus omittimus.

II. Quid proprie sit visio vel intuitio, non omnes in eo consentiunt Auctores. Tamen licet de hoc disputari posse concedamus, certum est, in vero et proprio visionis sensu, non posse Deum naturaliter videri.

III. Putant aliqui notitiam habitam per proprias species, etsi praescindat ab existentia et praesentia objecti, esse intuitivam. Communis autem doctrina est, cognitionem claram, immediatam, per proprias habitam species, fore *stricte intuitivam*, dummodo referat existentiam et praesentiam objecti; notitiam autem per species alienas, esse *stricte abstractivam:* quae autem habetur per species proprias, est *late* intuitiva et *late* abstractiva.

IV. Quatenus ad homines refertur propositio, est fide certa: prout vero respicit angelos, theologice certa dicenda, et probabilius de fide.

88. Prob. I.^{a} pars. 1. Ex Vat. Conc. «Divina mysteria... fidei »velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta manent, »quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino; per fidem »enim ambulamus, et non per speciem» (1). Patet, ita nos dici absentes a Deo, ut inde sequatur nos ambulare per fidem, et mysteria non intelligere: sed si possemus in hac vita Deum videre, absentia talis et peregrinatio a Domino non induceret caliginem et fidei nenessitatem; ergo, nobis est Deus invisibilis.

Confir. Clemens V, cum Conc. Vienn. damnavit errorem, «quod anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante, ad »Deum videndum, et eo beate fruendum.»

2.° Apostolus ait (2). *Qui solus habet immortalitatem, et lucem inhabitat inaccessibilem. Quem nullus hominum vidit, neque videre potest.*

Sine luce impossibilis omnino existit rei visio; si igitur ad lucem ipsam, quae Deum illuminat, accedi non potest, necessario est invisibilis. Vide insuper Joannem in Evangelio (3).

89. 3.° Ambrosius docet (4): «In potestate nostra non est »Deum videre, sed in potestate illius est apparere.»

(1) Const. *Dei Filius*, cap. 4. — (2) I Timot. VI, 16. — (3) I, 18. — (4) In Luc. c. I, n. 16.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Epiphanius etiam (1): «Deum quidem videri, praesertim ab »humana natura, non posse fatemur.»

Hieronymus quoque (2): «Tunc mente cernitur Deus, quan»do invisibilis creditur.»

Athanasius confirmat (3): «Si quis Deum, qui ex natura invi»sibilis, nec ullomodo videri potest, intueri velit, eum ex operibus »intelligit.»

Ita communiter SS. Patres adversus Anomoeos.

4.° Si posset homo naturaliter Deum intueri, esset etiam naturaliter beatus. Sed beatitudo est supra naturam: nam, *Gratia Dei vita aeterna* (4); *Nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum* (5): ergo Deum videre naturaliter nequimus.

Confirm. ex dictis in II.ª parte.

90. Pars. II.ª prob. 1.° *Deum nemo vidit unquam; Unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit*. Ex quibus sic arguitur: visio Dei, est proprietas Unigeniti, Patri consubstantialis: ergo nulli creaturae est connaturalis. *Ant.* prob. Deum neminem vidisse nisi Unigenitum ideo asserit Joannes, ut probet Eum solum esse auctorem gratiae et veritatis; sed si posset aliqua creatura naturaliter videre Deum, nullatenus id probavisset: ergo Deum videre est Unigeniti proprium.

Item Apostolus (6): *Regi saeculorum, immortali, invisibili, soli Deo honor et gloria*. Has laudes Deo absolute tribuit Apostolus, utpote supereminenti et exaltabili super omnem creaturam per sua ipsius attributa; sed nisi foret creaturae cuilibet Deus invisibilis, neque absolute, neque tanta cum excellentia et gloria hoc praedicaretur attributum: ergo Deus est naturae invisibilis.

91. 2.° Athanasius dicit (7): «Deus ejus naturae est, quae »videri et comprehendi nequeat, omnemque creatam substantiam »transcendat;... eam ob rem naturam creatam suo Verbo tam apte »composuit, ut quia ipse ex sui natura videri non potest, saltem ex »operibus ab omnibus cognosci possit.»

S. Archelaus (8): «Una et sola inconvertibilis est divina »substantia, aeterna et invisibilis, sicut et omnibus notum est, se»cundum illud quod scriptum est: *Dominum nemo vidit unquam, ni»si Unigenitus Filius qui est in sinu Patris*. Reliquae ergo omnes »creaturae visibiles sint necesse est; coelum..... homines, angeli, »archangeli: Deus autem etc.»

Arnobius (9): «O maxime, o summe rerum invisibilium pro»creator! O ipse invise et nullis unquam comprehense creaturis!»

(1) Haeres. 70.– (2) In Isai. c. I, v. 10. — (3) De *Incarn.* n. 54.– (4) Rom. VI, 23. — (5) I Cor. II, 9. — (6) I Timot. I, 17. — (7) *Contra Gentes*, n. 35. — (8) *Disput. cum Manete*, n. 32. — (9) *Advers. Gentes*, n. 10.

Titus Bostrensis (1): «Divinae et angelicae potestates non »possunt intelligere quid consilii capiat Pater, solusque Filius in»telligit et enarrat; *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus Filius...*»

S. Caesarius (2): «Non est ulla natura quae sit capax ejus »(Dei) aspectus.»

S. Amphilochius (3): «Credo in unum Deum..... incompre»hensibilem, invisibilem, superantem cogitatum.»

Gregor. Naz. (4): «Deus summum et inaccessibile ac ine»ffabile lumen est, quod nec mente percipi, nec verbis explicari »potest.»

In Orat. autem Theologica II, ait, eam tantum posse nos Majestatem Dei assequi, quae in rebus creatis et gubernatis elucet: «Quamvis etiam Moyses sis, Deusque Pharaonis, quamvis ad ter»tium usque coelum, instar Pauli, abreptus fueris; quamvis »etiam supra illos evectus, angelicam quamdam aut archangelicam »sedem et ordinem sis consecutus. Creatum enim omne, sive coe»leste, sive supercoeleste, licet sublimiori quam nos natura prae»ditum, Deoque vicinius, longiori tamen intervallo a Deo, ac plena »cognitione distat, quam quo compositam hanc nostram naturam »et abjectam, atque humi vergentem massam superat.»

92. 3.° Vi sua cognoscitiva ens creatum non potest ullam cognoscere veritatem, nisi ad modum veritatis, seu intelligibilitatis sui ipsius. Sed Deus intueri in se ipso non potest dum intelligitur ad modum intelligibilitatis entis creati: ergo est cuilibet invisibilis creaturae.

Maj. elucet exemplis: etenim, potentiae cognoscitivae corporeae, nonnisi corpora, vel ad modum corporeae imaginis cognoscunt; intellectus hominis omnia concipit, quasi ex actu et potentia, subjecto et forma, determinato ac determinante constituta.

Ratio est; quia vis naturalis cognoscitiva est proportionata naturae cui inest; ergo quidquid cognoscat, ad modum suae naturae cognoscet.

Confirm. Intelligibilitas Dei est secundum modum essendi ipsius: sed modum essendi Dei esse supra omnem creatum in essendo modum, supra probatum fuit: ergo intelligibilitas Dei est supra omnem intelligibilitatem creatam: subsumo; sed cuilibet intellectui creato est connaturalis aliqua intelligibilitas creata; ergo nulli creato intellectui est connaturalis intelligibilitas Dei (5).

(1) *Contr. Manichaeos*, L. 2.– (2) *Dialog.* 1, interrog. 41.— (3) Biblioth. PP. 6, p. 503. — (4) Orat. 40 in *S. Bapt.* — (5) V. etiam Proposits. septem priores, inter Rosminianas, a Leone XIII reprobatas.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN © DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

93. Objic. 1.° Angeli inferiores possunt superiores intuitive videre. Atqui tamen illi non attingunt horum essendi modum; ergo et poterunt intueri Deum.

Resp. Dist. *min.* Non attingunt essendi modum, secundum compositionem actus et potentiae illis naturalem; nego *min.* Secundum eamdem actus perfectionem; conc. Nullus sane Angelus est actus purus, ideoque non invenitur supra intuitionem, quae fieri debet cum aliqua compositione et sub aliqua potentialitate.

Objic. 2.° Quo perfectior est res, eo et intelligibilior erit: ergo non recte infertur, Deum esse invisibilem naturaliter, quia est actus purus.

Resp. Dist. *ant.* Intelligibilior erit absolute; concedo. Respectu ad *quemlibet intelligendi modum;* nego. Pariter distinguas *consequens.*

94. **Corollarium.** Deum oculis corporeis videri non posse, saltem naturaliter, ex dictis patet. Proprie enim sub nomine visionis, etiam corporea significatur: ergo et ista proprie et litteraliter excluditur, cum Deus invisibilis praedicatur. Deinde major est in facultatibus sentiendi potentialitas, quam in potentia intellectiva; ergo major in illis est improportio ad Deum videndum.

Utrum repugnet absolute Deum oculis videri corporalibus, ita ut neque possint per divinam potentiam ad id elevari, non est una Auctorum sententia. Alii cum Scoto, concedunt id fieri posse; alii cum Suarezio, negant; alii dicunt non satis patere, et dubitanter loquuntur.

Censemus autem repugnare Dei corpoream visionem.

Nihil potest ita elevari ut ad altiorem spectet speciem: sed si potentia corporis visiva ad Deum videndum elevaretur, fieret superioris speciei; ergo istud nullo modo fieri potest. *Major* facile patet: quod enim fit alterius speciei non elevatur, sed destruitur. *Min.* autem probr. Deus est supra objectum formale visivae potentiae corporis: atqui potentia, quae elevatur extra et supra suum formale objectum, fit superioris speciei; ergo evaderet alterius speciei si potentia corporea Deum videret (1).

Maj. patet: quia in Deo non est ratio colorati, sed simplicissimae et summae veritatis tantum. *Min.* etiam; quia species potentiarum differunt secundum earum formalia objecta.

95. Objic. 1.° Job dixit (2): *In carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt.*

(1) V. prop. XXI inter Rosminianas a Leone XIII damnatas.—(2) XIX, 26.

Resp. Dist. seu explico. Videbit oculis mentis; conc.: Corporis; subd. Deum salvatorem, secundum humanitatem; conc. Quoad divinitatem; nego.

Inst. Ipse Job dicebat (1): *Nunc autem oculus meus videt te.*

Resp. Explico: significando magnam mentis claritatem abstractivam; conc. Quasi Deum oculo videret corporeo; nego vel subd. immediate; nego: mediate *in imagine*, uti saepe viderunt prophetae et patriarchae; conc.

Objic. 2. Per potentiam obedientialem potest creatura elevari ad quemlibet effectum producendum vel suscipiendum; ergo per visivam corporis potentiam produci et suscipi potest visio Dei; ergo videri potest oculis corporeis.

Respondeo, permisso *antecedente* et *consequente* primo, nego ultimam consequentiam. Non enim sufficit productio et susceptio visionis ad videndum: aliter posses eodem probare argumento, quod lapis possit videre Deum et fieri beatus. Requiritur praeterea, ut objectum visionis contineatur sub formali ratione objectiva potentiae elevatae. Hinc videmus in ordine supernaturali non elevari intellectum nisi ad id quod est sub ratione veri, et voluntatem ad id quod habet rationem boni.

THESIS XVII.

Intellectus creatus supernaturaliter adjutus potest intuitive Deum videre.

96. Prob. 1.° Ex Conc. Flor. et Bulla Eugenii IV, *Laetentur*, pro unione Graecorum. Praeiverat Benedictus XII, constit. *Benedictus Deus*. «Auctoritate Apostolica definimus, quod »animae Sanctorum omnium... sanctorum Angelorum consortio »aggregatae, post D. N. Jesu Christi passionem et mortem, viderunt »et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali, »nulla mediante creatura in ratione objecti visi se habente, sed di»vina essentia immediate se nude, clare et aperte eis ostendente.»

2.° Ex SS. Litteris: *Angeli eorum in coelis semper vident faciem Patris, qui in coelis est* (2). *Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem* (3). *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* (4).

97. 3.° Ex SS. Patribus vide supra, (Thes. XV) Augustinum. Clemens etiam Alex. (5): «Qui sunt mundo corde »Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attigerint.» Epiphanius (6): «Naturâ igitur Deus invisibilis est, et ejus

(1) XLII, 5. — (2) Matth. XVIII, 10. — (3) I Cor. XIII, 12. — (4) I Joan. III, 2.—(5) 5, *Strom.*—(6) *Haeres.* 70.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»comprehendi non potest gloria; verum cum producto a se homini »apparere voluerit, nihil ejus voluntati refragatur.» Hieronymus (1): «Nisi ipse dignatus fuerit se homini revelare; quis est »qui posset eum suis viribus intueri, vel perscrutando ad majesta»tem ejus accedere?»

98. 4.° Promisit Deus nobis omne bonum, et desiderii satietatem: sed viso effectu, desiderat homo naturaliter videre causam; ergo hoc nobis praebebit Deus ut eum videamus.

Subsumo: Atqui naturaliter videri nequit Deus; ergo videri potest ac videbitur supernaturaliter.

Major prob. ex Apostolo: *Nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum* (2); majora, scilicet, parata sunt a Deo, quam quae possit homo desiderare.

Min. etiam prob. Dum causa, effectu viso, non videtur, primaria veritas velata apparet; id est, cognoscit mens se multum deficere a formali sua ratione objectiva: sed naturaliter desiderat homo totam suae formalis rationis objectivae assecutionem; ergo viso effectu, desiderat naturaliter et videre causam.

99. Objic. 1.° Videre Deum non est viribus naturalibus proportionatum: atqui non potest naturaliter desiderari quod naturae non est proportionatum; ergo non inest nobis desiderium naturale Deum videndi.

Resp. Dist. *min.* Desiderari absoluto desiderio, conc. Conditionato; nego. Nam potest naturaliter desiderari cognitio quae formalem rationem intellectus, *verum*, nempe, non superat: visio autem Dei, *si mens ad illam elevetur*, sub illa ratione veri elicitur, licet connaturalem intelligendi modum superet.

Instabis. Deducitur possibilitas visionis Dei ex desiderio conditionato ejusdem. Sed desiderium conditionatum supponit elevationem ad Deum videndum; ergo deductio possibilitatis videndi Deum supponit ipsam possibilitatem.

Resp. Dist. *min.* Supponit elevationem ut explicite cognitam; nego *min.* ut implicite cognitam in elevatione ad finem supernaturalem; conc.

Nempe, cum cognoscamus elevationem ad finem supernaturalem; finis autem supernaturalis adjuvante Dei virtute, non autem connaturaliter, sit assequendus; repugnantia vero visionis intuitivae, ex connaturali modo cognoscendi creaturarum solum procedat; hinc, ad desiderium videndi Deum tamquam finem elevationi supernaturali congruum ferimur. Ex tali autem communi desiderio, probabile et congruum argumentum possibilitatis videndi

(1) *In Job* c. XXXIV, 29.—(2) I Cor. II, 9.

Deum cum D. Thoma sumimus, quamvis alii ejusdem discipuli hac in re eum deserant.

100. Objic. 2.° Visio Dei est supra vires omnes creatas. Sed quaecumque elevatio, etiam supernaturalis, nonnisi per creatas vires perfici potest: ergo neque supernaturaliter Deus videri potest.

Resp. Dist. *maj.* Vires omnes superat creatas agentes ad modum, seu tamquam instrumentum, naturae creatae; conc. Agentes tamquam divinae potentiae instrumentum; nego.

Intellectus enim creatus ad Deum videndum elevatus, cum non agat connaturaliter, sed *obedientialiter*, non agit et intelligit *ad modum suum*, sed ad divinae virtutis modum, qua confortatur, elevatur et illuminatur, tum supernaturali lumine gloriae, tum supernaturali concursu Dei.

SCHOLIA.

De natura visionis Dei.

101. **Nota.** Ex praedictis intelligimus, cur *lumen gloriae* ad Dei essentiam videndam necessarium existat. Deus et creatura concurrere ad actum visionis supernaturalis debent; creatura autem suis relicta viribus nequit elicere nisi actum naturalem, proptereaque neque aliam, nisi naturalem, exigit Dei cooperationem; cooperatur, scilicet, Deus juxta cujusque causae exigentiam. Debet ergo intellectus creatus principium aliquod suscipere intellectivum, quo ad intellectionem supernaturalem disponatur, et supernaturalem quoque Dei exigat cooperationem. Hoc autem principium dicitur *Lumen Gloriae*, quia sub tali lumine Deus manifestatur et mens glorificatur.

§ I.

De virtute proxima visionis Dei.

102. Non levis est inter Auctores dissensio circa intellectus in visionem Dei concursum. Utrum nempe, tota virtus *intellectiva*, seu, principium *quo*, visionem producens, sit *lumen gloriae;* intellectus autem agat tantum *mediate*, seu, ut principium *quod*? Quae quidem quaestio est transcendentalis, attingens vitales omnes actus ordinis supernaturalis, puta, charitatis, contritionis, fidei, etc.

Pro affirmativa stant plures post Sotum: pro negativa, nempe; non esse lumen gloriae (et generatim habitum supernaturalem) totam agendi *virtutem*, sed influere immediate etiam virtutem intellectus, (vel voluntatis, pro diversa ratione actus) militant communiter Auctores Societatis, et alii D. Thomae discipuli.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

103. **Dico I.** Habitus infusus (sive lumen gloriae, sive alius quivis habitus) non est tota virtus supernaturalis actus, sed cooperatur etiam ut principium quo seu ut virtus, naturalis potentia.

Prob. 1.° Pelagius, ex proprio errore, docebat, totam virtutem immediate activam ad merendum, esse solam naturam; coactus autem a Palaestina Synodo confessus est: «Hominem proprio labore et »Dei gratia posse in salutem moveri.» Jam vero hoc approbavit Concilium; probavit et Augustinus: «Si hoc velit Pelagius, »nihil inter nos controversiae relinquetur» (1). Atqui Pelagius in ea confessione concedebat consortium propriae virtutis cum gratia cooperantis: ergo utraque simul operatur: *Min.* patet. Distinguit enim duplicem originem *motus salutaris;* laborem proprium et gratiam, cum prius, soli *proprio labori* meritum tribueret.

Coelestinus I (2): «Agit in nobis (Deus) ut quod vult et ve»limus et agamus, nec otiosa nobis esse patitur, quae exercenda, »non negligenda, donavit; ut et nos cooperatores simus gratiae »Dei.» Ergo virtus naturalis, sive intellectus sive voluntatis, non est otiosa, sed exercetur. Hoc etiam proprium est cooperatoris; virtutem suam virtuti alteris conjungere ad idem opus.

104. 2.° Calvinus et Lutherus nostram thesim, ut doctrinam catholicorum, impugnabant; oppositam uti propriam defendebant. «Papistae aliquid facultatis suppetere nobis somniant, quod per se »quidem non sufficiat, sed Dei gratia adjutum cooperetur... Sed »(Christus) nos penitus privat omni virtute nisi quam suppeditat »ipse nobis» (3). Et iterum ipse Calvinus: «Non hoc quaeritur, »agatne voluntas, quod extra dubium est; sed agatne a se ipsa, »an pro modo divinae actionis.»

Ex his arguimus: Tridentina Syn. damnavit doctrinam Calvini, et oppositam definivit (4). Atqui Calvinus non negabat quod voluntas (vel intellectus) sit principium *quod*, seu remotum; sed quod per suam virtutem simul cum gratia cooperaretur: ergo definivit Tridentinum concursum nostrum cum gratia per modum virtutis, seu principii *quo*.

Confir. Damnavit Tridentinum illam haereticam doctrinam dicens: «Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum »et excitatum nihil cooperari... sed veluti inanime quoddam nihil »omnino agere, mereque passive se habere; anath. sit.» Sed eumdem influxum; eamdem actionem et efficaciam concedebat Calvinus, quam concedunt isti thomistae; nempe voluntatem esse prin-

(1) De *Grat. Christi*, c. 47. — (2) Ep. 21 ad Episcs. Galliae. — (3) Calvinus, l. 2, Inst. c. 3.—(4) Sess. 6, c. 5.

cipium *quod*, voluntatem recipere habitum et influxum gratiae quo elevatur ad actum: ergo quod isti thomistae docent non sufficit ad cooperandum gratiae, sed tantum ut mere passive se habeat et inanime quoddam, quemadmodum cum baculus, non sua virtute, sed virtute motoris movetur.

105. 3.° Actus vitalis debet procedere a principio *quo* vitali: Atqui visio Dei est actus vitalis, et lumen gloriae non est principium vitale; non ergo procedit tantum a lumine gloriae, sed etiam a virtute intellectiva, ut principio *quo*.

Maj. patet: nihil enim perfectionis est in actu nisi ex influxu virtutis potentiae, seu principii *quo;* alias quilibet effectus, puta, motus mecanicus, in subjecto vivente esset actus vitalis.

Min. etiam est aperta; quia lumen gloriae, ceterique habitus supernaturales sunt accidentia indebita naturae, ab extrinseco advenientia; ergo non sunt vitalia principia.

4.° D. Thomas nostram aperte tradit doctrinam (1): «Cum »virtus naturalis intellectus non sufficiat ad Dei essentiam viden»dam; oportet quod ex divina gratia superaccrescat ei virtus inte»lligendi.» Non ergo sola virtus supernaturalis attingit et efficit actum, sed simul naturalis; aliter non deberet haec perfici et crescere. Et iterum (2): «Naturam Angelicam secundum *totam virtutem* »*moveri;* ideoque Angelos qui meliorem naturam habuerunt, for»tius et efficacius ad Deum esse conversos.» Haec clara sunt.

106. Objic. 1.° Juxta SS. Scripturas et Patres nihil nobis tribuere debemus ex ordine gratiae: ergo multo minus ex visione beatifica, quae est gratiae finis et complementum.

Resp. Nihil nobis *solis* tribuere possumus; Conc. Nobis et gratiae simul, nihil tribuere debemus; nego. *Non ego, sed gratia Dei mecum* (3), ut ait Paulus.

Objic. 2.° Actus visionis est totus supernaturalis, non autem ex parte naturalis. Sed virtus intellectus naturalis non continet nisi effectus naturales: ergo nequit intellectus virtute sua naturali ad visionem cooperari.

Resp. Dist. *min.* Virtus intellectus *aduaequate*, seu ut causa totalis, non continet nisi naturales effectus; Conc. *min. Inadaequate*, seu ut causa partialis non continet... Subd. Si non elevetur virtute supernaturali; conc. Aliter nego. Nam sicut species intellectiva pendet a virtute spirituali intellectus et a phantasmate materiali, licet illa *tota* sit spiritualis; ita actus supernaturalis pendet a virtute supernaturalis habitus, et a naturali virtute intellectus vel voluntatis, licet ille totus sit supernaturalis. Ut enim actus est vitalis (et

(1) 1. p. q. 12. a. 5.—(2) 1. p. q. 62. a. 6. –(3) I Cor. XV, 10.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

totus est), pendet totus a vitali naturalis potentiae virtute: ut autem est supernaturalis, totus a virtute supernaturali procedit.

Objic. 3.° Lumen gloriae est totalis ratio constituendi intellectum in statu, seu esse supernaturali: sed operari consequitur esse; ergo lumen gloriae est unica agendi ratio, seu virtus.

Resp. Dist. *maj.* Statu supernaturali *praecise* inspecto; conc. Supernaturali et vitali; nego *maj.* Et concessa *minori*, nego *consequentiam*, quae plus patet, quam praemissae.

Objic. 4.° Ex perfectiori virtute activa, perfectior oritur effectus: ergo ceteris paribus, qui perfectiorem habuerit intellectum, perfectiori gaudebit visione ac beatitudine.

Resp. Dist. *ant.* Oritur perfectior effectus, si virtus operetur connaturaliter, seu, secundum proportionem ad effectum; conc. *ant.* Si operetur virtus obedientialiter, seu ut elevata ad efficiendum per superiorem causam; nego.

Ad agendum enim obedientaliter sub manu Dei quilibet intellectus (et quaevis virtus) est aeque aptus; quemadmodum quaevis virtus naturalis, etiamsi perfectissima, est aequaliter inepta ex se ad effectus supernaturales.

§ II.

De auxilio extrinseco ad Deum videndum.

107. Cum praecedenti connexa est alia non minus inter eosdem Auctores controversa quaestio. Censent cum Bannezio thomistarum plurimi, non tantum esse ex natura rei necessarium lumen gloriae ad Deum videndum, sed etiam non posse Dei Omnipotentiam aliter intellectum elevare ad illam visionem. Quae opinio ex illa necessario fluit, quam supra (§ I, n. 102) rejecimus: nam si virtus naturalis non cooperatur cum supernaturali ad visionem Dei (et ad ceteros supernaturales actus), necessum est aliquam semper praesupponere supernam virtutem in mente vel voluntate inhaerentem, ut actus vitalis concipi, saltem apparenter, possit.

At vero antiqui theologi, qui apud Ripaldam (1) recensentur, aliter sentiebant; et cum illis omnes Societatis Auctores aliique etiam ex recentioribus, nec non ex thomistarum schola nonnulli.

108. **Dico II.** Intellectus (et voluntas respective) potest elevari ad visionem Dei, seu generatim, ad agendum actum supernaturalem, per auxilium extrinsecum, id est, non inhaerens potentiae, sed tantum cooperans.

(1) *De ente supern.* disp. 34, Sec. 2 et 3.

Prob. 1.° Vel auxilium intrinsecus inhaerens esset necessarium propter actus vitalitatem, vel propter supernaturalitatem. Atqui ex neutro capite: nam concurrente naturali virtute intellectus, quae vitalis est, actus non potest non esse vitalis; et cooperante ac adjuvante ad eumdem actum virtute supernaturali, etiamsi non inhaerente, non poterit non esse supernaturalis.

Prob. 2.° Duobus concurrentibus partialiter ad idem effectum, non requiritur unum inhaerere alteri. Sed lumen gloriae et virtus intellectiva concurrunt ad visionem Dei; ergo per lumen, seu auxilium non inhaerens, id est, extrinsecum, poterit visio fieri. *Majorem* concedunt adversarii, et patet in Dei concursu cum causis secundis, et in motu etiam corporeo.

109. 3.° D. Thomas ait (1). «Erroneum est dicere, Deum »non posse facere per se ipsum omnes determinatos effectus, qui »fiunt per quamcumque causam creatam.» Sed lumen gloriae (et ceteri supernaturales habitus) est causa creata simul cum intellectu visionem producens, illumque elevans: ergo potest Deus per se ipsum intellectum elevare et cum illo visionem facere.

4.° Verum, explicite nostram D. Angelicus docet sententiam (2) «Contingit aliquando divina virtute, quod aliqua res mi»raculose perducitur in aliquid, in quo nullo modo potest per ali»quas dispositiones *sibi inhaerentes;* sicut quod virgo pariat... Et »similiter potest miraculose fieri, quod divina virtute aliquis inte»llectus creatus *non habens nisi dispositiones viae* elevetur ad vi»dendum Deum per essentiam.»

Pariter alibi (3): «Sicut potest divina omnipotentia aliqua corpo»ra perducere ad effectus, quorum dispositio in praedictis corpori»bus non invenitur... ita potest mentem ad hoc perducere ut divi»nae essentiae uniatur in statu viae modo illo quo unitur sibi in »patria, sine hoc quod a lumine gloriae perfundatur.»

Ex quibus sic arguimus: quod fit divina virtute per aliquod ens, et fit sine dispositionibus, quae ad id sufficiant, *in eodem inhaerentibus,* nonnisi per auxilium extrinsecum fieri potest. Atqui Dei visio fieri potest divina virtute absque lumine gloriae et quavis dispositione intellectui inhaerente, quae ad illam sufficiat: ergo potest intellectus elevari ad divinam visionem per auxilium extrinsecum.

110. 79. Objic 1.° D. Thomas docet (4): «Divina essentia vi-

(1) P. 1, q. 105, a. 2.—(2) 4, Dist. 49, q. 2, a. 7.—(3) Q. 10, *de Verit.* a. 11.—(4) 2. 2, q. 175, a. 3, ad 2.m

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»deri ab intellectu creato non potest, nisi per lumen gloriae.» Cum haec adeo explicite et absolute tradat in Summa theologica, dicendus est S. Doctor retractasse quae prius docuerat. Ita adducta pro nostra thesi testimonia solvenda, putat Capreolus.

Respond. Non quidem repugnat aliquas Angelicum D. retractasse sententias, uti et Augustinus nonnullas humiliter emendavit; reverentia autem tantis debita Doctoribus vetat, ne eos erravisse putemus, nisi ratio perspicua id fateri cogat. Prudentis sane est mutare consilium; tamen naevus ac aliquod imprudentiae genus est errorem admittere et inconsideratus fuisse. Praeterquam quod, si sufficerent objecta a Capreolo verba ut retractasse priorem sententiam D. Thomas dicatur; sequeretur quod in eadem quaestione 10.ª *de Veritate* et in eodem articulo 11, ubi similia verba leguntur, se retractaverit et contraria docuerit, duas simul docens sententias: quod sane durum nimis, absonumque videtur.

Verba igitur D. Thomae non sunt invicem opposita; quae Capreolus profert respiciunt ad potentiam ordinariam, seu connaturalem exigentiam; quae vero nos pro thesi laudavimus referuntur ad potentiam Dei absolutam, seu miraculosum agendi modum, uti indicat explicite ipse sanctus Doctor.

111. Objic. 2.° Creati intellectus impotentia ad visionem Dei, est insufficientia ad actum vitalem. Atqui insufficientia ad actum vitalem non potest compleri per complementum extrinsecum: ergo opus est auxilio intrinseco, seu inhaerente.

Resp. Dist. *maj.* Insufficientia ad actum vitalem, praecise *quia vitalem;* nego *maj.* Quia *supernaturalem;* conc. *maj.*

Minorem similiter dist. Si insufficientia sit ad actum vitalem qua talem; transeat; aliter; nego *min.* Vel etiam nego minorem *absolute:* nam omnipotentia est potentiis vitalibus extrinseca; tamen illas ad actus vitales complet: objectum est facultatibus cognoscitivis extrinsecum; nihilominus ab eo ad cognoscendum complentur.

Objic. 3.° Actus supernaturalis postulat aliquam in actu primo virtutem, quam non exigit naturalis actus. Sed non ita erit, si ad actum supernaturalem divinae visionis sufficiat *extrinseca* applicatio omnipotentiae ad naturalem intellectus virtutem: ergo virtus extrinsea non sufficit. *Min.* patet. Etenim omnis actus naturalis requirit extrinsecam cooperationem divinae virtutis.

Resp. Dist. *maj.* Postulat *ex natura rei* aliquam virtutem in actu primo; Conc. *maj. Essentialiter;* sub. Aliquam virtutem *formalem* vel *virtualem*... Conc. *Formalem* praecise; nego.

Scilicet, postulat actus supernaturalis, ex natura rei, aliquam virtutem supernaturalem inhaerentem potentiae; absolute autem, seu essentialiter, necesse est ut saltem applicetur cum potentia naturali omnipotentia Dei, ut est principium donorum supernaturalium; quod non requirit actus naturalis: omnipotentia autem, ut principium supernaturale, *virtualiter* differt ab eadem, quatenus est principium rerum naturalium.

§ III.

De Visione Dei, et intellectuali specie.

112. Superest ut aliquid ex alia non parvi facienda Scholarum lite delibemus, quam diffuse aliqui illustrant Theologi. Utrumnam, scilicet, species aliqua concurrat, vel concurrere possit ad intuitivam Dei visionem. Ejusmodi quaestiones apud antiquos Theologos parum elucidatas ac praecisas reperies; recentiores autem, praesertim ex saeculo decimo sexto et septimo, eas pro utraque parte saepe perpensas et agitatas multum illustraverunt.

Praemittimus I. Cognitionem non fieri sine quadam similitudine formali objecti, per quam cognoscens sibi illud repraesentat, et veluti quodam verbo sibi loquitur. Hanc similitudinem objecti, quae in cognitione exprimitur, vocant Auctores *speciem expressam,* seu verbum; et putant aliqui, cognitionem *formalem* sitam esse in hac specie, seu expressione; alii in *actione,* qua fit ista species, eam reponunt; alii vero in utroque: «Oportet, quod verbum »dicatur ipsa operatio intelligendi, vel ipsa species, quae est simi»litudo rei intellectae; et sine utroque istorum non potest quis in»telligere; utrumque enim istorum est id, quo intelligit formali»ter (1);» ait D. Thomas.

II. Munus verbi hujus mentalis diversimode explicant AA. juxta opinandi varietatem. Nam Bannez et alii, dicunt actum intelligendi terminari ad istud verbum, et in illo tamquam in objecto prius cognito, objectum principale dignosci. Alii vero, cum Suarez, Molina, Vazquez, etc. id prorsus negant, dicentes; intellectionem terminari *immediate* ad objectum principale, et *verbum* istud non aliud esse, quam subjectivam, formalem et immediatam expressionem illius.

III. Igitur, Cajetanus, Gonet et thomistarum plurimi, censent, non posse dari in visione Dei speciem expressam, seu verbum repraesentans ipsum Deum, sed divinam essentiam locum illius habere, ac se ipsam in actu secundo repraesentare. E contra, communis inter AA. Soc. Jesu cum Suarez sententia, quam sequuntur etiam ex Thomistis Capreolus et Ferrariensis, oppositam defendit doctrinam.

---

(1) 1. Dist. 17, q. 2, a. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

113. **Dico III.** In visione Dei datur species expressa, seu verbum formale (non objectivum) creatum, repraesentans Deum.

Prob. 1.° In visione Dei datur similitudo formalis inferior et distincta a Deo. Sed haec est species expressa, seu verbum: ergo, in Dei visione fit species expressa.

Maj. ex Augustino patet (1): «Cum Deum novimus... ver»bum est, fitque aliqua Dei similitudo illa notitia: tamen inferior »est, quia in inferiori natura est.» Quod quidem exemplo declarat: «Quemadmodum cum per sensum corporis discimus corpora, fit »eorum aliqua similitudo in animo nostro, quae phantasia memo»riae est... ita cum Deum novimus...»

2.° Impossibile est intelligere absque specie expressa, seu verbo. Sed in Dei visione intellectio est: ergo et verbum.

Maj. ex D. Thoma constat, qui post verba laudata in Praemit. 1.° ait: «Et ideo impossibile est, quod accipiendo hoc modo »verbum, aliquis intelligat nisi verbo intellectus sui.» Et ex August. (2). «Formata cogitatio ab ea re quam scimus, verbum est »quod in corde dicimus.»

3.° Intelligere est objecti repraesentatio in intellectu, et tantum intelligimus, quantum repraesentatur: ergo si fieret ista repraesentatio formaliter per ipsam essentiam divinam, intelligeremus infinite, et infinita, et quantum Deus intelligit: quod est falsum et absurdum.

Confirm. 1. Visio beata est essentialiter vera: sed non esset talis nisi esset repraesentatio formalis: ergo. *Min.* patet: veritas enim consistit in eo quod objectum tale sit quale per actum repraesentatur.

Confirm. 2, evertendo rationem adversariorum. Non solum est Deus per essentiam suam summe repraesentabilis, sed etiam summe intelligibilis: sed hoc non obstat quominus intelligatur Deus per intellectionem creatam in actu secundo; ergo neque illud impedit quod repraesentetur per repraesentationem creatam.

114. Objic. 1.° Deus est actus purus: sed omne creatum est mixtum imperfectionibus; ergo nequit dari repraesentatio creata Dei.

Resp. Dist. *consequens*. Repraesentatio objectiva, in qua Deus videatur ut in se est, dari non potest; conc. Formalis seu intentionalis; nego.

Non enim opus est ut quaevis similitudo sit ejusdem perfectionis cum objecto. Lumen gloriae, ait D. Thomas, est «similitudo

(1) *De Trinit.* l. 9, c. 11.—(2) Ibid. l. 15, c. 10.

activa Dei,» (1) et, tamen licet creatum, sufficit ut per ipsum Deus videatur; similitudo formalis et intentionalis substantiae sufficit ad istam intelligendam, etiamsi accidens sit, non autem substantia.

Objic. 2.° Deus est summe repraesentabilis per se ipsum: ergo non opus est ut per speciem expressam repraesentetur.

Resp. Conc. *Ant.* et nego *conseq.* Non enim datur haec formalis repraesentatio propter imperfectionem vel indigentiam objecti; sed propter naturam intellectionis, quae in se tanto perfectius exprimit objectum, quanto melius illud attingit.

Objic. 3.° Ideo efficitur verbum mentale, ut objectum fiat menti praesens: sed Deus est per essentiam praesens videntibus illum; ergo inutilis est participata praesentia.

Resp. dist. *maj.* Ut fiat praesens objective; nego *maj.* Ut evadat praesens formaliter, seu intentionaliter; conc.

§. IV.

De specie impressa ad visionem Dei.

115. Ad Dei intuitivam visionem spectat etiam alia quaestio, nempe; utrum concurrat species impressa creata.

Nota I. Ut quid ista sit species recordemur, scire oportet, cognitionem, sive abstractivam, sive intuitivam, a duplici procedere cooperante principio, secundum illud Augustini effatum: «Li»quido tenendum est, quod omnis res quamcumque cognoscimus, »congenerat in nobis notitiam sui. Ab utroque enim notitia pari»tur, a cognoscente et cognito» (2). Duplex ergo virtus notitiam quamlibet praecedit: alia ex parte cognoscentis, quae dicitur potentia, seu lumen intellectivum; et alia loco objecti, quae dicitur species *impressa*, quia non *exprimitur* cognoscendo, ut *species* expressa, sed potentiae ut cognoscat adjungitur seu *imprimitur*.

Nota II. Durandus, Cajetanus et communiter Thomistae, ac plures è Soc. J. defendunt impossibilem esse speciem impressam ad Deum videndum. Contra, esse possibilem docuit Aureolus, Scotus, Suarez, Vazquez, (qui opinionem esse satis in Scholis communem asserit) Molina, Valentia, Arriaga, etc. De mente autem D. Thomae, non parum disputatur; Suarez concedit eum prioris esse sententiae: Vazquez autem multis probat rationibus, non negasse sanctum Doctorem speciem impressam, sed speciem formalem objectivam, in qua possit Deus vi-

(1) P. 1, q. 12, a. 2.—(2) *De Trinit.* l. 9, c. 12.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

deri; idque confirmat suffragio suo doctissimus ac percelebris Franciscus Victoria dominicanus.

116. **Dico IV.** Possibilis est species impressa Dei, licet, de facto, probabilius non infundatur ad Deum videndum.

I.ª Pars prob. 1.° Potest dari species Dei expressa; ergo et impressa. Consequentia videtur aperta: nam cum non aliud sit species impressa, quam virtus seu actus primus expressae, non potest repugnare similitudo virtualis, si actualis non repugnat. Non enim potest repugnare ratione *similitudinis*, nam de facto haec datur in specie expressa; neque ex parte efficientiae, seu virtutis; nam est quid finitum et accidentale sicut species expressa; ergo potest dari virtus finita eidem proportionata.

2.° Ideo repugnaret species impressa, quia deberet esse ejusdem puritatis seu immaterialitatis cum Deo. Atqui non ita est: ergo non repugnat.

Prob. *min.* a) Visio ipsa Dei non est ejusdem immaterialitatis cum Deo: ergo neque virtus, seu species, visionem determinans debet talis esse puritatis.

b) Lumen gloriae praestat ad Deum videndum, id quod praestaret species, si daretur: atqui lumen gloriae non est ejusdem cum Deo immaterialitatis; ergo neque species esse talis oportet.

Maj. ex D. Thoma (1) constat: «Lumen gloriae ab ea (essen»tia divina) in intellectum descendens, facit hoc respectu divinae »essentia in intellectu, quod facit respectu aliorum intelligibilium, »quae non sunt lux tantum, species rei intellectae simul et lumen.» Videas quoque responsionem ad quartum argumentum (ibidem).

117. Obj. 1.° Species impressa determinat virtutem cognoscitivam ad tale objectum. Atqui essentia divina non est aliquid determinatum, sed pura lux; ut ait (ibid.) D. Thomas: ergo sufficit lumen gloriae, nec dari potest species.

Resp. Dist. *min.* Non est determinata ad modum limitationis; concedo *min.* Ad modum differentiae, seu distinctionis, a rebus omnibus; nego *min.* Deinde, dist. *consequens:* nec potest dari species, si lumen gloriae se habet solum ex parte potentiae eam confortando; nego *consequentiam*; si etiam *determinat* lumen gloriae potentiam ad Deum videndum, subdist. Nec dari potest species, quae sit distincta a lumine gloriae; conc. *consequentiam;* quae identificetur cum lumine; nego non posse dari.

Etenim veram speciei impressae rationem haberi in lumine gloriae, videtur docere (ibid.) Angelicus Doctor: «Essentia divi-

(1) Quodl. 7, a. 1.

»na est pure lux; et ideo non requirit aliam speciem quam ipsum »lumen ut videatur. Visibilia non sunt lux tantum; et ideo opor»tet, ad hoc quod visus *determinetur* ad ea, quod non solum sit ibi »lumen, sed etiam species rei visae.» Jam vero si conceptus speciei lumini gloriae convenit, cur non est species dicendum divinae essentiae?

Objic. 2.° Speciei munus est reddere objectum intelligibile. Atqui Deus est summe intelligibilis; ergo nihil prestat species.

Resp. Dist. *min.* Summe intelligibilis in actu primo; conc. *min.* In actu secundo; nego *min.*

Objic. 3.° Species est medium *quo* videndi. Sed D. Thomas docet, non posse Deum videri per medium *quo*. Ergo neque per speciem.

Resp. Dist. *maj.* Est medium *quo* virtuale vel formale vel objectivum; conc. *maj.* Objectivum tantum; nego *maj.*

Ad *min.* dico; negare D. Thomam medium *quo* objectivum, non vero virtuale vel formale.

Inst. Visus, ut censet D. Thomas, non fertur ad medium *quo*, seu speciem, tamquam in visibile, sed per illud fertur *ad unum visibile* quod est extra oculum (1). Ergo dum negat ad Deum videndum dari speciem, non agit de medio *quo* objectivo, sed virtuali et formali.

Resp. Dist. *consequens.* Non agit de medio *quo* objectivo, quod videatur veluti res per quam deveniatur ad aliam; conc. *consequentiam.* Quod videatur praecise ut repraesentans; nego *consequentiam.*

Scilicet negat D. Thomas speciem, seu medium *quo*, se habens ad intellectum tamquam similitudo illi divinam essentiam repraesentans. «Impossibile est, ait, in intellectu creato similitudi»nem divinae essentiae recipi, quae eam perfecte secundum totam »suam rationem repraesentet. Unde si per aliquam similitudinem »talem essentia divina a nobis videretur; immediate non videremus »essentiam divinam, sed quamdam umbram ejus.»

118. II.ª Pars prob.

Ante probationem notandum: juxta aliquos lumen gloriae elevare tantum intellectum ut potentiam, non autem eumdem determinare objective. Verum alii AA. censent, et videtur opinio D. Thomae, lumen gloriae officium gerere speciei, id est, determinare intellectum *ad tale objectum*, nempe divinam essentiam. Intendimus ergo in hac II.ª parte speciem impressam negare, quae sit a lumine gloriae distincta.

(1) Quodl. 7, a. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

1.° Non oportet multiplicare principia sine necessitate: atqui vel solo lumine gloriae, vel saltem immediate concurrente divina essentia tamquam objecto actu intelligibili, potest determinari intellectus ad visionem Dei; ergo non concurrit aliqua ad Deum videndum species. *Min.* patet. Nam divina essentia est summe intelligibilis et intime praesens intellectui.

2.° Deus per intuitivam visionem vult se immediate tradere possidendum tamquam objectum beatificans. Atqui beatitudo pendet ab objecto tum ut terminante, tum ut influente: ergo sicut divina essentia non terminat visionem per speciem objectivam, ita neque influit in illam per speciem determinantem.

119. Objic. Hisce rationibus excludi videtur etiam lumen gloriae a Dei visione: ergo nimis probant.

Resp. Dist. *ant.* Prout lumen gloriae se habet ex parte potentiae, excludi videtur; nego *antec.* Tamquam objective determinans; concedo, vel subdist. Si munus istud determinandi objective fuerit a lumine gloriae separabile; conc. Si autem fuerit intrinsecum illi; nego. Cum enim dari lumen gloriae, et quidem connaturaliter, certo constet; rationes istae, quibus ostendimus, probabilius non concurrere speciem impressam ad Deum videndum, solvi possent, si vis ac munus speciei foret lumini gloriae intrinsece connexum; ut facile patebit rationes ipsas expendendo.

THESIS XVIII.

Visio Dei est quidditativa ac intuitiva, ejusdem speciei in omnibus beatis, licet inaequalis perfectionis.

120. I.ª Pars clare deducitur ex praecedentibus. Quidditativa enim cognitio ea est, qua res per essentiam cognoscitur. Atqui Deus ita videtur, ut ejus «essentia immediate ac nude, clare et aper»te ostendatur,» (supra, Thes. XVII), et videtur *sicuti est:* ergo visio Dei est quidditativa.

Quod sit etiam visio intuitiva patet: non enim potest videri Dei essentia, quin ipsius videatur existentia, cum sit suum *esse* per essentiam; neque ipsa potest immediate videri existentia, quin ut praesens videatur; tum quia illud intueri dicimus, cujus existentiam immediate videmus, ut solem; tum quia Deus a nulla re distat, ideoque si videtur, et praesens videtur.

121. II.ª Pars est certa et inter theologos communis.

1.° Visio beatifica est gratiae terminus et complementum. Sed gratia est ejusdem naturae in Angelis et hominibus; «confiten-

»dum, ait Augustinus (1), non ad solos sanctos homines per»tinere, verum etiam de sanctis Angelis posse dici, quod charitas »Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum qui datus eis; nec tan»tum hominum, sed primitus praecipueque Angelorum bonum »esse, quod scriptum est: *mihi autem adhaerere Deo bonum est.* Hoc »bonum, quibus commune est, habent, et cum illo...»

2.° Ipse Augustinus (2) ait: «Nobis beata sine fine vita pro»missa est, et aequalitas Angelorum.» Sed non foret aequalitas in beatitudine, si visio beatifica specie differret: ergo ejusdem est speciei.

3.° Si aliqua esset specifica differentia in visione beatifica, ex eo procederet quod intellectus Angelorum est diversae speciei: atqui hoc non sufficit; ergo ejusdem est speciei in omnibus beatis. Prob. *min.* Diversae naturae non sufficiunt ad actus specie diversos inducendos, si non procedant ab illis quatenus diversae sunt, sed quatenus in aliqua ratione conveniunt: sic actus sentiendi ejusdem quatenus in aliqua ratione conveniunt: sic actus sentiendi ejusdem sunt speciei in hominibus et brutis animantibus. Sed visio non procedit ab intellectu hominum et Angelorum nisi quoad id in quo conveniunt, nempe, secundum virtutem obedientialem: ergo non sufficit naturae differentia, ut... etc.

4.° Visio Dei in omnibus beatis est de eodem objecto, et sub eadem ratione; scilicet, terminatur ad Deum prout in se est, immediate. Ergo nulla diversitatis specificae ratio existit.

122. III.ª Pars prob., quae de fide est adversus Jovinianum et Lutheranos.

1.° Conc. Florent. in *Decreto Unionis:* «Definimus... intueri »(animas beatas) clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, »pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.» Quod confirmat Trident. (Ses. VI, can 32).

2.° Ait Christus Dominus: *In domo Patris mei mansiones multae sunt* (3). Quod sane Patres non de multitudine salvandorum, sed de praemiorum varietate intelligunt cum Hieronymo (4): «Para»tae sunt in coelo diversae et plurimae mansiones, plurimis diver»sisque virtutibus.» Et iterum (5). «*Multae mansiones apud Patrem,* »quia et merita diversa. *Stella differt a stella in claritate...* In sin»gulis diversa sunt lumina, et tamen in suo unaquaeque perfecta »est, ita dumtaxat, ut comparatione majoris, perfectione careat.» Ambrosius, in illud: *Unusquisque in suo ordine,* ait: «Erit igitur »ordo diversus claritatis et gloriae, sicut erit ordo meritorum (6).»

---

(1) *De Civit.* Dei; l. 12, c. 9. — (2) *De Corrept.* et Grat. c. 10. — (3) Joán. XIV, 2.—(4) *Adv. Jovin.* l. 2, n. 28.—(5) *Dial. adv. Pelagianos,* n. 16.—(6) L. *De Bono mortis;* c. 11.

008353

3.° Lumini gloriae perfectiori respondere debet perfectior visio; sed non est in omnibus aequalis perfectionis lumen; ergo neque visio. *Min.* prob. Lumen gloriae est terminus et complementum gratiae: sed gratia est inaequalis pro ratione meritorum, ut ex tract. *de Gratia* supponimus; ergo et lumen gloriae inaequale existit.

123. Objic. 1.° Cognitio quidditativa, si clara existat, exigit totam rei essentiam et usque ad ultimam cognoscere ejusdem proprietatem: sed haec videtur adaequata rei comprehensio; ergo visio Dei nequit esse quidditativa.

Resp. dist. *maj.* Totam rei essentiam exigit dignoscere *formaliter* inspectam: conc. *Eminenter;* nego. Similiter minorem distinguas.

Objic. 2.° Christus in parabola (1) docet: idem dandum praemium, licet merita fuerint inaequalia. Sed praemium est Dei visio; ergo aequalis erit perfectionis apud omnes beatos.

Resp. Dist. *maj.* Licet merita sint inaequalia materialiter; conc. Etiamsi sint inaequalia formaliter; nego.

Ad mentem Judaeorum putantium se praeferendos aliis, quia prius vocati erant, legemque Mosaycam per plura saecula excoluerant, respondet sensus et intelligentia parabolae.

THESIS XIX.

Videntes divinam essentiam vident omnia Dei attributa, omnesque simul divinas Personas.

124. I.ª Pars prob., quae est communis Theologorum sententia, adversus Ferrariensem (2) et nonnullos alios.

1.° Non potest Deus videri ut in se est, nisi omnia attributa videantur: atqui *Videbimus Eum sicuti est* (3); *Tunc cognoscam sicut et cognitus* sum (4): ergo videntur simul omnia attributa.

2.° Si posset Dei essentia videri aliquo non viso attributo, et possibile esset eamdem videre absque nullo attributo: sed hoc repugnat; ergo et primum. *Min.* patet; quia Deus est suum esse per essentiam.

3.° Deus est actus purus et infinitus per essentiam: ergo videns essentiam et necessario videbit omnem ejus perfectionem, seu omnia attributa.

II.ª Pars probr. et est de fide.

1.° Ex Florent. in Decr. Union. «Animas... intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est,» docente.

(1) Matth. XX, 1-16. — (2) *Contr. Gent.* l. 3. c. 56. — (3) 1. Jo. III, 2. — (4) I Cor. XIII, 12.

2.° Id vident beati quod crediderunt: sed fides habetur in Deum unum et trinum; ergo vident Personas. *Maj.* elucet ex Apostolo (1): *Videmus nunc per speculum in aenigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ut enim commentatur Chrysostomus; «Fides et »spes cum advenerint bona, quae credita et sperata fuerunt, cessa»bunt (2).»

3.° Essentia est idem cum personis, et ex intrinseca foecunditate illius procedunt: atqui connaturale est ut re aliqua visa ac ejusdem foecunditate, videatur quidquid cum eadem re identificatur et ab illa procedit: ergo et divinae videntur Personae.

125. Objic. 1.° Attributa Dei sunt infinita. Atqui intellectus finitus nequit videre infinita: ergo videntes divinam essentiam non videbunt omnia ejus attributa.

Resp. 1.° Nego *maj.* Nam reipsa quaecumque possumus nos distinguere attributa sunt in Deo unus et simplicissimus actus.

Resp. 2.° Dist. *min.* Nequit videre infinita, ut plura sunt et per plures actus; transeat *min.* Ut unum sunt et per unum simplicem actum; nego *minorem.*

Objic. 2.° Essentia divina communicatur personis, non vero perfectio relativa, licet haec cum illa identificetur: ergo a pari, videri poterit natura haud visis relationibus. Ita Scotus.

Resp. Nego consequentiam et paritatem. Ad communicationem enim non sufficit identitas vel intrinseca connexio, si intercedat aliqua oppositio mutua: intuitio autem rei sicut in se est, omnem ejus identitatem et conjunctionem eo ipso refert.

THESIS XX.

Videntes Deum non ideo divinae voluntatis libera consilia necessario vident: possunt tamen eadem, Deo id volente, videre.

126. I.ª Pars prob. quae tamquam certa habenda. 1.° Angeli diem judicii ignorant: *De die autem illa et hora nemo scit, neque Angeli coelorum, nisi solus Pater* (3).

Angelus Persarum Angelo populi Dei, deprecando apud Deum, resistebat, ne captivorum populus dimitteretur (4), ut Hieronymus commentatur. Sed si Dei cognovisset consilia Angelus, non sane iisdem fuisset reluctatus; ergo aliqua saltem ignorant. Confr. Ps. 23. vv. 8 et 9.

2.° Ambrosius (5) ait: «Mysterium Dei Patris et Domini

(1) Cor. XIII, 12. - (2) Hom. 34, in 1. ad Cor.— (3) Matth. XXIV, 36.— (4) Dan. X, 13.—(5) *De Fide*, l. 4, c. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»N. Jesu Christi... nec Angeli cognoscere nisi ex revelatione po»tuerunt.» Ne quis autem putet Incarnationem Angelos agnovisse a principio beatae visionis, id inferius Sanctus excludit: «Erant ta»men adhuc et in coelestibus, qui stuperent, qui admirarentur no»vam pompam, et ideo requirebant; *quis est iste Rex gloriae?* Quia »et Angeli processus habent scientiae et capacitatem profectus.»

Dionysius Areop. ait: «Hoc igitur Theologi perspicue de»clarant, ut inferiores coelestium essentiarum ordines a superiori»bus divinorum operum scientiam percipiant,» (1): idque ex Davidico ps. 23. vv. 8. 9. confirmat.

Damascenus Angelos, etiam bonos, futura ignorare tradit (2).

3.° Divinae voluntatis libera consilia non habent necessariam cum Dei essentia connexionem; ergo potest Deus videri, liberis simul latentibus divinis consiliis.

127. II. Pars. prob. quae est communis inter Theologos.

1.° Augustinus (3) id docet: «Angeli in Deo veritatem in»commutabilem vident, et secundum eam suas dirigunt voluntа»tes. Fiunt ergo illi participes aeternitatis, veritatis, voluntatis »ejus semper.» Et alibi (4): «Vident (Angeli) faciem tuam semper, »et ibi legunt sine syllabis temporum, quid velit voluntas tua.»

Confirmat S. Bernardus (5): «Patent (beatis) viscera miseri»cordiae, patent cogitationes pacis, divitiae salutis, mysteria bonae »voluntatis, benignitas arcana, quae clausa mortalibus, etiam ipsis »electis suspecta fuit.»

2.° Si libera Dei consilia videre beati non possent, id procederet vel quia sunt in se invisibilia, vel quia nequit Deus ea beatis videnda praebere: sed neutrum dici potest. Non sane primum; quia Deus ipse sua libera consilia aperte intuetur: neque secundum; id enim oriri deberet ex intelligibilitatis excessu, quatenus soli menti divinae esset congrua: atqui repugnat intelligibilitatem ullam excedere divinae essentiae intelligibilem puritatem; ergo possunt beati divina intueri consilia.

128. Objic. 1.° Actus liberi Dei nihil in eo ponunt ab ejus essentia distinctum: ergo videns divinam essentiam et illos necessario intuetur.

Resp. Dist. *ant.* Ab ejus essentia distinctum *actualiter* nihil ponunt; conc. *ant.* Distinctum *virtualiter;* nego *ant.*

Ad *consequens* dicendum: videns divinam essentiam necessario videt quidquid illa est *actu*, non vero quidquid ei *virtualiter* accedit.

(1) De coeles. Hier. c. 7.—(2) *De fide orthodoxa*, l. 2, c. 4.—(3) *De Genes.* l, 8. c. 24.—(4) Confess. l. 13, c. 15.—(5) L. 5 *de Consider.* c. 4.

Objic. 2.° Objecto eodem existente, repugnat nunc tali modo videri, nunc alio. Sed per liberos actus non aliter se habet divina essentia: ergo nequeunt illi videri.

Resp. Dist. *maj.* Eodem existente actualiter et virtualiter; conc. *maj.* Actualiter tantum; nego *maj.*

Ad *min.* Non aliter se habet actu; conc. *min.* Virtute; nego.

Aliter tamen Deus suos liberos videt actus, quam beati eosdem vident. Quod paucis facile intelligetur.

Cum enim divini intellectus actus sit simpliciter infinitus, quavis posita terminatione libera in Dei voluntate, eam necessario divina mens intuetur. Lumen autem gloriae, beato concessum, est finitum, ideoque talem definitam perfectionem non supergreditur: oportet ergo quod perfectius lumen et distinctam visionem suscipiat beatus, ut in Deo divina consilia videat, quae secus minime intueretur. Distinctam, inquam, visionem, non specie, sed numerice sub eadem specie diversam.

Vide Suarezium fusius rem evolventem (1).

THESIS XXI.

Per eamdem visionem, qua Deum beati vident, possunt et creaturas aliquas in eo videre, juxta visionis perfectionem.

129. Notandum, Licet oratione seu modo loquendi Auctores fere consentiant dicentes, beatos in Verbo videre creaturas; tamen ratione, seu quoad sensum, eos pugnare compertum est. Ut ergo ambiguitas quaevis devitetur, non intelligimus videri in divina essentia creaturas *pure causaliter;* quatenus scilicet physice vel moraliter inducat visio Dei aliam creaturarum visionem: neque *pure concomitanter;* quia, nempe, eodem actu quo Deus videtur, videantur quoque creaturae: neque *pure correlative*, quasi extrema alicujus relationis; sicut qui videt Patrem videt et Filium, ac viceversa: sed intendimus creaturas in Verbo cognosci tamquam in medio et ratione cognoscendi; sicut in causa et principio, si sufficienter perscrutentur, videtur necessaria aliqua consequentia, effectus et conclusio.

130. Probr. 1.° Augustinus saepe docet (2), longe perfectiorem esse cognitionem creaturarum, qua in Verbo, quam illam, qua in se ipsis cognoscuntur; illam vocat matutinam, hanc autem vespertinam. «Cognitio quippe creaturae in se ipsa decoloratior est, »ut ita dicam, quam cum in Dei Sapientia cognoscitur, velut in ar-

(1) *De Deo*, l. 2, c. 24. — (2) *De Civit. Dei*, l. 11, c. 7 et 29; et aliis in locis.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»te qua facta est.» Neque putes intelligendum Augustinum de cognitione *esse eminentis*, quod creaturae in Deo habent: nam *esse* illud eminens non distinguitur a Deo; ideoque nequeunt creaturae per illud proprie cognosci et ad invicem distingui, prout supponit S. Doctor: «Mens angelica pura charitate inhaerens Verbo Dei, »posteaquam illo ordine creata est, ut praecederet cetera, prius ea »vidit in Verbo Dei facienda, quam facta sunt: ac sic prius in ejus »fiebant cognitione, cum Deus dicebat ut fierent, quam in sua pro- »pria natura: quae itidem facta in eis ipsis etiam cognovit, minore »utique notitia, quae vespere dicta est. Quam notitiam sane praece- »debant, quae fiebant; quia praecedit cognitionem quidquid cog- »nosci potest.» Deinde ait S. Doctor, quod cum videret angelica natura lucem in Verbo, factum est mane; et videndo lucem in se ipsa, vespere; et dies unus: item videndo firmamentum in Verbo, fuit mane; et cum vidit in se ipso, vespere; et inde dies alter. «Ac »sic usque ad omnium operum finem et usque ad requiem... (1).»

Atqui haec omnia nullatenus convenire possunt creaturis cognitis secundum esse quod *eminenter* habent in Deo; nam hoc esse eminens nec est aliquid *faciendum*, neque fit cum Deus dicebat *fiat*, neque aliquam habet distinctionem et pluralitatem ut secundum eam multiplicari possint et numerari dies septem: ergo videntur creaturae in Deo secundum proprium formale et distinctum esse.

S. Bernardus (2) ait etiam: «Neque opus habet (beatus) ex »his, quae facta sunt, factoris notitiam mendicare. Nec enim ut vel »ipsa noverit, ad ipsa descendit, quae ibi videt, ubi longe melius »sunt quam in se ipsis.»

S. Thomas aperte hanc tradit doctrinam, et quidem saepe. Vide 1. p. q. 12. a. 8. «Sic videntur omnia in Deo, sicut effectus in »sua causa.» Et ad 3^m, ibid. «Multitudo cognitorum in Deo conse- »quitur modum videndi ipsum vel magis perfectum, vel minus »perfectum.»

Conc. Senon. Cap. 13. *decret fidei*. «Beatis pervium est illud »divinitatis speculum, in quo quidquid eorum intersit illucescit.»

2.° Deus cognoscit in se creaturas: sed sui cognitionem intuitivam potest communicare; ergo et possunt beati. *Maj.* prob. a) Dionysius Ar. dicit (3): «Divina mens, ex se et in se, secun- »dum causam, rerum omnium scientiam praehabet et ante compre- »hendit... Seipsam igitur divina sapientia noscens, sciet omnia.» b) Deinde; intuendo effectum potest aliquatenus agnosci causa; ag-

(1) *De Genes.* ad litt. l. 4, c. 32. — (2) *De Consider.* l. 5, c. 1. — (3) *De div. nom.* c. 7.

noscendo essentiam et ejus proprietates dignosci possunt, et conclusiones in principiis: ergo a fortiori potest Deus in se et per se omnia cognoscere, cum ab ejus sapientia et potentia et essentia procedere debeant.

131. Objic. 1.° Divina essentia est res absoluta: sed ut in ea cognoscerentur creaturae, deberet relationem ad illas habere; ergo.

Resp. Nego *min*. Non enim ducit relatio ad cognitionem terminorum; sed, e contra, ad relationem agnoscendam praecognoscendi sunt termini. Falso igitur laborat supposito haec difficultas. Est quaedam dimanationis vel dependentiae connexio inter essentiam divinam et res creatas vel creabiles, quae antecedit quamvis inter illam et istas relationem: eminens igitur illa continentia creaturarum, propter quam vel in esse possibili, vel in esse actuali, ab illa manant et dependent, est ratio cognoscibilitatis illarum; non vero relatio aliqua, quae nonnisi positis terminis exurgere potest.

Objic. 2.° Deus non videt in se creaturas ut in causa: ergo neque beati eo modo videre eas queunt. *Maj.* prob. Deus est causa rerum per suam scientiam; ergo ratio causae nequit esse ratio visionis, seu scientiae creaturarum, ne idem sit ratio vel causa sui ipsius.

Resp. 1.° Permitto utrumque *antecedens*, et nego utramque *consequentiam*. Nam beati vident, vel videre possunt, scientiam Dei; licet ergo esset Deus causa per suam scientiam, possent in illo, ut in causa, beati creaturas videre. Deinde Dei scientia est simplicissima, ideoque essentialiter reflexa videns simul se ipsam et objecta: unde licet causaret Deus per ipsam scientiam, tamen in illa, seu in se, ut in causa videret Deus creaturas.

Resp. 2.° Nego primum *antecedens* et disting. secundum: Deus est causa per suam scientiam, *ut dirigentem* voluntatis et potentiae operationes; conc. Ut *constituentem* potentiam operandi vel *exequentem* opus; nego. Haec est D. Thomae doctrina contra plures Thomistas (1). Laborat ergo falso supposito difficultas; non enim per scientiam, sed per omnipotentiam habet Deus formalem causalitatem, seu efficiendi virtutem.

Objic. 3.° Idea seu Verbum Dei est ipsum esse simplicissimum et infinitum ipsius, ideoque nullam prae se fert creaturarum formalem similitudinem, seu imaginem. Sed ut in Verbo Dei viderentur creaturae in se et distinctae, deberet in illo esse formalis earum similitudo; ergo non possunt creaturae in Deo videri.

Resp. Dist. *min*. Ut viderentur in Verbo tamquam in imagine; conc. *min*. Tamquam in medio connexionis; nego *min*.

Inst. 1.° Creaturae sunt quaedam Dei imitatio et similitudo: ergo

(1) P. 1, q. 19, a. 4, ad 4.^m

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

si in Deo videntur, videbitur necessario prototypa illarum imago.

Resp. Dist. *consequens:* Imago eminens videbitur; conc. Formalis; nego *consequentiam*.

Inst. 2.° Atqui videre imaginem eminentem creaturarum, non sufficit ad creaturas videndas: ergo in Deo ipsae creaturae non videntur.

Resp. Dist. *min.* subsumptam. Si visio terminetur tantum ad eminentem illam imaginem: conc. Si pertranseat ad id quod virtualiter continet; nego minorem.

Etenim Idea divina, cum sit ipsum esse virtusque Dei, continet virtualiter quidquid est possibile. Beatus ergo videns Verbum divinum, quum ad illa quae virtualiter in eodem insunt pertransit, confert cum eminenti illo prototypo, et qualiter, quantumque imitentur et participent cognoscit, eoque modo in Verbo videt.

THESIS XXII.

Res quoque creatas beati in Deo videre possunt, et de facto vident, secundum beatificae visionis perfectionem et mensuram.

132. **Nota**: mediam sequimur, cum D. Thoma et Suarezio, communemque sententiam, adversus duas extreme oppositas. Nam cum Durando sentiunt Auctores aliqui, omnia quandocumque existentia beatos in Deo necessitate videre: alii, e contra, cum schola Nominalium existimant, nullatenus posse res *ut existentes* in Dei essentia intueri.

Prob. 1.° Tum ex S. Scriptura, tum ex SS. Patribus sumpta in praecedentibus Thesibus (2) testimonia, referuntur etiam ad res aliquando futuras: ergo et res creatae videri in Deo possunt.

2.° Propter summam illam scientiam objecto infinito accomodatam, agnoscit Deus in se omnia possibilia et futuram eorum existentiam. Sed scientia beatorum est quaedam per lumen gloriae participatio illius summae scientiae Dei: ergo et poterunt beati non tantum possibilia aliqua, sed et futura in Deo videre.

133. Objic. 1.° Deus per illam scientiam, qua videt se ipsum, videt quoque necessario tum possibilia tum existentia omnia: ergo idem censendum de visione beatorum.

Resp. neg. paritatem: quia visio Dei est comprehensiva, et ideo simpliciter infinita.

Objic. 2.° Deus nullam habet relationem ad creaturas existentes.

(1) Thes. XI et XII.

Sed sine relatione Dei ad rerum existentiam non possunt in illo videri; ergo res creatae nequeunt in Dei essentia intueri. *Maj.* prob. Relatio Dei ab existentia fundaretur vel in potentia, vel in voluntate, vel in scientia, vel in actione aliqua. Atqui a) non in potentia; quia est indifferens ad hoc quod aliquid existat: b) non in voluntate; quia respectus voluntatis (cum datur) est moralis tantum, quatenus determinat potentiam exequentem (1): c) neque in scientia, seu Verbo, quia scientia, quatenus est necessaria, refertur solum *ut dirigens* voluntatem et potentiam; si ergo in potentia videri nequit res existens, multo minus in voluntate et scientia. Quatenus autem est scientia libera, seu visionis, est consequens ad rerum existentiam, ideoque haec non videretur *in se*, sed abstractive et a posteriori: d) Tandem neque in actione aliqua, quia Deus non agit per ullam in se receptam actionem. Ergo revera nulla est relatio in Deo ad existentiam creaturarum videndam.

Resp. Transmitto *maj.* et nego suppositum *minoris*, ut in responsione ad obj. 1.° praecedentis Theseos notavimus.

Sive quoad esse possibile, sive quod esse existentiae, omnes creaturae ab esse divino dimanare debent. Scientia Dei, seu Verbum, adaequatur ipsius essentiae; ideoque, tamquam infinite actuata, respicit necessario ut existentes res omnes, quae in ipso esse divino videt possibiles, si aliquando extiturae sint participantes ejusdem esse infiniti existentiam. Non igitur videt Deus in sua essentia res existentes, quia vel actio aliqua, vel essentialis virtus, vel voluntas sit earum connexa existentiae; sed quia est summe determinata et actuata scientia Dei ad cognoscendum quidquid formaliter vel eminenter essentia continet, sub quavis ratione veritatis.

Hanc igitur potest Deus participare scientiam rerum existentium, simul cum propriae essentiae intuitione.

ARTICULUS III.

De essentia Dei.

THESIS XXIII.

Essentia Dei physica, formaliter loquendo, constituitur per attributa absoluta tantum; identice vero tum per absoluta, tum per relativa.

(1) Apud D. Thom. p. 1, q. 19, a. 4, ad 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

134. **Nota** 1.° Naturam, essentiam, substantiam Dei pro eadem re significanda sumi apud Concilia, Patres et theologos. Sic Lateran. IV. c. *Firmiter:* «Tres quidem personae; sed una essen»tia, substantia, seu natura omnino simplex.» Unde essentia Dei illud est quo tres Personae conveniunt, suntque unus Deus.

II. Aliqui auctores, ut Cajetanus, Valentia etc., censent, essentiam Dei physicam per omnia constitui praedicata necessaria, tum absoluta, tum relativa. Alii autem, cum Suarez, Molina, Ruiz, etc., defendunt solum praedicata absoluta spectare ad physicam Dei essentiam. Tertia sententia distinguit quatenus Deus vel philosophice, vel theologice consideratur: si mere philosophice loquamur, primae opinioni consentiunt; si autem theologice, secundae.

3.° Proprietates *absolutae* Dei dicuntur, quae nulli opponuntur proprietati et propterea communes sunt omnibus Personis: quae autem aliis opponuntur proprietatibus, dicuntur *relativae*.

135. I.ª Pars prob. quae est certa et communis. Ex supra dictis (1). Deus est ipsum esse per essentiam, et quidem omni perfectione infinitum: atqui non esset talis si aliquod attributum absolutum ad Dei essentiam non spectaret: ergo Dei essentia constat physice, seu realiter, quolibet attributo absoluto.

Confir. Later. IV. c. *Damnamus*, dicit de essentia: «quae »sola est universorum principium, praeter quod aliud inveniri non »potest.» Sed si aliquod attributum absolutum non spectaret ad Dei essentiam, praeter illam aliud inveniretur: ergo attributa omnia absoluta sunt de essentia Dei.

136. II.ª Pars prob. Idem Concil. (ibid.) ait. «Et illa res »(essentia) non est generans, neque genita, nec procedens; sed est »Pater, qui generat... ut distinctiones sint in personis, et unitas in »natura.» Ergo solae proprietates absolutae ad essentiam formaliter spectant.

2.° Patres et Concilia vocant essentiam Dei, id quod est omnibus personis commune. Sed solae proprietates absolutae sunt communes: ergo solae pertinent ad essentiae constitutionem.

Maj. patet ex Edicto fidei Justiniani, prout in Syn. gen. V. habetur. «Omnes enim SS. Patres consonanter nos docent, aliud »esse naturam sive substantiam, et aliud subsistentiam: naturam »quidem vel substantiam, quod est commune significare; subsis»tentiam vero sive personam, hoc quod est speciale.»

Patres Conc. Tolet. XI. in Symb. Fidei ajunt: «In relatio»ne personarum numerus cernitur; in divinitatis vero substantia, »quod numeratum sit non comprehenditur.»

(1) Thes. VII.

137. III.ª Pars prob. 1.° Illud physicam rei essentiam identice constituit, sine quo repugnat rem esse: sed prorsus repugnat Deum esse tum sine praedicatis absolutis, tum sine relativis; ergo identice pertinent ad Dei essentiam attributa relativa.

2.° Essentia physica rei coalescit identice iis omnibus, quae idem cum ipsa essentia necessario sunt: atqui etiam praedicata relativa identificantur necessario cum Dei essentia; ergo eam identice constituunt.

138. Objic. 1.ª Si in Deo foret unica persona, haec esset formaliter de essentia physica Dei: ergo idem dicendum de tribus personis.

Resp. Nego paritatem et *consequentiam*, quidquid sit de veritate *antecedentis*. Nam in ea impossibili hypothesi subsistentia esset proprietas absoluta, nunc autem personalitates sunt relativae, et ab essentia virtualiter distinctae.

Objic. 2.° Patris essentia, est Dei essentia. Sed paternitas est de essentia Patris: ergo et de essentia Dei.

Resp. Dist. *min.* Est de essentia Patris paternitas, in esse Patris; conc. In esse Dei; nego *min.* Nam Pater habet esse Dei et esse Patris quae *virtualiter* sunt duo esse.

Objic. 3.° Deus essentialiter est Pater, Filius et Sp. Sanctus: ergo sunt Personae de essentia Dei.

Resp. Dist. *ant.* Essentialiter, id est, *necessario;* conc. Id est, *constitutive* in esse Dei; nego *ant.*

Objic. 4.° Philosophice, seu ex solo rationis dictamine, quod est idem cum essentia physica, spectat formaliter ad eamdem: ergo relativae proprietates constituunt essentiam physicam formaliter, philosophice loquendo.

Resp. dist. *antec.* Quod est idem realiter, non autem virtualiter, cum essentia physica, spectat formaliter... nego *antec.* Quod est idem, etiam virtualiter, spectat... Transeat: non enim est generatim certum.

THESIS XXIV.

Essentia Dei metaphysica est ens reale a se secundum totam plenitudinem essendi.

139. **Nota.** I. Non quaeritur definitio metaphysica quae constet *proprie* genere et differentia; sed aliquo praedicato communi et differentia aliqua, qua discernatur Deus ab aliis entibus, et in qua, quasi in radice et eminenter, omnia cetera ipsius contineantur praedicata.

II. In hac quaestione multae circumferuntur sententiae. 1.ª Defendit esse collectionem omnium divinorum attributorum Essentiam Dei metaphysicam. Ita multi cum Suarez, Ruiz de Mon-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

toya, etc. 2.ª Ait, sic Deum metaphysice definiri: Ens a se. Ita Bannez, Alvarez... 3.ª dicit esse: Ens infinitum. 4.ª ait: Ens a se intellectivum. 5.ª Ens a se intellectivum et volitivum. 6.ª etc...

140. Prob. 1.° Ens reale a se distinguitur ab omni creatura; et illud praedicatum, quod sit a se *secundum omnem plenitudinem essendi*, distinguitur a quolibet alio praedicato Dei virtualiter omnia continens. Sed nihil aliud requiritur ut haec sit essentia Dei metaphysica: ergo essentia Dei metaphysica est ens reale a se secundum totam plenitudinem essendi.

Maj., quoad primam partem, constat: a) nam nullum aliud ens reale, praeter Deum, est a se. b) Deinde ipse Deus se ita definivit et distinxit, tamquam per exclusivam proprietatem (1): *Ego sum, qui sum... Qui est, misit me ad vos.*

Quoad secundam partem: a) Alia Dei praedicata non referunt esse Dei nisi secundum determinatam rationem; at esse Dei in tota sua latitudine, quamlibet in se continet perfectionis rationem, ergo hoc praedicatum distinguitur a quolibet alio omnia amplectens. b) S. Bernardus dicit (2): «Si bonum, si magnum, si beatum, »si sapientem, vel quidquid aliud tale de Deo dixeris, in hoc verbo »instauratur: *Qui est.*» Damascenus (3): «Videtur principa»lius omnium de Deo dictorum nominum esse, *Qui est:*» Dionysius (4): «Ex ipso esse, tamquam antiquiori aliis Dei bonis, ipse »Deus celebratur.» D. Thomas (5): «Hoc nomen, *Qui est*, nu»llum modum essendi determinat... et ideo nominat ipsum pelagus »substantiae infinitum... Quando aliqua nomina sunt minus deter»minata et magis communia et absoluta, tanto magis proprie di»cuntur de Deo.»

141. Objic. 1.° Ex his testimoniis concludi videtur, quod *Qui est*, seu ens reale a se, sit adaequata definitio Dei: redundant ergo cetera quae in Thesi adjiciuntur.

Resp. Dist. *ant.* Definitio Dei radicalis; conc. Formalis; nego *ant.*: Nam *esse a se* realiter convenit cuilibet attributo Dei etiam relativo: essentia autem metaphysica debet distingui a quolibet attributo uti radix ejusdem. Ut ergo significetur (nam definitio significare debet essentiam formalem, et non solum radicalem), illud *esse a se*, non intelligi prout *confuse* omnibus attributis Dei convenit, sed prout convenit plenitudini essendi, in qua omnia tum relativa, tum absoluta fundantur, adjiciuntur verba illa.

Inst. His ergo positis stare videtur Suarezii opinio; quod essentia Dei sit aggregatio omnium attributorum: quid namque sibi

(1) Exod III, 14.—(2) L. 5, *de Consid.* c. 6.—(3) L. 1. *de Fide*, c. 12.—(4) L. 5, *de div. nom.* - (5) P. 1, q. 13, a. 11.

vult *plenitudo essendi* nisi aggregationem omnium perfectionum?

Resp. Dist. *consequens:* quod sit aggregatio omnium... eminenter seu radicaliter; conc. Formaliter; nego, vel subd. Essentia physica; conc. Metaphysica; nego. Etenim, definitio metaphysica, seu conceptus definitivus, debet ostendere (definire enim est explicare) essentiam metaphysicam: jam vero, *plenitudo essendi* non ostendit formaliter collectionem attributorum, sed solum virtualiter et eminenter: sicut conceptus metaphysicus hominis, *Animal rationale*, non ostendit risibilitatem, et ideo non est constitutivum essentiae metaphysicae. nec in definitione significari debet.

Objic. 2.° D. Thomas (1) ait: «Voluntas Dei non est aliquid »ejus essentiae superveniens, sicut nec intellectus; sed voluntas »Dei est ipsa ejus substantia: et intellectus etiam Dei est ipsa ejus »substantia.» Ergo intellectus et voluntas Dei essentiam constituunt.

Resp. Dist. et explico: est ipsa ejus substantia, seu essentia, physica; conc. Metaphysica; nego. Essentia metaphysica a physica non re, sed ratione differt. Jam vero intellectum et voluntatem distingui secundum rationem ab essentia Dei, clare docet ipse D. Angel. «Licet divinum velle sit ejus esse secundum rem; tamen dif»fert ratione» (2). Idem tradit de intellectu (3).

THESIS XXV.

Essentia Dei ab attributis absolutis, et attributa ad invicem non distinguuntur realiter; aut formaliter ex natura rei, ut vult Scotus cum suis; sed ratione, cum fundamento in re.

142. **Nota I.** Distinctio rationis actualis est ea, qua aliqua apparenter sunt plura, seu non sunt unum; quod solum fit conceptione mentis nostrae. Datur ergo haec distinctio inter illa extrema, quae ex conceptu suo non ostendunt identitatem realem inter se. Si objecta ipsa praebeant fundamentum ad ita concipiendum seu distinguendum, dicitur distinctio rationis ratiocinatae; aliter autem vocatur rationis ratiocinantis.

Nota II. Distinctio formalis ex natura rei, quae dicitur etiam realis formalis, est distinctio media inter distinctionem realem simpliciter, et distinctionem formalem solius rationis: non enim versatur inter duas, entitates reales, ut distinctio realis, sed inter duas, ut ajunt, formalitates ejusdem rei: nec est solius rationis; cum inde-

(1) *Contra Gent.* l. 4, c. 19.—(2) P. 1, q. 19, a. 1, ad 1.m—(3) Q. 26, a. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

pendenter et antecedenter ad conceptionem intellectus distinguantur formalitates illae.

143. Thesis quoad I.am partem est de fide. Prob. 1.° Ex Later. IV. cap. *firmiter:* «Credimus, quod unus est verus Deus, aeternus et incommutabilis, immensus, omnipotens... Tres quidem »Personae, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino.» Infra autem, *C. Damnamus:* «Pater suam substantiam Filio »dedit, juxta quod ipse testatur: *Pater quod dedit mihi, majus omnibus est*. Ac dici non potest, quod partem substantiae suae illi dederit, et partem ipse sibi retinuerit; cum substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omnino.»

2.° Ex Eugenio III et Rhemen. Conc. adversus Gilbertum Porret. «Credimus et confitemur simplicem naturam divinitatis esse Deum, nec aliquo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus et Deus divinitas... Credimus nonnisi ea sapientia, »quae est ipse Deus, sapientem esse; nonnisi ea magnitudine, quae »est ipse Deus, magnum esse; nonnisi ea aeternitate, quae est »ipse Deus, aeternum esse... nonnisi ea divinitate Deum, quae »est ipse: id est, se ipso sapientem, magnum, aeternum, unum »Deum... Credimus et confitemur solum Deum... aeternum esse, »nec aliquas omnino res, sive proprietates, sive relationes, sive »singularitates vel unitates dicantur, vel alia hujusmodi adesse »Deo, quae sint ab aeterno et non sint Deus.» Quibus Gilbertus ipse poenitens subscripsit. Atqui si attributa ad invicem vel ab essentia realiter distinguerentur, dici non posset, naturam divinitatis esset simplicem omnino, et quod divinitas sit Deus et Deus divinitas; et quod ejus sapientia et magnitudo... sit ipse Deus; et nullae sint res, sive proprietates... quae non sint ipse Deus: ergo attributa divina ab invicem et ab essentia nequeunt realiter distingui.

3.° Confirm. ex supra dictis in Thes. XI.

II. Pars. prob.

Primum autem **nota**: Molina, Ruizius a Montoya et alii opinionem Scotisticam dicunt esse temerariam; Vasquez, Bannez, aliique, putant non differre a damnata Gilberti sententia. Verum ab omni potius abstinendum censura, cum adeo insignis Schola putaverit, posse cum Scoto talem doctrinam defendi.

144. 1.° Ex fide constat substantiam divinam esse *simplicem* omnino: sed si in re ipsa sunt formalitates reales distinctae ipsius substantiae, haec non est simplex omnino: ergo nequeunt dari in Essentia divina ejusmodi formalitates.

2.° Inter essentiam et proprietates relativas non existit distinctio formalis ex natura rei, ut in Tract. de *Trinitate* dicemus: ergo multo minus inter proprietates absolutas.

3.° Gregorius Nys. ait (1): «Quis ita stupidus est ut ignoret, divinam quidem naturam esse unam et uniformem atque com»positionis expertem, nec *ullo modo* in vana quadam compositione »spectari; humanam vero animam,... quoniam non potest quod »quaeritur liquido perspicere, per multas notiones ad inexplicabilem naturam diverse ac multipliciter contendere, non una aliqua »cogitatione quod latet indagantem?»

145. III.a Pars theseos sat clare consequitur. Nam 1.° aliqua existit in Dei essentia et attributis distinctio: non autem re ipsa possunt distingui: ergo saltem ratione. Subsumo: atqui ita distinguit ratio quia una simplici cogitatione ineffabilem Dei perfectionem complecti non potest, ut supra docet Nyssenus: ergo haec divinorum attributorum distinctio est cum fundamento in re.

2.° Confirm. ex damnatione Proposit. Ekkardi a Joann. XXII. Prop. 23 sic se habet: «Deus unus est omnibus modis, et secundum »omnem rationem: ita ut in illo non sit invenire aliquam multitu»dinem in intellectu vel extra intellectum.»

3.° Basilius, adversus Eunomium dicentem; *solis vocibus* differre Dei attributa, ait (l. 1): «Qui enim ridiculum non est, si quis »procreandi vim, ipsam esse dicat essentiam? aut providentiam »rursus essentiam? itidemque praescientiam?... Quinam ergo mani»festae insaniae non sit, proprium unicuique nomini significatum »negare subjici?» Rationem autem tot nominum ipse tradit: «Nu»llum esse nomen quod totam Dei naturam comprehendat, et quan»tum satis est explicet.»

146. Objic. 1.° Si inter justitiam et misericordiam, ex. gr., non existeret formalis ex natura rei distinctio, essent formaliter ex natura rei omnino idem. Sed hoc est falsum: ergo inter divina attributa distinctio formalis ex natura rei datur. *Maj.* est clara: *min.* ergo probr. Quae sunt formaliter idem separari numquam possunt: sicut homo et animal rationale; animal et principium sentiendi; etc. Sed misericordia et justitia separari possunt, ut saepe evenit: ergo falsum quod sint formaliter ex natura rei omnino idem.

Resp. Nego *min.* Ad probationem autem dist. *maj.* Quae sunt formaliter, id est, *definitive*, idem, separari non possunt; conc. *maj.* Hoc ostendunt exempla. Quae sunt formaliter *ex natura rei* idem separari nunquam possunt, nego *majorem*.

Scilicet, supponunt Scotistae ad duos conceptus, seu definitiones formaliter distinctas habendas, opus esse quod definita distinguantur formaliter ex natura rei: verum id negamus; sufficit enim distinctio rationis ratiocinatae ad definitiones formaliter distinctas.

---

(1) L. 12, *contr. Eunomium.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Objic. 2.° Deus suam essentiam et attributa cognoscit prout sunt. Sed cognoscit in se plura, diversaque attributa; ergo distinguuntur formaliter a parte rei.

Resp. Dist. *min*. Cognoscit plura... virtualiter, seu equivalenter; conc. Plura formaliter; nego. Deus quidem cognoscit se omnipotentem, sapientem, aeternum... non quasi multas perfectiones, sed unam simplicem, quae omnia ista amplectitur, cognoscens: nos autem non possumus uno conceptu totam illam amplecti perfectionem, et ideo multis conamur.

Objic. 3.° Diversa attributa, *prout formaliter* a nobis cognoscuntur, vel sunt in Deo, vel non: si non sint, conceptus nostri erunt falsi, et Deus non erit vere sapiens, potens, justus... Si sint in Deo, ergo et in illo formaliter distinguuntur, ut docet Scotus.

Resp. Dist. illud. *Prout formaliter:* quatenus hoc significat id, quod attributa, prout a nobis cognoscuntur, habent formaliter *perfectionis;* conc. quod sunt in Deo. Quatenus *Prout formaliter*, significat id, quod habent *praecisionis*, prout a nobis cognoscuntur; conc. alteram partem, scil. non esse in Deo.

Deinde, nego utramque *consequentiam*. Nam vere Deus est sapiens... quoad id, quod est formaliter perfectionis in his attributis: et vere in Deo haec non distinguuntur formaliter; quia licet in nostra mente una perfectio ab alia praescindat, in Deo ipso nulla praescindit, sed sunt simul una, simplexque perfectio. Neque proinde est falsa nostra conceptio, quia praescindit quod in Deo non praescinditur: quemadmodum visio non errat quia praescindit colorem a dulcedine pomi; neque gustus fallitur, dum praescindit dulcedinem a colore. «Abstrahentium non est mendacium», ut effato dicitur.

CAPUT III.

De Scientia Dei.

ARTICULUS I.

Quam habet Deus Sui Ipsius scientiam.

THESIS XXVI.

Deus habet perfectissimam scientiam, et in primis sui ipsius.

147. Utraque pars est fide certa. I.ª autem elucet ex dictis (1). Esse autem scientiam Dei perfectissimam, id est, in actu secundo, cum omnimoda claritate et certitudine et veritate, fluit etiam ex corollario ejusdem Theseos, tum ex aliis positis (2).

II.ª Pars probr. et simul prima confirm. 1.° *Nobis revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei* (3).

2.° Verbum, Filius Patris, procedit ex intellectu et sapientia Patris, eidemque aequalis. Sed, nisi seipsum Deus Pater perfectissime cognosceret, Verbum Filius non esset illi aequalis: ergo. *Majorem* ex tract. de *Trinit.* supponimus.

3.° Deus est summa veritas, ideoque summe intelligibilis; est quoque summe intelligens; haec veritas et hoc intelligere, sunt summe unum in eodem actu simplicissimo: ergo summam et adaequatam seu comprehensivam scientiam habet Deus sui ipsius.

4.° Athanasius (4) ait: Filium seu Verbum esse, «ipsam per »se sapientiam, ipsam per se rationem, ipsam per se potentiam pro»priam Patris, ipsum per se lumen, ipsam per se veritatem... Deni»que ut breviter dicam, perfectissimus Patris fructus, solusque filius »et quam simillima imago ejus.»

Objic. Scientia est notitia causata ex principiorum cognitione. Sed in Deo nihil est causatum: ergo nec scientia.

Resp. Dist. *maj.* Causata *materialiter*, seu per accidens; conc. *maj. Formaliter;* nego *maj.* Formaliter enim est scientia cognitio

(1) Thes. IX.—(2) VIII, XI, XIV.—(3) I Cor. II, 10.—(4) Orat. *contr. Gentes*, n. 46.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Objic. 2.° Deus suam essentiam et attributa cognoscit prout sunt. Sed cognoscit in se plura, diversaque attributa; ergo distinguuntur formaliter a parte rei.

Resp. Dist. *min*. Cognoscit plura... virtualiter, seu equivalenter; conc. Plura formaliter; nego. Deus quidem cognoscit se omnipotentem, sapientem, aeternum... non quasi multas perfectiones, sed unam simplicem, quae omnia ista amplectitur, cognoscens: nos autem non possumus uno conceptu totam illam amplecti perfectionem, et ideo multis conamur.

Objic. 3.° Diversa attributa, *prout formaliter* a nobis cognoscuntur, vel sunt in Deo, vel non: si non sint, conceptus nostri erunt falsi, et Deus non erit vere sapiens, potens, justus... Si sint in Deo, ergo et in illo formaliter distinguuntur, ut docet Scotus.

Resp. Dist. illud. *Prout formaliter:* quatenus hoc significat id, quod attributa, prout a nobis cognoscuntur, habent formaliter *perfectionis;* conc. quod sunt in Deo. Quatenus *Prout formaliter*, significat id, quod habent *praecisionis*, prout a nobis cognoscuntur; conc. alteram partem, scil. non esse in Deo.

Deinde, nego utramque *consequentiam*. Nam vere Deus est sapiens... quoad id, quod est formaliter perfectionis in his attributis: et vere in Deo haec non distinguuntur formaliter; quia licet in nostra mente una perfectio ab alia praescindat, in Deo ipso nulla praescindit, sed sunt simul una, simplexque perfectio. Neque proinde est falsa nostra conceptio, quia praescindit quod in Deo non praescinditur: quemadmodum visio non errat quia praescindit colorem a dulcedine pomi; neque gustus fallitur, dum praescindit dulcedinem a colore. «Abstrahentium non est mendacium», ut effato dicitur.

CAPUT III.

De Scientia Dei.

ARTICULUS I.

Quam habet Deus Sui Ipsius scientiam.

THESIS XXVI.

Deus habet perfectissimam scientiam, et in primis sui ipsius.

147. Utraque pars est fide certa. I.ª autem elucet ex dictis (1). Esse autem scientiam Dei perfectissimam, id est, in actu secundo, cum omnimoda claritate et certitudine et veritate, fluit etiam ex corollario ejusdem Theseos, tum ex aliis positis (2).

II.ª Pars probr. et simul prima confirm. 1.° *Nobis revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei* (3).

2.° Verbum, Filius Patris, procedit ex intellectu et sapientia Patris, eidemque aequalis. Sed, nisi seipsum Deus Pater perfectissime cognosceret, Verbum Filius non esset illi aequalis: ergo. *Majorem* ex tract. de *Trinit.* supponimus.

3.° Deus est summa veritas, ideoque summe intelligibilis; est quoque summe intelligens; haec veritas et hoc intelligere, sunt summe unum in eodem actu simplicissimo: ergo summam et adaequatam seu comprehensivam scientiam habet Deus sui ipsius.

4.° Athanasius (4) ait: Filium seu Verbum esse, «ipsam per »se sapientiam, ipsam per se rationem, ipsam per se potentiam pro»priam Patris, ipsum per se lumen, ipsam per se veritatem... Deni»que ut breviter dicam, perfectissimus Patris fructus, solusque filius »et quam simillima imago ejus.»

Objic. Scientia est notitia causata ex principiorum cognitione. Sed in Deo nihil est causatum: ergo nec scientia.

Resp. Dist. *maj.* Causata *materialiter*, seu per accidens; conc. *maj. Formaliter;* nego *maj.* Formaliter enim est scientia cognitio

(1) Thes. IX.—(2) VIII, XI, XIV.—(3) I Cor. II, 10.—(4) Orat. *contr. Gentes*, n. 46.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ordinis effectuum ad causas, proprietatum ad essentiam, conclusionum ad principia. Vide D. Thomam praeclare id declarantem (1).

148. **Corollarium**. Scientia Dei, qua se ipsum cognoscit, cum sit comprehensiva, terminatur ad omnia quae in ipso sunt, essentiam, attributa, personas, decreta libera, ipsam scientiam; et ita terminatur, ut quomodocumque cognoscibilia sint penitus cognoscat et videat. Actus autem talis scientiae est subsistens, seu ipsa substantia infinita Dei, ideoque nullam admittit vel compositionem, vel mutationem.

SCHOLIA.

§ I.

Status quaestionis.

149. In quolibet cognito objecto distingui solet *materiale*, quod pure *terminat* cognitionem; et objectum formale, quod movet seu *determinat* ad materiale. Ex. gr., credimus Deum unum et trinum; hoc est mentis objectum materiale: revelatio autem est motivum hujus fidei, ideoque objectum formale.

Haec *determinatio* fieri potest *physice* aut *quasi physice*, seu per physicum influxum actualem aut virtualem; et tunc id quod determinat intellectum est species, vel gerit munus speciei, ut supra diximus (2). Sic physice influit divina essentia in visionem beatorum; quasi physice, seu virtualiter, in divinum intellectum ut Personas intueatur.

Potest etiam *determinatio* fieri solum intentionaliter, seu per modum connexionis: ex. gr. adeo perfecte quamlibet essentiam et voluntatem intuetur Deus, ut sit antecedenter determinatus ad quoslibet liberos actus praecognoscendos, ideoque absque eorum influxu physico vel quasi physico: ita enim connexi sunt actus liberi cum divina cognitione, ut si futuri sint, cognoscantur necessario, etiamsi essentia et voluntas cum iisdem necessario non connectantur.

Duo ergo hac de re possunt inquiri: 1.° quod sit objectum formale, seu motivum scientiae Dei de se ipso; 2.° An sit physice vel quasi physice determinativum tale motivum; an vero intentionaliter tantum.

(1) P. 1, q. 14, a. 1, ad 2.m — (2) Scholion IV, n. 115.

§ II.

De motivo formali scientiae divinae.

150. A secundo dubio exordium facientes, scire oportet, communiorem opinionem docere, divinam scientiam habere objectum formale *quasi physice* determinativum: ita fere omnes thomistae nec non Molina, Suarez, Ruiz, et alii D. Thomae discipuli. Difficultas non levis, propter quam alii auctores contradicunt, huic objicitur opinioni; quod, nempe, intellectum divinum aliquatenus *in potentia* existentem concipiat, et specie indigentem: ideo ei adversari etiam D. Thomae sententia illa videtur (1): «Ipsa »species intelligibilis est ipse intellectus divinus, et sic se ipsum »per se ipsum intelligit.» Tamen eidem opinioni favet dum ait (2): «Species principalis intellecti in Deo nihil est aliud quam essentia »sua, in qua omnes species rerum comprehenduntur.»

Conciliari haec forsan poterunt si dicamus; de intellectu divino aliter esse loquendum, dum consideratur materialiter, seu, prout est in se; et aliter dum ab essentia eumdem per rationem formaliter distinguimus. Prout est in se, ipsa est Dei essentia et ideo per eamdem plenissime perficitur et determinatur, quin aliqua alia indigeat *quasi physica* determinatione, seu specie. In hoc sensu loquitur D. Thomas in secundo loco. «In Deo intellectus intelligens »et id quod intelligitur et species intelligibilis et ipsum intellige»re sunt omnino unum et idem» (3).

Quatenus autem intellectum divinum ab essentia distinguimus *quasi proprietatem* ejusdem; tunc, cum sit attributum divinum, debemus illum ut *actum purum* in sua linea, seu ratione, concipere; hoc enim postulat quodvis divinum attributum: proinde non potest tamquam specie indigens excogitari, seu determinatione *quasi physica*.

Aliunde autem tota ejusdem intellectus actuatio, seu perfectio, ab essentia dimanasse concipitur, veluti radice omnium attributorum: sub hac ergo ratione dicere oportebit, essentiam divinam esse *radicaliter* speciem, seu determinativum *quasi physicum* divini intellectus: *formaliter* autem ipse intellectus est sua species et sua determinatio, ideoque alia physica vel quasi physica non indiget determinatione, ut in priori sententia asserit Angelicus.

(1) P. 1, q. 14, a. 2.—(2) Ibid. a. 5, ad 3.—(3) P. 1, q. 14, a. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

§ III.

Quod sit motivum formale scientia Dei.

151. Superest primo loco indicata quaestio, quodnam sit, nempe, objectum formale, seu motivum *intentionale* divini intellectus?

1.ª opinio, valde communis, est Suarezii, Vasquezii, Scoti cum Scotistis, et fere omnium Thomistarum: divinam, nempe, essentiam esse solum divinae scientiae formale motivum.

2.ª autem cum Molina, Ruizio de Montoya, etc., non solam essentiam, sed etiam attributa absoluta et relativa, constituere formale determinativum, asserit.

3.ª dicit, omnia cognoscibilia, etiam creata, esse motivum intentionale et formale divinae scientiae.

152. **Dicendum I.** Si objectum formale tamquam determinativum *quasi physice* supponatur, non aliud divinae scientiae objectum motivum datur nisi Dei essentia: nam tota divini intellectus perfectio in sola essentia radicatur. Jam vero in hac hypothesi procedere videntur primae opinionis Auctores.

153. **Dico II.** Divinae scientiae formale motivum *intentionaliter*, non solum divina essentia, sed etiam attributa et relationes, imo et cognoscibilia creata, existunt.

Prob. 1.° Illud est formale motivum cognitionis, quod est ratio objectiva propter quam est cognitio, qua cognoscitur res uti est. Atqui non sola essentia, sed etiam cetera cognoscibilia sunt ratio objectiva propter quam cognoscuntur uti sunt; ergo eadem sunt formale motivum. Prob. *min.* Eatenus essentia est ratio formalis motiva, quatenus est connexa cum attributis et ceteris cognoscibilibus. Sed attributa, et cetera cognoscibilia non minus, imo magis, connectuntur secum ipsis: ergo eadem sunt ratio objectiva cognoscendi.

2.° Non tantum propter essentiam, sed etiam propter se sunt cognoscibilia attributa, relationes et omnia cognoscibilia. Sed intellectus divinus est determinatus ad cognoscendum quidquid est cognoscibile, secundum omnem rationem qua cognoscibile est: ergo non tantum propter essentiam, sed etiam propter se ipsa cognoscit attributa et omnia cognoscibilia... *Maj.* prob. Formalis et intrinseca ratio cognoscibilitatis est veritas: sed attributa, relationes et quidquid est cognoscibile, est intrinsece, seu propter se, verum: ergo sunt propter se cognoscibilia.

154. Objic. 1.° Objectum formale determinans *intentionaliter*

cognitionem, est id propter quod adhaeret, seu quiescit in objecto intellectus. Sed solum adhaeret, seu quiescit, cognitio divina attributis, relationibus, ceterisque cognoscibilibus propter essentiam; ergo sola essentia est objectum formale. *Min.* prob. Ideo adhaeret mens divina attributis, ceterisque cognoscibilibus, quia sunt vera; ideo autem sunt vera, quia fundantur in divina essentia: ergo tandem propter essentiam adhaeret ac quiescit in his veritatibus divina mens.

Resp. Difficultas haec paralogismum exhibet, ex quo opposita ortum duxit sententia: confundunt, scil., auctores isti ordinem essendi cum ordine assentiendi; terminum formalem virtutis productivae vel *quasi* productivae, cum motivo formali potentiae cognoscitivae.

Unde concessa *Maj.* et negata *min.* probationem dist. et explico. *Ideo sunt vera* formaliter, quia fundantur in essentia; nego *antec.* *Ideo sunt vera* materialiter... conc *antec.* Deinde disting. *consequens:* ergo tandem propter essentiam tamquam principium *essendi* adhaeret... divina mens, conc. *consequentiam.* Propter essentiam quasi *motivum assentiendi* adhaeret et quiescit in his veritatibus divina mens; nego.

Scilicet, nisi foret divina essentia fecunda, et dimanarent (suo modo) ab illa relationes, attributa et cetera cognoscibilia, rationem utique cognoscibilitatis, seu veritatis, quae soli competit enti, non haberent. Non tamen in hoc respectu dependentiae ad essentiam divinam ratio veritatis, seu cognoscibilitatis, consistit; verum in alia intrinseca, immediata et *sui generis* aptitudine, et in ordine objectorum ad mentem.

Objic. 2.° Ratio *motivi* respectu alicujus potentiae, supponit aliquam indeterminationem in tali potentia ab illo motivo complendam. Sed repugnat quaevis indeterminatio divini intellectus, aut quomodolibet eumdem compleri nisi a divina essentia: ergo sola haec motivum formale divinae mentis esse potest.

Resp. Dist. *maj.* Supponit indeterminationem physicam vel intentionalem, subjectivam vel objectivam; conc. *maj.* Physicam tantum, et subjectivam; nego.

Ad *min.* Repugnat indeterminatio physica et subjectiva divini intellectus; conc. Intentionalis et objectiva; nego minorem.

Enimvero, divinus intellectus est physice et subjective prorsus determinatus ad verum quodcumque intelligendum, idque solum a divina essentia quasi specie (radicali) habet. Objective autem et intentionaliter determinat quaevis veritas, sive creata, sive increata, divinam cognitionem: si enim ponatur quaevis veritas, cognoscitur; si non supponatur, non cognoscitur. Ergo determinatio objectiva et intentionalis cuilibet veritati convenit.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

THESIS XXVII.

Deus cognoscit se ipsum in se ipso, et in creaturis.

155. **Nota** I. Cognoscere unum *in alio* indicat illud *aliud* determinare cognitionem, seu primario cognosci et esse rationem cognoscendi alterum.

II. Disputatur inter AA. utrum videat Deus in essentia attributa et relationes, et è contra, in relationibus essentiam; vel potius omnia immediate et directe tantum cognoscat, non vero unum in alio. Quid autem sentiendum, poterit ex secunda parte theseos deduci.

I.ª Pars prob. Deus in se ipso est summe cognoscibilis et suo intellectui intime, immediate, imo identice conjunctus seu praesens: sed non ita esset si tantum se cognosceret *in alio:* ergo se ipsum in se cognoscit. *Maj.* patet; quia Deus est suum intelligere per essentiam (supra, n. 20).

II.ª Pars prob. Creatura, perfecte cognita, est ratio seu determinatio cognoscendi Deum. Sed Deus perfectissime cognoscit creaturam: ergo in creatura se cognoscit Deus. *Maj.* prob. Nequit haec veritas cognosci, *creatura est a Deo, creatura pendet a Deo,* quin Deus cognoscatur. Atqui cognitio perfecta creaturae est ratio seu determinatio, cognoscendi quod *est a Deo, pendet a Deo:* ergo creatura perfecte cognita est ratio Deum cognoscendi. *Min.* patet: nam creatura habet intrinsecam dependentiam a Deo.

Confirm. D. Thomas (1) ait: «Ex parte cognoscibilium potest »quidam circuitus in Eius (Dei) cognitione inveniri, dum scilicet »cognoscens essentiam suam, alias res intuetur, in quibus suae es»sentiae similitudinem videt, et sic quodammodo ad suam essen»tiam redit, non quasi suam essentiam ex rebus aliis cognoscens.»

156. Objic. 1.° Cognitio Dei in creaturis est cognitio abstractiva. Sed haec Deo repugnat: ergo non cognoscit se in creaturis. *Maj.* prob. Cognoscere unum objectum in alio, est cognoscere per speciem alienam. Sed cognitio quae fit per speciem alienam est abstractiva: ergo cognitio Dei in creaturis est abstractiva.

Resp. nego *maj.* Ad probationem autem dist. *maj.* Cognoscere unum objectum in alio, ut cognoscunt creaturae, est cognoscere per speciem alienam; conc. *maj.* Ut Deus cognoscit; nego.

Nam intellectus creatus compleri debet ad cognoscendum, ideoque si in uno objecto aliud videat, per speciem alienam videt: intellectus autem divinus ex semetipso est plenissime determinatus,

(1) Q. 2, *de Verit.* a, 2, ad 2.

ut in quolibet objecto omnem ejusdem habitudinem et intrinsecum terminum videat.

Objic. 2.° D. Thomas ait (1): «Deus se ipsum tantum cog»noscit in seipso.» Resp. Dist. et explico: *In se ipso* tamquam specie, seu quasi physice determinante; conc. Tantum in se ipso, ut intentionaliter determinante; nego. In primu sensu loquitur S. Doctor: «Duplici modo aliquid intelligitur: uno modo in *se* »*ipso*, quando scilicet ex ipsa re intellecta formatur acies intelligentis.» Ad rem faciunt quae alibi (2) docet: «Quidam dicunt, quod »quamvis Pater videat in Verbo creaturam, non tamen ibi videat se »ipsum, imo in se videt se. Non tamen video causam, quare sicut »per modum praedictum creaturam in Verbo videt, quae ibi relu»cet, non multo magis se ipsum videat, qui perfectissime in Verbo »repraesentatur: et sic etiam non est inconveniens, quod per mo»dum istum in creatura se videat, quae ipsius divinae bonitatis re»praesentativa est per imaginem vel vestigium.»

COROLLARIUM.

157. **Dico:** Deus omnia praedicata divina tum absoluta, tum relativa, in sua essentia et in se ipsis videt, et in ipsis essentiam.

Pars prior patet: quia essentia divina ab intrinseco est fundamentum necessarium omnium suarum proprietatum: ergo cognosci nequit essentia comprehensive quin cognoscatur tale illam esse fundamentum. Atqui cognosci non potest fundare essentiam tales proprietates, quin eaedem cognoscantur: ergo omnia sua praedicata in essentia videt.

II.ª 2.° Pars, probr. Omnes divinae proprietates sunt per se et ab intrinseco verae; ut patet; nec non formale motivum intentionaliter divinae scientiae; ut dictum in Schol. III praecedentis Theseos: ergo in seipsis omnes videt.

III.ª Pars elucet ex II.ª Parte Theseos.

ARTICULUS II.

De scientia divina creaturarum possibilium.

THESIS XXVIII.

Deus cognoscit omnia possibilia tum in divina essentia, tum directe in se ipsis.

(1) De verit. q. 2, a. 3, ad 1.—(2) In 1, dist. 32, q. 2, a. 1, ad 4.m

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

158. **Nota I.°** Duplex est sententia de praesenti quaestione: prima cum D. Thoma, Suarezio, Ripalda, etc., est, in divina essentia cognosci possibilia: secunda negat, putans in se ipsis tantum cognosci possibilia a Deo posse; ita S. Bonaventura, Scotus, Aureolus, Vazquezius, Becanus, etc. Probabilius putamus Deum utroque modo possibilia dignoscere.

Nota II.° Duplex est esse creaturae possibilis; esse proprium et formale, et esse eminens seu in causa sua. Esse proprium et formale est illud, quod haberet creatura possibilis *si fieret:* esse autem eminens, est illud quod in Deo habent, quodque participant seu imitantur, *si fiant*. Agimus in Thesi de esse formali, non vero de *eminenti*

159. Pars I.ª Probr. 1.° S. Dionysius (1) testatur, ut supra vidimus: «Se ipsam divina Sapientia sciens, scit omnia.» (n. 130).

Augustinus autem; (2) «Manet ista sententia, ut id quod per »ipsum factum est, vita esse in illo intelligatur, in qua vita vidit »omnia.»

D. Thomas etiam (3): «Non Deus perfecte se ipsum cognos»ceret, nisi cognosceret quomodocumque participabilis est ab aliis »sua perfectio. Nec etiam ipsam naturam essendi perfecte sciret, »nisi cognosceret omnes modos essendi. Unde manifestum est, »quod Deus cognoscit omnes res propria cognitione, secundum »quod ab aliis distinguuntur.»

2.° Confirm. ex dictis supra (4) quod, scil. in divina essentia vident beati creaturas: nam Deus necessario cognoscit quidquid est cognoscibile, et omni modo quo cognosci potest.

160. Pars II.ª constat ex probatis (5). Eatenus enim in divina essentia videri possunt creaturae, quatenus illa est formale motivum intentionaliter intellectus: atqui convenit hoc etiam creaturis: ergo etiam illas in se ipsis cognoscit.

Confirm. Futura contingentia libera, sive absoluta sive conditionata, cognosci non possunt ex eo quod eorum determinata existentia in divina essentia contineatur, verum in se ipsis a Deo cognoscuntur: atqui possibilia non sunt minus apta ad terminandam directe seu in se ipsis, divinam scientiam, quam contingentia libera: ergo et illa in se ipsis videt. *Maj.* infra probabitur.

161. Objc. 1.° Ait D. Thomas, supra: «Alia autem a se »videt (Deus) non in se ipsis, sed in se ipso.» Augustinus etiam, ibidem, ait: «Et sicut vidit, ita fecit: non praeter se ipsum »videns, sed in se ipso ita enumeravit omnia quae fecit.»

---

(1) *De div. nomin.* c. 7.—(2) *De Genes. ad litt.* l. 5, c. 15.—(3) 1. p. q. 14, a. 6. —(4) Thes. XXI.—(5) n. 153.

Resp. Dist. et explico: «Non videt alia in se ipsis, non praeter se »ipsum.» quatenus visio Dei non determinatur per alia tamquam per speciem, id est, physice vel quasi physice perficientia (1); conc. Quasi alia nequeant determinare intentionaliter visionem Dei; nego.

In priori tantum sensu locutos S. Augustinum et Divum Thomam elucet ex contextu: Augustinus ait (ibid. c. 13.): «Nam si extra ipsum ea noverat, quis eum docuerat? aut »quis prior dedit illi et retribuetur ei?» Et D. Thomas: «Ea »quae sunt alia a Deo, intelliguntur a Deo, in quantum essentia »Dei continet species eorum; unde non sequitur quod aliquid aliud »sit perfectio divini intellectus quam ipsa essentia Dei.»

Inst. Si ad alia videnda in se ipsis sufficeret, quod determinaretur intentionaliter ab iisdem Scientia Dei; non negasset D. Thomas, Deum alia in se ipsis cognoscere: ergo sola intentionalis determinatio sufficere non videtur. *Ant.* patet: nam determinationem pure intentionalem scientiae divinae ab objectis creatis admittit D. Thomas (2); ad explicandam enim Dei *certam* scientiam futurorum contingentium, ab eorum objectiva praesentia determinari asserit.

Resp. Dist. *ant.* Non negasset D. Thomas Deum alia in se ipsis cognoscere, ut intentionaliter tantum determinantibus; conc. Ut perfective determinantibus; nego. Scilicet, ibi non explicat D. Thomas pure et praecise modum objectivum videndi alia in se, sed simul perfectionem subjectivam mentis ad id requisitam; quae ex eo quod videtur *in se* desumitur a creato intellectu, a divino autem minime, sed è divina tantum essentia. Imo et aliam imperfectionem objectivam intellectus creati ab intellectu divino excludere voluit. Nam quod videmus *in se*, «per speciem propriam vi»demus *adaequatam ipsi cognoscibili*, sicut oculus videt hominem »per speciem hominis: *in alio* autem videtur id quod videtur per »speciem continentis, sicut cum pars videtur in toto per speciem »totius.» Ex quibus sequitur, quod videns hominem, illum in se videt, quia species qua videt est *adaequata;* faciem autem ejusdem in se ipsa non videt, quia species qua illam videt est inadaequata, id est, non ad solam faciem definita, sed ad totum terminata hominem. Jam vero cum hisce limitibus et imperfectionibus nullam in se ipsa rem creatam a Deo videri planum est: oriuntur enim ex intellectus creati nativa deficientia. Quod autem creaturae possibiles, *omnes* et *simul*, imo et cum divina essentia, a qua pendent, quamque imitantur et participant, in se seu immediate repraesententur

---

(1) Supra, n. 126.—(2) P. I, q. 14, a. 13.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

in divino intellectu, intrinsece et infinite cognoscitivo, nullam prae se fert imperfectionem; ut patet in cognitione certa futurorum contingentium, ex quorum aeterna praesentialitate determinatur in Deo, ut infra confirmabitur.

Objic. 2.° Quod non est, sed esset; non est cognoscibile, sed esset. Atqui possibilia non sunt in se, sed essent si fierent; ergo non sunt cognoscibilia.

Resp. Dist. *maj.* Non est cognoscibile ut *absolute existens;* conc. *maj.* Ut *existens conditionate* seu potens existere; nego majorem.

Et dist. *min.* Non sunt in se *absolute* existentia; conc. *min. Conditionate;* nego *minorem.*

Nam potentia nec dicitur, nec concipitur, nisi ad actum: actus autem quem possibilia respiciunt est eorum *esse* seu existere, quod haberent, si determinarentur seu fierent; hoc enim ipsum *esse*, quod habent si fiant, erat possibile antequam haberent.

Nota. Objectiones in I^m. partem praeoccupatae supra (1).

SCHOLION.

De connexione Dei cum possibilibus.

162. Praecedens quaestio cum alia, quae a praeclarissimis AA. pro utraque parte versatur, conjungitur.

Nota I.° Illa dicuntur connexa, quorum unum sine alio existere non potest; sicut visio, qua Deus videt existere mundum, et actio, qua formaliter creatur mundus, nequeunt esse sine existentia mundi.

Connexio erit *logica*, *metaphysica*, *physica* aut *moralis*, quatenus impotentia ista erit logica, metaphysica seu naturalis vel moralis.

Nota II.° Censent aliqui AA. idem esse Deum connecti cum possibilibus, ac dari relationem transcendentalem inter Deum et possibile; alii autem, ut Suarez, etc. idem non esse putant. Id metaphysicis explicandum tradimus. Vide Suarez, Metaphy. D. 47. Sec. 15.

Nota III.° prima sententia cum Vazquezio, Conink, Oviedo, etc., connexionem Dei cum possibilibus rejicit. 2.ª cum Suarez, Molina, Valentia etc., et thomistis communiter, connecti Deum ac possibilia defendit.

163. **Dico**: Deus metaphysice cum possibilium possibilitate est connexus.

---

(1) Thes. XXI.

Prob. 1.° Non est perfecta potentia, quae ex se non est absoluta, neque efficax. Atqui potentia non connexa cum possibilitate effectus, non est ex se absoluta et efficax: ergo Deus per suam perfectissimam potentiam est connexus cum possibilibus.

Maj. patet: nam potentia quae ex se non sit efficax et absoluta, ab extrinseco complenda est.

Min. prob. Potentia absoluta et efficax ad aliquid impossibile, est quid inane et contradictorium: ergo potentia *ex se* absoluta et efficax, *ex se* excludit impossibilitatem effectus, seu est connexa cum effectus possibilitate.

2.° Deus est connexus cum sua essentia physica, id est, cum omnibus attributis suis (1): atqui divina scientia, quatenus attributum absolutum et necessarium, connectitur cum possibilibus; ergo et ipse Deus est cum iisdem connexus.

Min. prob. Deus per scientiam absolutam et necessariam cognoscit possibilia, et se habere potentiam absolutam et efficacem ad ea in actum reducenda: atqui si possibilia deficerent, talis scientia non existeret; ergo divina scientia connectitur cum possibilibus.

3.° Nequeunt deficere possibilia, nisi id deficiat in quo fundantur. Sed possibilia fundantur in essentia divina; ergo essentia Dei est connexa cum illis.

Min. prob. In eo fundantur possibilia, in quo fundatur *esse* quod habere possunt: sed *esse* quod possunt habere possibilia, in Dei essentia unice fundatur; ergo et possibilia. *Min.* clare patet; nam *esse*, quod habere possunt possibilia, in unico ente necessario continetur.

Maj. etiam constat: nam possibilia non sunt talia, nisi quia illud *esse*, quod respiciunt, est verum *esse* et non chimaera; impossibilia autem per respectum constituuntur ad *esse* et *non esse* simul.

Confirm. Hoc ipsum *esse*, quod habet Petrus, erat *possibile* ab aeterno, et non aliud; si hoc ergo *esse* Petri foret impossibile, et Petrus eo ipso foret impossibilis; ergo in eo fundantur possibilia, in quo fundatur *esse* quod habere possunt.

4.° Deum non peccare, non mentiri, non facere injustitiam est quoddam possibile: sed Deus connectitnr metaphysice cum tali possibili; ergo et cum omnibus, quia non minor est difficultas pro uno, quam pro ceteris.

Maj. patet: nam sicut *Deum peccare* et *mentiri*, etc. est quoddam impossibile distinctum ab hoc: *Deum non esse;* quia termini repugnantes sunt diversi; ita *Deum non peccare*, distinguitur ab hoc possibili, *Deum esse.*

---

(1) Supra Thes. XXII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

164. Objic. 1.° Possibilia ab aeterno non sunt aliquid, sed nihil: sed connexio cum nihilo est imperfecta, imo absurda: ergo Deus non est cum possibilibus connexus.

Resp. 1.° retorquendo argumentum. *Scire nihil* est magna imperfectio, imo absurdum: ergo non habuit Deus ab aeterno scientiam possibilium.

Resp. 2.° Dist. *maj.* Non sunt aliquid actu seu absolute; conc. *maj.* Non sunt conditionate, seu non possunt esse; nego *majorem.*

Objic. 2.° Deus nullo alio indiget, est sibi plene sufficiens: sed non ita esset, posita connexione cum possibilibus: ergo nequit cum eis connecti.

Resp. Dist. *maj.* Nullo alio indiget ut perficiente illum; conc. Ut perfectibili ab ipso; subd. Nullo indiget ut *perfectibili*, cujus perfectibilitas fundetur extra Deum; conc. iterum *maj.*: cujus perfectibilitas in Deo ipso fundetur, nego, vel subd. Non indiget ullo perfectibili, ita ut illud debeat actu perficere; conc. Ita ut scire et posse perficere illud, si velit, non debeat; nego *majorem.*

Cum possibilia omnia in Deo fundentur; non illis, sed sibi, debet Deus, quod illa sciat et possit, si velit, perficere.

THESIS XXIX.

Deus cognoscit creaturas existentes, tum in se ipso, tum in se ipsis.

165. **Nota.** I.° Creaturae existentes possunt cognosci secundum illud esse eminens quod in Deo habent, vel quoad esse formale et proprium quo in semetipsis actuantur. Certa et communis est doctrina. Deum in se ipsis, id est, secundum esse proprium et formale, creaturas cognoscere. Tamen id negasse videtur Aureolus cum Aristotele et aliis paucis; sed nullatenus audiendi.

II. Alia quaestio est, utrum non tantum terminent creaturae cognitionem Dei secundum proprium et formale suum esse; sed etiam immediate illam determinent objective et intentionaliter. Pro negativa militant thomistae plures, quibus favent Molina, Suarez et alii. Affirmant autem AA. fere universi nostri cum aliis.

III. Tria igitur asserimus: a) Deum cognoscere creaturas existentes secundum formale et proprium illarum esse: b) illas cognoscere in se ipso, tamquam motivo determinante: c) easdem etiam in se ipsis videre. I^{m} partem uti certam, II^{m} autem et III^{m} ut probabiliores defendimus.

166. I.^{a} Pars prob. 1.° *Dixitque Deus: Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus lucem quod esset bona* (1). Jam vero sermo est de

(1) Gen. I, 3, 4.

illo proprio et formali esse lucis; hoc enim fecit Deus, et non illud esse eminens, quod in Deo lux habet. Quod autem de luce dicitur, de omnibus intelligendum creatis: *Viditque Deus cuncta quae fecerant, et erant valde bona.*

«Item. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus; omnia nuda et aperta sunt oculis ejus* (1).

2.° S. Hieronymus ait (2): «Propheticus sermo declarat, ni»hil esse quod fugiat providentiam et scientiam Dei; quia alia prop»ter se, alia in usum hominum creata sunt.»

Et Ambrosius (3). «Qui ea quaecumque vana sunt deprehen»dit, ea quae sancta sunt nescit, et ignorat quod ipse fecit? Potest »opus suum ignorare artifex?... Intra profundum abyssi, et intra »hominum mentes non solum tractata, sed etiam volvenda cog»noscit.»

Augustinus quoque (4): «Id ipsum quod factum est, fuisse, »antequam fieret et in se existeret, in mente divina, sicut domus »construenda in mente artificis.»

Et S. Petrus Damian. (5): «Omnia discernit, atque juxta »proprietatem suam quoque distinguit.»

3.° Ratione ex D. Thoma probatur (6): «Virtus alicujus rei »perfecte cognosci non potest, nisi cognoscantur ea ad quae virtus »se extendit. Unde cum virtus divina se extendat ad alia... necesse »est, quod Deus alia a se cognoscat.»

Jam vero virtus Dei non ad res, prout sunt eminenter in Deo, se extendit, sed prout formaliter et proprie in se ipsis existunt: ergo hoc modo a Deo cognoscuntur.

167. II.^{a} Pars prob. 1.° Deus non tantum est rerum possibilium fundamentum, sed existentiae etiam rerum omnium creatarum. Atqui non minus se comprehendit Deus ut fundamentum existentium, quam ut principium possibilium: ergo sicut res possibiles, ita res creatas existentes in se videre debet. Perpendas rationem hic supra ex D. Thoma adhibitam.

2.° *Esse* seu existere rerum creatarum est illud *ipsum esse*, quod erat possibile, sublata indeterminatione seu suspensione illa, *si fieret*. Sed illud *esse*, quod erat possibile, videt Deus in sua essentia, ut dictum est (7); indeterminatio autem seu suspensio, *si fieret*, ab ipso Deo aufertur: ergo in se Ipso cognoscit Deus creatarum rerum existentiam. Quod paucis D. Thomas mira dixit claritate: «Esse »cujuscumque rei Deus cognoscit per essentiam suam. Nam sua »essentia est repraesentabilis per multa, quae non sunt, nec erunt,

(1) Hebr. IV, 13.—(2) In Jerem. XXX, 27.—(3) *Offic.* l. 7, c. 1.—(4) Tract. 1, in Jo.—(5) Epis. 4, de *Omnip.* c. 7.—(6) 1. p. q. 14, a. 5.—(7) Thes. XVIII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»nec fuerunt, (en possibilia). Ipsa est etiam similitudo virtutis cu-»juslibet causae, secundum quam praeexistunt effectus in causis. »Esse etiam cujuslibet rei, quod habet in se ipsa, est ab ea exem-»plariter deductum», (ecce res creatas, seu existentes).

168. III.ª Pars prob. 1.° Divinus intellectus quamlibet intelligit veritatem, quocumque modo est cognoscibilis. Atqui omnes creaturae existentes sunt in se ipsis cognoscibiles: ergo eas in se ipsis videt. *Min.* patet: nam ens et verum, seu cognoscibile, convertuntur. Sed omnis creatura existens est in se ipsa ens; ergo et vera atque cognoscibilis.

2.° Si Deus in se ipso tantum creaturas existentes videret, non nisi ordinem sui ad rem existentem videret: atqui Deus non videt solum ordinem sui ad res creatas existentes; ergo videt etiam illas in se ipsis. *Min.* ratione è *D. Thoma* sumpta (1) prob. «Cum enim, »re existente, ipsam rem videat prout in suo esse determinato est, »aliter cognosceret rem postquam est, quam antequam fiat; et sic »ex eventibus rerum aliquid ejus accresceret cognitioni.» Deinde addit: «Patet etiam, quod Deus ab aeterno non solum vidit ordinem »sui ad rem, ex cujus potestate res erat futura, sed ipsum esse rei »intuebatur.» Praeterea ait (2): «Si non vidisset immediate effectum »in esse suo, sicut nos futura cognoscimus, numquam potuisset »illud scire.»

3.° Eatenus non videret Deus creaturas existentes in se ipsis, quia nequeunt esse motivum formale intentionaliter divinae cognitionis. Atqui possunt esse ejusmodi motivum: ergo. *Min.* patet ex dictis (3).

Confir. Quod determinat divinae cognitionis certitudinem, est motivum formale intentionaliter ejusdem. Atqui creaturae existentes determinant certitudinem divinae cognitionis: ergo motivum sunt formale ipsius.

Min. ex D. Thoma prob. (4): «Contingens aliquod dupliciter »potest considerari: uno modo *in se ipso*, secundum quod jam in »actu est; et sic non consideratur ut futurum, sed ut praesens, ne-»que ut ad utrumlibet contingens, sed ut determinatum ad unum: »et *propter hoc* sic infallibiliter subdi potest certae cognitioni... »Unde omnia, quae sunt in tempore, sunt Deo ab aeterno praesen-»tia, non solum ea ratione, qua habet rationes rerum apud se prae-»sentes, ut quidam dicunt; sed quia ejus intuitus fertur ab aeterno »supra omnia, prout sunt in sua praesentialitate. Unde manifes-»tum est, quod contingentia infallibiliter a Deo cognoscuntur, *in*

(1) 1.° Dist. 38, q. 1, a. 5.—(2) Ibid. ad 6.—(3) N. 152 et seq.—(4) 1, p. q. 14, a. 13; et l. dist. 38, q. 1, a 5.

»*quantum* subduntur divino conspectui secundum suam praesentia-»litatem.»

169. Objic. 1.° Creaturae existentes necessariam cum Deo connexionem non habent: ergo nequit illas in se ipso videre.

Resp. Dist. *ant.* Connexionem absolutam non habent; conc. Conditionatam; nego *ant.* Deinde dist. *conseq.* Nequit illas videre existentes conditionate; nego *conseq.* Existentes absolute; subd. Si non ponatur conditio; conc. Si conditio ponatur; nego *consequens* et *consequentiam.*

Hanc difficultatem fecit sane inextricabilem opinio quaedam de possibilium natura, prout ficta ab aliquibus fuit Auctoribus. Putant, nempe, seu fingunt *ens possibile* veluti quoddam ens actuale, necessarium, aeternum. Adjiciunt tamen, hoc ens actuale non dici *ens* et *actuale*, quatenus *esse* significat unionem essentiae cum existentia, sed in quantum significat unionem praedicatorum essentiae. Ideo, ajunt, haec propositio: *Homo est animal;* (et aliae similes) est aeternae veritatis; quia conformatur cum illo ente possibili et aeterno. Hoc quidem concesso *possibilium* esse et conceptu, non explicabis, quo pacto in se ipso intueatur Deus creaturas existentes, cum connexio quaevis necessaria inter Deum et istas ab illo abscindatur interposito ente actuali et aeterno, ex quo, ajunt, habent veritatem propositiones, seu cognitiones aeternae veritatis.

Huic ergo valedicentes chimaerae, creatura possibilis, dicimus, est illa ipsa creatura, quae evadit actualis seu existens, *si fiat.* Cum igitur ab aeterno Deus in se ipso possibilia videbat (1), illud ipsum videbat esse actuale (existentiam) creaturae, sub illa conditione seu indeterminatione, *si fieret.* Quid ergo opus est ut viderit Deus in se ipso absolutam creaturae existentiam? Quod indeterminationem excluderet; id est, quod fieri seu è sua essentia creaturam illam deducere, ei placeret. Quo posito, nullaque creaturae possibili adjecta forma, quae peculiarem haberet cum divina essentia connexionem, praeter suam formalem dependentiam a Deo; visa est absolute existens, quemadmodum pro signo priori conditionate existens videbatur.

Objic. 2.° Creaturae existentes nullum esse actuale ab aeterno habebant. Sed nequit videri in se, quod non est actu: ergo saltem creaturas futuras vel praeteritas non potest Deus in se ipsis videre.

Resp. Dist. *min.* Nequit videri... si determinanda est visio physice, vel quasi physice, a re visa; conc. *min.* Aliter; nego. Nam intellectus creatus, cum sit in potentia, physice est determinandus; ideoque nullum objectum, nisi actu existens, potest eum immedia-

(1) Supra. Thes. XXVIII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

te determinare, ut in se videri ab illo possit. Sufficit autem, rem quamcumque rationem veri, pro quolibet temporis actualis vel possibilis momento, habere, ut sui cognitionem in intellectu divino intentionaliter determinet. Nam divina mens, utpote aeterna, omnia tempora possibilia complecti simul debet.

COROLLARIA.

§. I.

De singularium cognitione.

170. **Dico.** Deus cognoscit creaturas singulares.

Patet iisdem rationibus ad I^m^ partem Theseos probandam adhibitis.

Obstat tamen quaedam difficultas. Multa singularia sunt materialia: sed intellectus humanus, propter suam immaterialitatem, singularia non cognoscit; ergo neque divinus, qui est longe immaterialior.

Ad hanc objectionem D. Thomas respondet 1.° (1): «In hoc »differunt, quod assimilatio in cognitione humana fit per actionem »rerum sensibilium in vires cognoscitivas humanas; in cognitione »autem Dei est è converso, per actionem formae intellectus divini »in res cognitas. Forma igitur rei sensibilis, cum sit per suam ma»terialitatem individuata, suae singularitatis similitudinem produ»cere non potest, in hoc quod est omnino immateriale: quia forma, »quae est inferioris gradus, non potest agendo producere suam si»militudinem in gradum altiorem.»

171. At urget difficultas: sequitur quod res sensibiles neque virtutem habere possint, ut ad speciem efficiendam concurrant rerum materialium universalium; ideoque efficientur ejusmodi cognitiones (et species) sine objecti concursu. Sane, asserit D. Thomas, actionem objecti pervenire usque ad sensus: «perducitur autem ad »intellectum per virtutem intellectus agentis, in quantum omnino »a conditionibus materiae exuitur.» Verum manet instantia: cur potest virtus intellectus agentis efficere speciem *rei materialis* specificae, non autem individualis? Ratio enim illa, quod *omnino a conditionibus materiae exuitur*, quamlibet rei materialis intellectivam speciem excludere videtur.

Praeterea videtur haec ratio difficultatem prius propositam confirmare, et solutionem datam evertere. Si enim virtus intellectus agentis producere non potest, *propter suam immaterialitatem*, speciem rei singularis materialis; quo pacto poterit a Deo *summe immateriali* produci, tum res ipsa singularis materialis, tum species ejusdem intellectiva, qua Angeli res ejusmodi intelligunt?

(1) *Contra Gent.* l. 1, c. 66.

172. Resp. 2.° Alia ergo tentanda responsio. Dist. *min.* Intellectus humanus, propter suam immaterialitatem, singularia non cognoscit, *prout sensus cognoscunt*, per speciem, scil., a solo objecto materiali susceptam; conc. *min.* Hoc sane, et unice, probat ratio in 1.ª responsione ex D. Thoma sumpta. Singularia non cognoscit, per speciem a lumine intellectus agentis et simul a phantasmate procedentem; nego *min.* Phantasma non est *pure* materiale, cum sit actus vitalis compositi. Hanc responsionem facilius cum doctrina S. Doctoris conciliari censemus.

Docet etenim D. Thomas, angelos proprie et immediate, seu per speciem propriam, singularia materialia videre (1); item, docet intellectum humanum ipsa phantasmata immediate intelligere (2), mediate autem et indirecte singularia materialia: et tamen phantasmata sunt aliquid singulare et materiale. Sane Cajetanus nititur, contra D. Thomam, ostendere, quod *nec indirecte* singularia materialia cognoscamus, sed tantum per discursum; uti probamus Deum existere. Nam, ait, si indirecte illa cognoscimus, patet non repugnare in mente nostra speciem ac cognitionem directam singularis materialis. Sane fatemur non repugnare absolute, sed tantum quod talis species a solo singulari materiali efficiatur, ut optime probat supra D. Thomas. Consultius ergo esset ut S. Doctori consentiret, ac fateretur Cajetanus, posse humanum intellectum singularia materialia cognoscere, quam ut ejusmodi inducat carthesianum idealismum; quod nempe, solum ope discursus realem mundi existentiam dignoscamus.

§ II.

Ab aeterno novit Deus existentia.

173. **Dico:** Deus creaturas existentes ab aeterno, antequam fierent, vidit.

1.° Dicit propheta: *Deus aeterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant* (3). Augustinus autem: «Confiteri Deum, et negare praescium futurorum, apertissima est insania» (4).

2.° Ex D. Thoma, supra in p. III.ª Theseos. (n. 168.)

(1) P. 1, q. 57, a. 2.—(2) Q. 86, a. 1. — (3) Dan. XIII, 42. — (4) L. *de Praedest.* c. 10.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

3.° Ex his confirmantur quae in II.ª p. Theseos dicta sunt. Si enim ex sui comprehensione existentes creaturas cognovit, necessum fuit eas ab aeterno cognoscere, cum numquam fuerit sui comprehensio limitibus circumscripta.

4.° Ex absurdo: aliter «ex eventibus rerum aliquid ejus accres»ceret cognitioni,» ut ait ibid. S. Doctor in III.ª p. Theseos; quod, sane, manifeste sequeretur.

ARTICULUS III.

De scientia divina futurorum contingentium.

THESIS XXX.

174. Contingentia libera absolute futura ab aeterno infallibiliter cognovit Deus. Est de fide.

Nota: contingens futurum dicitur illud, cujus causae non sunt determinatae seu connexae cum illius existentia, sed contingenter ad hoc, ut existat vel non existat, se habent. Si reapse sit futurus contingens effectus, dicitur *absolute* futurus: si autem futurus fuisset, posita aliqua conditione, *quae non ponetur;* dicitur *conditionate* futurus.

Prob. 1.° Ex Vatic. Conc. Const. *Dei Filius*, c. 1. «Omnia »nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam, quae libera creaturarum »actione futura sunt.» Et ex symbolo fidei Leon. XI. «Credo... »Deum praedestinasse solummodo bona, praescivisse autem bona »malaque.»

2.° Ex ps. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe; et omnes vias meas praevidisti.* Et apud Joannem (1): *Sciebat ab initio Jesus, qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.* Vide et Matth. (2).

3.° Augustinus aperte loquitur (3): «Praedestinatio sine prae»scientia esse non potest; potest autem esse sine praedestinatione »praescientia. Praedestinatione quippe Deus praescivit, quae fuerat »ipse facturus... Praescire autem potens est, quae ipse non facit, »sicut quaecumque peccata.»

4.° Confirm. ex superius dictis (4).

175. Objic. 1.° Passim in SS. Litteris non nisi conjecturaliter loquitur Deus de futuris contingentibus: ergo scientiam certam non

(1) VI, 65.—(2) XXVI, 34.—(3) L. de Praedest. c. 10.—(4) Thes. XXIX, n. 168.

habet de his, sed dubiam vel probabilem; ut cum Dominus dicebat: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan et mihi* (1).

Resp. Dist. *ant.* Loquitur conjecturaliter ratione objecti, seu significando contingentiam causarum; conc. Ratione suae scientiae; nego *antecedens.*

Objic. 2.° Aliqua futura praedixit Deus, quae non evenerunt: ergo scientiam eorum non habet.

Ant. patet in praedictione mortis Ezechiae (2), eversionis Ninive (3), etc.

Resp. Dist. *ant.* Praedixit absolute; nego *ant.* Sub conditione; concedo *antecedens.*

SCHOLIA.

§ I.

Notiones praeviae.

176. Ut explicent AA. quo pacto Deus futura contingentia cognoscat, non parum laborant et inter se dissentiunt.

Nota I.° Futurum est vel *proprie* tale, vel *secundum quid.* Illud dicitur *proprie* futurum, quod non existit nunc, et existet postea: *secundum quid* futurum est, quod, perpensa causarum dispositione, esse debet postea, licet forsan hae impediendae sint. Ita D. Thomas (4).

Nota II.° Futuritio *proprie* talis est duplex: *formalis* et *illativa.* Futuritio *formalis* est forma, per quam res est futura; id est, talis, quod non existit nunc, existet autem postea. *Illativa* futuritio est *antecedens connexum* cum eo, quod res, non existens nunc, existet postea. Haec connexio potest esse metaphysica, (ut illa quae inest praescientiae Dei, aut decreto, cum objecto ejusdem), aut physica, aut moralis.

Nota III.° Aliud est, aliquid esse necessarium ut sit res aliqua; aliud, esse rationem formalem ut ea res sit: ex. gr. scientia, decretum, actio Dei creativa, sunt quid necessarium ut aliquid existat, et non sunt ratio formalis existentiae.

(1) Jo. V, 46.— (2) Is. XXXVIII, 1.— (3) Jonae, III, 4.— (4) De Verit. q. 12, a. 10, ad 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

§ II.

Quid de futuris contingentibus dignoscit Deus.

177. **Dico I.** Deus non tantum cognoscit contingentia absolute futura, prout sunt in suis causis, sed prout unumquodque eorum est actu in se ipso.

1.° Prob. Ex definitione futuri contingentis, in Thesi praecedenti tradita (n. 174), patet, quod contingens, prout est in sua causa, non est determinatum ad unum; unde si in suis causis tantum futura contingentia Deus cognosceret, sequeretur absurdum a Divo Thoma notatum; quod non haberet de illis *nisi conjecturalem cognitionem.*

1.° Vide argumenta supra posita (1), quae pariter hanc propositionem ostendunt.

Objic. Per illud videt Deus futura contingentia, per quod sunt futura: sed solum sunt futura per suas causas; ergo solum ea videt Deus per suas causas.

Responsio patebit ex sequenti propositione.

§ III.

De formali futuritione.

178. **Dico II.** Futura contingentia non sunt formaliter futura per suas causas, vel per aliquid actu existens; sed per se ipsa, quatenus non existunt actu, existent autem postea.

Prob. 1.° a simili. Adam non est praeteritus *formaliter* per suas causas, vel quidquam aliud actu existens; sed per hoc tantum, quod nunc non existit, extitit autem antea. Ergo a pari, futura contingentia non sunt formaliter futura, nisi quatenus non existunt nunc, existent autem postea.

2.° Eo praecise, quod res non existit hodie, existet autem cras, est res futura. Sed in hoc non involvitur formaliter aliquid positivum de praesenti: ergo futura contingentia non per aliquid actu existens, etc.

Maj. patet; quia eo praecise intellecto, vere dicitur et cogitatur; *res existet cras*. Sed hoc nihil est aliud quam rem esse futuram; ergo eo praecise, quod res non existit hodie, existet autem cras, est res futura.

(1) Thes. XXIX, p. III, n. 168.

179. Objic. 1.° Esse aliquid *futurum* est denominatio de praesenti: ergo forma denominans, seu futuritio formalis, debet esse de praesenti, seu aliquid actu existens.

Resp. 1.° Retorq. argumentum: Tempus est denominatio de praesenti; sic dicitur: *Tempus breve est: Ecce nunc tempus acceptabile: Tempus vestrum semper est paratum:* sic passim S. Scriptura. Ergo forma denominans, seu tempus formaliter, debet esse de praesenti. Atqui tempus formaliter est successio, seu praesens, praeteritum et futurum: ergo praesens, praeteritum et futurum sunt de praesenti. Quis rei non perspicit absurditatem?

Resp. 2.° Dist. *consequens*. Forma denominans debet esse de praesenti, physice vel moraliter; conc. Semper physice; subd. Cum denominatio id significat; conc. Secus; nego. Aliquando, revera, denominatio significat formam physice de praesenti; ut cum dicitur *vovens, nubens, vivens*, etc. Aliquando vero solum moraliter; uti *professus, nuptus, annosus* etc.

Obj. 2.° Ait D. Angelicus (1): «Illud quod nunc est, ex eo fu»turum fuit antequam esset, quia in causa erat, ut fieret., Unde, su»blata causa, non esset futurum illud fieri.»

Resp. Loquitur hic de futuritione *illativa;* nihil enim physice fuit ab aeterno ex quo *inferretur* rem esse futuram, nisi causa prima. Etenim ipse S. Doctor ait (2): «Aliquid potest dici futurum, »non solum ex hoc quod ita erit, sed quia ita est ordinatum in cau»sis suis, ut sit futurum.» ¿Videsne aperte distinguere futuritionem *formalem* ab illativa?

§. IV.

Futuritio contingentium non est a decreto Dei.

180. **Dico III.** Neque futuritio formalis, neque illativa rei contingentis potest consistere in aliquo decreto divino praesenti.

Pars I.ª de futuritione formali ex propositione praecedenti patet. Confirm. Si decretum divinum rei contingentis futurae non esset *praesens*, sed futurum; id sufficeret, ut res illa contingens etiam esset futura: ergo futuritio formalis... *Ant.* prob. Si futura est connexio, etiam hujus terminus futurus est. Atqui quando futurum est decretum rei contingentis, futura est connexio cum re contingenti: ergo si decretum divinum rei non esset praesens, sed futurum, etiam res esset futura.

II.ª Pars. prob. 1.° Si futuritio illativa rei contingentis in de-

(1) P. I, q. 16, a. 7, ad 3. – (2) De verit. q. 12, a. 10, ad 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

creto divino sita foret, futura contingentia essent determinata ad existendum, prout sunt in suis causis. Atqui futura ejusmodi non sunt determinata ut sint, prout sunt in suis causis: ergo rei contingentis futuritio illativa in decreto divino posita non est.

Min. patet ex ipsa natura horum futurorum. Deinde id saepe defendit D. Thomas; ut 2, 2, q. 171, a. 6, ad 2m; et 1. dist. 38, q. 1, a. 5, ad 2m et 5m; et 1, p. q. 14, a 13. «Futurum contingens non »est determinate verum, antequam fiat, quia non habet causam de»terminatam... Sed dum est in actu, determinate verum est; et ideo »a cognitione, quae est praesens (ut divina) illi actui, potest certi»tudinaliter cognosci.» ibi. dist. 38). Et quidem, si in decreto esset aliqua futuritio contingentium illativa, jure dicunt adversarii, quod mediante decreto posset scientia Dei rem futuram certo attingere: sed hoc prorsus negat ibi D. Thomas, ut patet: deinde in resp. ad 6m idem confirmat: «Non tamen attingit eam (rem futu»ram contingentem), *nisi prout* est in esse actuali praesentialiter »considerata.» Vide Augustinum (1).

2.° Si futuritio consensus crastini in decreto Dei reponeretur, Petrus non posset impedire consensum. Sed hoc, tamquam libertatem arbitrii evertens, damnat Tridentinum (2): ergo. *Maj.* prob. Si posset impedire consensum, posset et impedire eumdem esse futurum. Atqui si in decreto Dei consisteret futuritio consensus, non posset impedire Petrus, esse futurum consensum: ergo neque ipsum consensum vitare posset.

181. Objic. Censet D. Thomas determinationem causae primae non impedire contingentiam futurorum, dummodo causae proximae sint indeterminatae: sed decretum Dei aeternum non spectat nisi ad primam causam: ergo futuritio contingentium in Dei decreto consistens non obstat libertati, neque Angelici D. doctrinae.

Resp. dist. *ant.* Censet D. Thomas determinationem causae primae, *consequentem* futurorum praesentialitatem in suo esse actuali, non impedire eorum contingentiam; conc. *maj. Antecedentem* et *determinantem* futura, censet non impedire eorum contingentiam; nego. Haec est genuina D. Thomae mens.

Inst. Ait D. Thomas (3): «Contingentia infallibiliter a Deo »cognoscuntur, in quantum subduntur divino conspectui secun»dum suam praesentialitatem: et tamen sunt futura contingentia, »suis *proximis* causis comparata.» Ergo non opus est ut futura, ad *primam* causam relata, sint contingentia et indeterminata.

Resp. 1.° Cum verbum illud *proximis*, in aliquo antiquo non legatur codice, jure suspicionem alicujus corruptelae locus ingerit; quemadmodum et aliae Sancti Thomae sententiae similem passae sunt corruptionem.

(1) *De Civit. Dei*, l. X, c. XII.—(2) Ses. 6, can. 4.—(3) 1, p. q. 14, a. 13,

Resp. 2.° Explico sensum vocis: dicuntur esse contingentia suis *proximis* causis comparata, quatenus illae *nullam* infallibilem connexionem cum effectibus contingentibus habent; conc. Quasi prima causa aliquam prae se ferat connexionem antecedentem cum futuris contingentibus, praeter illam quae *consequitur* eorum praesentialitatem, qua subduntur divino conspectui; nego. Hanc connexionem solam, scilicet consequentem, verba ipsa D. Thomae indicant.

Unde dist. *consequens:* Contingentia ad primam causa relata non sunt contingentia, quasi ab illa antecedenter determinentur; nego *consequentiam*. Quatenus prima causa *consequenter* ad contingentium praesentialitatem, determinate et infallibiliter illa conspicit; conc. Hic est vocis illius sensus, doctrinae D. Thomae consentiens, nisi potius malis illam, ut spuream, expungere.

V. *Praescientia contingentium est simultanea.*

182. **Dico** IV. Deus non cognoscit successive, sed simul, futura contingentia.

Nota. Futura contingentia successive existunt et praesentia fiunt: cum ergo Deus non possit illa infallibiliter cognoscere nisi in *sua praesentialitate*, putabit, forsan, aliquis, quod successive a Deo cognoscantur. Et sane Deus illa videt esse successiva, id est, nunc esse, nunc non esse, atque alia post alia existere: non tamen in divina cognitione aliqua realis successio existit.

Prob. optime a D. Thoma (1). Cognitio Dei mensuratur aeternitate, sicut suum esse; nam sunt idem. Sed aeternitas simul existens ambit totum tempus, seu facit, ut esse Dei absque ulla simul existat successione: ergo et cognitio simul seu absque ulla successione omnia, quae in tempore futura sunt, attingit.

Coroll. «Unde omnia quae sunt in tempore sunt Deo ab aeterno »praesentia, non solum ea ratione, qua habet *rationes* rerum apud »se praesentes, sed quia *ejus intuitus* fertur ab aeterno supra om»nia, prout sunt in sua praesentialitate.» Ita D. Thomas (ibid.).

(1) P. 1, q. 14, a. 13.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

VI. *De praesentia futurorum in aeternitate.*

183. **Dico** V. Res futurae non sunt ab aeterno physice praesentes aeternitati Dei, sed moraliter tantum, seu respectu ad Dei intuitum.

Nota. Haec est doctrinae, in praeced. propositione traditae, vera intelligentia. Nam aliqui AA. sic intellexerunt D. Thomam, ut inde inferrent, omnes creaturas ab aeterno esse Deo physice coëxistentes. Quod si verum esset, fateri oporteret, cum Joanne a S. Thoma (istud defendente), *maximum esse mysterium*. Cajetanus autem sincere fatetur (1): «Iste locus a sequentibus doctri»nam D. Thomae reputatur adeo obscurus, ut neminem hac»tenus viderim, sive scripto, sive verbo assertive tueri hoc dictum;» nempe, quoad sensum quem rejicimus. Quantum autem ipse desudaverit ut talem amplecteretur interpretationem, non miramur: ait, se *Dei gratia, post 15 annos*, invenisse D. Thomae mentem. Si autem tantum laborabit Cajetanus ut mentem D. Thomae inveniret, fateri oportet, valde esse reconditam ac remotam ab illa mirabili claritate et proprietate verborum, qua uti solet S. Doctor. Tamen Gonet, in suo Clypeo (2), eos increpans, qui talem fuisse Ang. Doctoris mentem negant vel dubitant, ait: «Res »tamen adeo manifesta est, ut, hac in re de ejus mente dubitare, sit »tenebras et caliginem soli effundere: ac in meridie caecutire.»

Nostram sententiam tuentur Vazquez, Suarez et communiter AA. Soc. Jesu. Aegidius Romanus, auditor olim Parisiis D. Thomae, eos enumerat inter corruptores doctrinae Doctoris Angelici, qui eidem talem adscribunt opinionem de futurorum aeterna praesentia. Cajetanus, ut vidimus, fatetur; ante ipsum extitisse neminem, qui tale mysterium *assertive* tueretur.

184. Prob. 1.° Thesis. Eatenus creaturae coëxisterent vere et proprie ab aeterno, quia dum existunt in tempore, coëxistunt simplici, ideoque toti aeternitati Dei, quae totum ambit tempus. Sed hoc nihil probat: ergo creaturae non coëxistunt Deo ab aeternitate. *Min.* prob. Creatura existens Romae, coëxistit ibidem simplici, adeoque toti immensitati Dei, quae ambit omnem locum. Sed id non probat, quod vere et proprie existat immense (ut omnes fatentur), tamquam in aliena mensura: ergo neque sufficit coëxistere creaturam aeternitati in aliquo tempore, ut ab aeterno coëxistat, ut in aliena mensura.

(1) Ibid.—(2) T. 1. *De scient. Dei.*

Paritas et *consequentia* est evidens. Ideo enim creatura, coëxistens Romae Dei immensitati, non existit immense, quia non existit Romae per immensitatem Dei, sed per suam finitam ubicationem. Atqui neque coëxistit aeternitati Dei per ejusdem aeternitatem, sed per solam suam finitam durationem: ergo nequit etiam ab aeterno Deo coëxistere.

Confirm. Non minus simplex et infinita est Dei immensitas, quam aeternitas: ergo si haec creatas res trahit ut sint ab aeterno, illa easdem facit esse ubique.

Quod de immensitate dictum est, de qualibet dici potest perfectione. Imitatur enim quaevis creatura gradum aliquem divinae perfectionis: quaevis autem perfectio in Deo est simplex et infinita; ergo trahit quamlibet creaturam ut imitetur totam Dei perfectionem, ita ut sit infinita *in aliena mensura*. Sic enim loquuntur.

185. 2.° Si creaturae existerent ab aeterno in aliena mensura, etiam existerent in propria. Sed hoc nolunt, nec possunt, concedere. Ergo neque primum concedendum.

Maj. prob. Ideo futura existerent ab aeterno in aliena mensura, quia coëxistunt ab aeterno alienae mensurae. Sed si existerent ab aeterno in aliena mensura, etiam coëxisterent propriae mensurae; ergo si creaturae ab aeterno existerent in aliena mensura, etiam in propria existerent.

Min. prob. Non minus futura est in tempore duratio rei futurae, quam ipsa res. Ergo pariter, et aequo jure, res futura et ejus duratio existunt ab aeterno; ergo eo modo, quo res futura ab aeterno existit, coëxistit propriae mensurae.

3.° Non est vera, sed ficta, ea rei existentia, quae est simul, et aequo jure, cum ejusdem non existentia. Atqui talis est haec existentia futurorum ab aeterno: ergo ficta dicenda ejusmodi ab aeterno existentia. *Minor* patet. Etenim aeque verum est, rem quamlibet quandoque non existere, et quandoque existere.

186. Objic. 1.° D. Thomas ait (1): «Quidquid in quacum»que parte temporis est, coëxistit aeterno, quasi praesens eidem.»

Resp. Explico: coëxistit aeterno, dum est in tempore; conc. Antequam sit; subdist. Coëxistit aeterno physice; nego. Moraliter, seu per intuitionem; conc.

Inst. Intendit probare D. Thomas, Deum cognoscere futura, idque probat quia futura aeterno coëxistunt: si ergo coëxistere aeterno intelligitur moraliter, seu per intuitionem, probat idem per idem.

Resp. Dist. *ant.* Intendit probare *praecise* Deum cognoscere futu-

(1) L. 1, Contr. Gent. c. 66.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
BIBLIOTECA GENERAL DE BIBLIOTECAS

ra; nego; cognoscere illa *sine successione;* conc. Unde ita argumentatio procedit: «Quidquid in quacumque parte temporis est (ecce »existentiam physicam), coëxistit aeterno (intellectui divino) quasi »praesens eidem.» Sed quod est aeternum, scil. intellectus divinus, successionis durationem non habet, seu est totum simul: ergo non successive, *sed quasi praesens* intuetur in tota sua aeternitate; quod per totum temporis decursum agitur.

Praesentia ergo physica in tempore est fundamentum argumentationis; praesentia autem moralis, seu simultaneae intuitionis, in aeternitate, est conclusio, sicut explicitis verbis declarat ipse S. Doctor in illo Coroll. supra, (n. 182.)

Objic. 2.° Augustinus, Gregorius, etc. dicunt Deum proprie non habere praescientiam, nihil Deo esse futurum aut praeteritum, sed tantum praesens.

Resp. Haec dicunt PP. ut excludant a Deo illam mutationem, qua nos praeterita et futura cognoscimus; conc. Ut tribuant aliam rerum praesentiam praeter moralem, seu respectu divini intellectus; nego. Augustinus ait (ps. 43): «Et quare apud ipsum om»nia? Quia et antequam essent omnia aut crearentur, ei nota erant »omnia.» Et Gregor. (1): «Scimus quia Deo futurum nihil est, »ante *cujus oculos* praeterita nulla sunt, praesentia non transeunt, »futura non veniunt; quippe quia omne quod nobis fuit, erit, in ejus *prospectu* praesto est.» Scilicet, praescientia in nobis est, res in suis causis cognoscere; Deus autem in se ipsis omnia futura cognoscit; ergo scire potius quam praescire futura dicendus est; «ne dicatur bis cognoscere objecta, primo ut futura, postea ut prae»sentia;» ut ait Augustinus (2): et rursus; «Neque enim ejus »intentio de cogitatione in cogitationem transit, in cujus incorpo»reo intuitu simul adsunt cuncta quae novit; quoniam tempora ita »novit nullis suis temporalibus notionibus; quemadmodum tempo»ralia movet nullis suis temporalibus motibus.»

Objic. 3. Deus habet de re praesenti hanc scientiam: *Mundus*, ex. gr. *est miki physice coëxistens.* Sed hoc scivit eadem scientia ab aeterno; ergo mundus fuit Deo physice praesens ab aeterno.

Resp. 1.° Elucebit fallacia, si adversarii solvant idem argumentum: nam fatentur illi, non fuisse mundum ab aeterno physice Deo praesentem in propria mensura, seu duratione, sed aliena. Igitur sic: Deus habet de mundo praesenti hanc scientiam: *Mundus est mihi praesens physice in propria mensura.* Atqui hoc scivit eadem scientia ab aeterno: ergo mundus ab aeterno est Deo physice praesens in propria mensura. En, habes ex eadem argumentandi forma consequentiam haereticam.

(1) Moral. l. 20, c. 23.— (2) L. 2, QQ. ad Simplic. q. 2.

Resp. 2.° Aliqui dicunt quod Dei cognitio non involvit compositionem per verbum *est* vel *erit* notatam, sed simplicem tantum omnium intuitum. Id innuere videtur D. Thomas (1). Augustinus autem (2) ait: «Non more nostro Deus quod futurum est res»picit, sed alio quodam modo a nostrarum cogitationum consuetu»dine longe, lateque diverso.»

Resp. 3.° Dist. maj. *Est mihi physice coëxistens*, in duratione A vel B (individua); conc. Praescindendo; nego. Item dist. *min.* Hoc scivit ab aeterno, sibi esse praesentem physice, in duratione A vel B; conc. Pro alia duratione aeterna; nego.

ARTICULUS IV.

De scientia divina actuum liberorum sub conditione futurorum

THESIS XXXI.

Deus certo cognoscit futura contingentia libera conditionata, sub conditione indifferenti et conducibili.

187. **Nota I.** Multiplex est *conditionatum:* a) cujus conditio est metaphysice connexa cum eodem; puta, si detur praemotio physica (ad sensum thomistarum) ad consensum, erit consensus: b) quum conditio est moraliter connexa, v. gr. si detur maxima inclinatio moralis ad consensum, consensus existet: c) cujus conditio est adiaphora, seu, ut dicitur, disparata; puta, si Titus dormiat, Turca convertetur.

Nota II. Futura conditionata, quae numquam existent, dicuntur *pure* conditionata.

Nota III. Antiquos è sua schola negasse Deo hanc scientiam, asserit Ledesma O. P., illorumque sententiam sibi, dicit, esse certissimam, oppositam autem improbabilem; scilicet, conjecturis tantum cognoscere Deum futura contingentia conditionata asserit. Tamen nunc thesis nostra est inter Theologos communis, et certa tenenda: imo Alvarez O. P. et alii (etiam ex thomistis) dicunt, quod non possit negari, *salva fide.*

188. Prob. 1.° Christus D. ait: (3), *Vae tibi Corozain, vae tibi*

(1) Q. 14. a. 15, ad 3. — (2) De *Civit. Dei*, l. 11, c. 21. — (3) Matth. XI, 21.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Bethsaida: quia si in Tyro et Sidone factae essent virtutes, quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent. Haec quidem poenitentia locum non habuit; tamen, posita conditione, extitisset.

Patet quoque ex responso Davidi, Deum consulenti, tradito (1).

2.° Augustinus passim de hac Dei scientia sumit argumenta ad Dei commendandam providentiam (2): «Respondeant, si possunt, »cur illos Deus, cum fideliter et pie viverent, non tunc de vitae »hujus periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, et »ne fictio deciperet animas eorum? Utrum hoc in potestate non ha»buit, an eorum mala futura nescivit? Nempe nihil eorum nisi per»versissime atque insanissime dicitur.»

3.° «Deus scit non solum quae sunt actu, sed etiam ea quae sunt »in potentia vel sua, vel creaturae.» (3) ait D. Thomas. Atqui horum quae sunt in potentia sua vel creaturae, quaedam sunt futura contingentia conditionata nobis libera sub conditione conducenti: ergo ejusmodi noscit. *Min.* prob. Sub gratia A, vel sub tentatione B, contingeret necessario unum ex duobus, vel consensus, vel dissensus, ita ut, non possemus, uno posito, alium ponere. Atqui ejusmodi consensus vel dissensus, sub ea conditione et disjunctione possibilis vel impossibilis, est contingens futurum nobis liberum sub conditione conducenti; ergo horum quae sunt in potentia Dei vel creaturae quaedam sunt futura conditionata nobis libera.

Confirm. Non possunt consensus et dissensus simul sub eadem conditione existere: ergo ignorans an contingeret consensus vel dissensus, ignorat necessario, an consensus vel dissensus evadat sub tali conditione impossibilis; et consequenter nescit, uter eorum maneat possibilis: ergo neque cognoscit omnia quae sunt in potentia illius creaturae.

4.° Deus scit omnia quaecumque sunt *quocumque modo*, idque etiam asserente explicite Ang. Doctore (4). Atqui futura contingentia... sunt aliquo modo; nempe sunt futura conditionate: ergo ea noscit Deus. *Min.* patet. Nam esse futurum conditionate plus significat quam non esse futurum.

189. Objic. 1.° In graeco fonte non dicitur absolute de Tyriis, quod poenitentiam egissent, sed sub dubitatione, *forte* ἄν. Ergo non urget probatio.

Resp. 1.° cum Augustino (5): «Ille, qui omnia scit, quando »dicit *forsitan*, non dubitat, sed increpat.»

(1) I Reg. XXIII, 11.— (2) De *correp. et grat.* c. 8, n. 19.— (3) Summ. p. 1, q. 14, a. 12.—(4) Ibid. a. 9.—(5) Trac. 37 in Jo.

2.° Ex Hieronymo: eo modo locutus est Christus ut libertatem arbitrii indicaret: (1). «Verbum ambiguum, *forsitan*, majesta»ti Domini non potest convenire, sed nostro loquitur affectu, ut »liberum homini servetur arbitrium, ne ex praescientia ejus, quasi »necessitate vel facere aliquid, vel non facere cogatur.»

Objic. 2.° Aliqui docent Patres, non potuisse Deum praescire, quae futura non erant: ergo ejusmodi scientia non est concedenda.

Resp. Distinguo: non potuisse praescire tamquam *absolute* futura; conc. Uti *conditionate* futura; nego *antecedens*.

Objic. 3.° Scientia conditionatorum est abstractiva et praecisiva: ergo nequit esse in Deo sine imperfectione. *Ant.* prob. Scientia quae praescindit ab eo, utrum res absolute erit, est abstractiva: sed talis est scientia conditionatorum; ergo est imperfecta.

Resp. Dist. *ant.* Est praecisiva *virtualiter;* conc. *Actualiter;* nego *ant. et consequentiam.*

Potest, sane, scientia futuri conditionati liberi simul esse cum scientia ejusdem, tamquam absolute futuri vel non futuri; adeoque illa prior a posteriori *virtualiter* distinguitur; non tamen *actualiter;* nam idem actus respicit necessario utramque ejusdem objecti veritatem; scilicet, tamquam conditionate et tamquam absolute futuri vel non futuri.

THESIS XXXII.

Deus non cognoscit in decreto subjective absoluto et objective conditionato futura contingentia conditionata nobis libera.

190. Percelebrem quaestionem de medio, quo Deus futura contingentia conditionata cognoscit, praetermittere non licet, cum ex ea tum Scientiae Mediae doctrina, tum thomistici systematis textura ortum ducant.

Nota I. Bannez, aliique thomistae non negantes hanc Deo scientiam, putant, Deum futura conditionata libera cognoscere in decreto subjective absoluto, et objective conditionato, per quod efficaciter determinanda esset voluntas si crearetur. Molina autem, Bellarminus, Suarez, etc. censent, posse ejusmodi futura cognosci in se ipsis tantum, ne pereat libertas. Doctrinae Soc. J. consentiunt alii innumeri Auctores, quorum plus quam 200 enumerat Henao, eisque postea plurimi accesserunt.

191. **Nota II.** Decretum divinum considerari potest in se ipso, vel in suo objecto; seu, subjective vel objective. Decretum, in se

(1) In Jer. XXVI, 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ipso consideratum, si existat, dicitur subjective absolutum: ex. gr. decretum illud: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris* (1). Si autem non existat decretum, sed existeret posita aliqua conditione; est subjective conditionatum; puta: *Si Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiae replebit illum* (2). Ex parte autem objecti, accidere potest ut Deus illud velit absolute; puta, decretum creandi mundum; vel illa Christi decretoria voluntas: *volo: mundare* (3). Potest etiam Deus aliquid velle sub aliqua hypothesi; ut illud: *morte morieris;* vel istud (4): *Movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi poenitentiam egeris.*

Nota III. Ajunt ergo banneziani, ideo cognovisse Deum ab aeterno poenitentiam Tyriorum et Sidoniorum, ex. gr., data hypothesi quod miracula apud eos perfecisset, quia decrevit absoluto et efficaci et praedeterminante decreto, ut in ea hypothesi illi poenitentiam agerent: è contra, cognovisset eos non fore convertendos, si id quoque eodem modo decrevisset. Tamen plures ex thomistis admittere non audent efficacia et praedeterminantia decreta circa actiones liberas turpes.

192. Prob. 1.° Si Deus cognosceret futura conditionata in decreto subjective absoluto, aliquid esset quod determinaret ad fidem et ceteros actus liberos, praeter voluntatem operantis. Sed nihil est quod ita determinet voluntatem: ergo non cognoscit in ejusmodi decretis futura libera conditionata.

Min. pr. a) Ex Anselmo (5) «*Sola voluntas* determinat quid »teneat; neque aliquid fit vi necessitatis, ubi operatur sola electio »nostrae voluntatis.»

b) S. Thomas (6): «Determinatio actionis et finis in potesta»te liberi arbitrii constituitur; unde remanet sibi dominium sui ac»tus.» Et iterum (7): «Non esset homo liberi arbitrii, nisi ad eum »determinatio sui operis pertineret.» Ex quibus sic evidenter argues: illud Dei absolutum et praedeterminans decretum non est nostrae voluntatis et nostri liberi arbitrii: ergo si per illud decretum fit determinatio futurorum contingentium nobis liberorum, non est *sola voluntas* determinans; neque pertinet determinatio ad liberum hominis arbitrium.

Confirm. ex S. Thoma (8): «Ipsa potentia voluntatis, quantum »in se est, indifferens est ad plura; sed quod determinate exeat in »hunc actum vel in illum, non est *ab alio determinante*, sed ab ipsa »voluntate.»

(1) Gen. II, 17.—(2) Eccli. XXXIX, 8.—(3) Luc. V, 13.—(4) Apoc. II, 5.—(5) *Concord.* c. 1.—(6) 2, dist. 25, q. 1, a. 1, ad 3.—(7) Dist. 28, q. 1, a. 1.—(8) Dist. 39, q. 1, a. 1.

Item (1): «Ratio culpae procedit ab eo qui habet dominium sui »actus. Hoc autem est in homine secundum illam potentiam, quae »ad plura se habet, nec ad aliquid eorum *determinatur nisi* ex se »ipsa; quod tantum voluntati convenit.»

193. Prob. 2.° Christus rationabiliter arguebat cives Corozain: *Vae tibi Corozain, vae tibi...* (2). Sed si vidisset poenitentiam Tyriorum in decreto absoluto et determinante, non eos rationabiliter arguisset: ergo dici nequit in tali decreto poenitentiam vidisse. *Min.* prob. Increpatio comparativa est irrationalis, ubi datur magna inaequalitas ad operandum, independenter a voluntate illius qui increpatur. Atqui si vidisset Christus poenitentiam Tyriorum in decreto absoluto determinante, fuisset magna inaequalitas respectu ad conversionem inter Tyrios et Judaeos, independenter a voluntate eorum: ergo increpatio non fuisset rationabilis. *Min.* prob. Respectu Tyriorum existebat (ut supponitur) decretum metaphysice connexum cum eorum conversione, non autem respectu Judaeorum; unde poterant Judaei Christo respondere: «Domine; erga Ty»rios decretum habuisti absolutum et determinativum conversionis »eorum; quo posito, licet longe duriores quam nos fuissent, crede»re illos oportebat: erga nos autem ejusmodi non fecisti decretum, »quo absente, licet cerei essemus, repugnat nos converti: da nobis »decretum cum poenitentia connexum, et convertemur.»

194. 3.° Augustinus ajebat (3): «Quamvis multi uno modo »vocati sint, illi solum sequuntur vocationem, qui ei capiendae re»periuntur idonei.»

Ex quibus sic: vocatio est id, quo Deus nos movet et excitat ut sequamur. Sed si opus foret ad sequendum, ut decretum adesset absolutum, efficax ac determinans voluntatem, non moverentur et excitarentur *uno modo* illi qui sequuntur et qui non sequuntur: ergo falso asseruisset Augustinus, quod *uno modo* multi vocantur, quorum alii sequuntur, alii vero non sequuntur vocationem.

Confirm. Quod illi, qui *uno modo* vocantur, sequantur, vel non, vocationem, ratio est, quod reperiantur, vel non reperiantur idonei. Sed si vocatio fiat decreto efficaci et determinanti voluntatem, omnis voluntas est idonea ut sequatur: ergo in hypothesi decreti determinantis, falsam tradit Augustinus rationem, propter quam sequuntur vel non sequuntur vocationem, qui *uno modo* vocantur.»

195. 4.° Prob. adversus Scotistas, qui ut praedicta evaderent in-

(1) Ibid. a. 2.—(2) Matth. XI, 21.—(3) L. 1, ad Simplician. q. 2.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

commoda, induxerunt decreta *concomitantia*, non autem *praedeterminantia*.

Ut Deus videret effectus contingentes liberos in decreto concomitante, non autem praedeterminante, voluntatem; oporteret, tale decretum causalitatem necessario connexam cum illis effectibus contingentibus habere. Atqui effectus contingens et liber necessario praerequirit causalitatem liberae voluntatis: ergo decretum concomitans haberet causalitatem necessario connexam cum causalitate liberae voluntatis.

Subsumo: vel haec connexio infallibilis inter causalitatem divini decreti et causalitatem liberae voluntatis est intrinseca, vel extrinseca. Si est intrinseca: ergo Deus per suum decretum non tantum suam determinat causalitatem, sed etiam illam causae liberae: ideoque non est concomitans, sed praedeterminans. Si autem connexio est extrinseca; ergo Deus non in suo decreto absoluto, sed aliunde habet praescientiam effectus contingentis nobis liberi.

Vide rem late illustratam apud Suarez: (Opusc. *de Dei praescient. futur. conting.* L. 1. c. 6. nn. 9, 10...)

196. Objic. 1.° Augustinus Dei tribuit voluntati quod nos *velimus* et *faciamus:* «Certum est nos facere, cum facimus: sed ille »facit ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati, qui di»xit: *faciam ut in justificationibus meis ambuletis*» (1). Ergo potest Deus contingentia nobis libera videre in sua efficaci et determinante voluntate.

Resp. Conc. *ant.* et nego *consequentiam*. Non enim dicit unquam Augustinus, vel D. Thomas, (quod dicunt thomistae) voluntatem Dei *praedeterminantem* facere, ut nos *velimus* et *faciamus*. Quomodo ergo facit ut *velimus* et *faciamus*? Vide verba Augustini in prob. 3.ª laudata (n. 194). Dando, nempe, vocationem ad quam simus *idonei*, seu congruam; quam *idoneitatem* per scientiam mediam Deus novit.

Objic. 2.° Ait D. Thomas (2): «Cum voluntas interius non »possit ab alio moveri nisi a Deo... per consequens voluntariae co»gitationes non possunt cognosci nisi ab ipso Deo.» Sed non movet Deus voluntatem nisi quatenus decernit eam movere: ergo decretum movendi voluntatem est ratio unica qua possit ejusdem actus dignoscere, etiam conditionatos.

Resp. Dist. et explico *maj*. Voluntariae cogitationes nequeunt cognosci nisi a Deo, «quia voluntas non potest moveri nisi a Deo;» quasi hic motus sit unica ratio formalis illas cognoscendi; nego *maj*. Quatenus hic motus ostendit ad solum Deum, uti causam uni-

(1) *De Grat. et lib. arbitr.* et lib. arbitr. c. 16.—(2) *De malo*, q. 16, a. 8.

versalem, spectare cognoscere voluntarias cognitiones; conc. Non enim hic docet D. Thomas, quale sit medium, seu formale motivum, actus voluntatis et voluntarias cogitationes dignoscendi: alias sequeretur neque angelos, neque homines posse dignoscere nisi quod ipsi faciunt, cum motivum formale sit intrincese necessarium.

Objic. 3.° Futura conditionata, (puta, si vidissent Tyrii miracula, egissent, vel non egissent, poenitentiam) debent determinari ad unum prae alio. Sed non determinantur a se, quum sint essentialiter indifferentia; neque a voluntate libera, quae nunquam erit (ut supponimus): ergo a Deo sunt determinanda ut cognosci possint.

Resp. Dist. *min*. Neque a voluntate determinantur *absolute;* conc. *Conditionate;* nego *min*.

Voluntas ergo determinat futura libera conditionata. Nempe, ut actus liberi sint possibiles, sufficit voluntas possibilis; ut autem absolute existant, requiritur quoque voluntas existens et se determinans absolute; ut vero futura sint conditionate, sufficit ut conditionate existat et se determinet voluntas.

Objic. 4.° Quod Deus absolute et efficaciter decernat actus nostros liberos non repugnat; unde dixit per Prophetam: *Dabo eis cor ut sciant me* (1): *Faciam ut in praeceptis meis ambuletis* (2); ergo et potest decernere conditionata libera.

Subs. Sed in decreto absoluto et efficaci certo cognosci possunt actus liberi absolute futuri, puta, cor novum, observatio praeceptorum: ergo et futura conditionata libera possunt similiter cognosci.

Resp. Dist. *ant*. Si decernat efficaciter decreto scientia media regulato; conc. *ant*. Si decretum fit efficax vi praedeterminationis physicae actuum voluntatis, non repugnat quod actus liberos decernat; nego *ant*.

Pariter dist. *min*. subs. In decreto absoluto... regulato scientia media, seu per ejusdem connexionem extrinsecam, cognosci possunt actus liberi; conc. *min*. In decreto... praedeterminante, seu propter ejus connexionem intrinsecam, cognosci possunt; nego *min*.

Deinde patet solutio ad *consequens*. Sane, in decretis objective conditionatis (si quae sint), futura libera conditionata videri possunt; quia decreta ejusmodi, utpote sapientissima, non nisi certa praelucente scientia media emissa sunt, ideoque nullatenus frustrari possunt.

Objic. 5.° Quidquid a mera exit possibilitate debet subjici providentiae, et ab eadem decerni. Sed si admittantur futura libera con-

(1) Jer. XXIV, 7.—(2) Ezech. XXXVI, 27.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ditionata, independenter a decretis subjective absolutis, illa providentiae non subjiciuntur: ergo ab his dependent futura ista libera.

Resp. Dist. *maj*. Subjici debet providentiae absolutae vel conditionatae; conc. Semper absolutae; subd. Si exeat absolute a possibilitate; conc. Si conditionate tantum exeat; nego *majorem*.

Objic. 6.° Si libera conditionata non pendent a divino decreto, multa Deus cognovit casualiter; velit enim, vel nolit, ejus scientiae objiciuntur. Sed hoc minime Deum decet.

Resp. Cognovit casualiter, id est, independenter ab ejus voluntate absoluta; conc. Independenter a sua voluntate conditionata; nego *maj*. Non enim ulla videt Deus futura conditionata libera, nisi sub omnibus necessariis conditionibus, inter quas haec praelucet; quod non essent futura nisi Deo intendente illa, vel permittente. Unde non effugiunt divinam providentiam ejusmodi futura; sicut autem futura absoluta providentiam postulant absolutam, ita futura conditionate non aliam requirunt nisi conditionatam.

THESIS XXXIII.

197. Deus cognoscit in se ipsis, seu, in sua praesentialitate (ut loquitur D. Thomas), futura libera conditionata.

Prob. 1.° Omnia necessario Deus cognoscit prout cognoscibilia sunt. Sed futura libera conditionata sunt in se ipsis cognoscibilia, seu in sua praesentialitate conditionata: ergo in se ipsis ea cognoscit. *Min*. prob. Ejusmodi futura conditionata sunt in se ipsis vera: ergo et cognoscibilia. *Ant*. prob. Quidquid est, *eo modo quo est*, est verum. Atqui futura contingentia conditionata, *eo modo quo sunt*, in se ipsis sunt: ergo in se ipsis sunt vera.

Maj. supponitur ex Metaphysica. *Minor* ex terminis est vera: nihil enim potest *formaliter* esse id quod est, sive absolute, sive conditionate, per aliud a se distinctum.

2.° Vel cognoscit Deus ejusmodi contingentia conditionata in se ipsis, vel in alio: atqui non possunt cognosci in alio; ergo in se ipsis dignoscit. *Min*. prob. Ut in alio cognoscerentur scientia certa, puta, in essentia Dei, in voluntate divina, in voluntate creata; oporteret ut ejusmodi forent intrinsece connexa, seu determinata, ad futura libera conditionata. Atqui talis connexio et determinatio neque datur in essentia divina, ut patet; neque in voluntate creata, quae est indifferens; neque in divina voluntate, ut patet ex thesi praec. Ergo in se ipsis haec futura cognoscit.

198. Objic. 1.° Quod non est verum, sed esset, non determinat cognitionem, sed determinaret. Atqui futurum conditionatum non est verum, sed esset: ergo non potest determinare cognitionem, seu in se cognosci.

Resp. Dist. *min*. Non est verum moraliter, sed esset; nego *min*. Non est verum physice; subd. Absolute; conc. Conditionate; nego. Cum ejusmodi futura aliquatenus existant, scilicet, conditionate; non enim sunt pure possibilia; sequitur, relate ad Deum habere suam praesentialitatem: Deus enim «Scit omnia quae sunt quocum»que modo,» ait D. Thomas (1).

Objic. 2.° Ex D. Thoma (2); scientia contingentium subditur divinae libertati. Sed si contingentia conditionata determinant in se ipsis divinam scientiam, haec non subditur Dei arbitrio: ergo nequit in se ipsis ea videre. Resp. Dist. *maj*. Contingentium absolute futurorum scientia subditur... Conc. *maj*. Conditionate futurorum subditur... Subd. Subditur divinae libertati absolutae; nego *maj*. Conditionatae; conc.

Scilicet, nequit videre Deus ullum contingere conditionate futurum, nisi sub conditione implicita, quod liberrime illud conderet, et sub talibus conditionibus libere constitueret.

198. Objic. 3.° Non potest objectum ad sui concurrere notitiam, nisi existat in se, vel in medio aliquo. Sed in se non existit contingens conditionate futurum; neque in medio: ergo in se videri nequit.

Resp. Dist. *maj*. Ad notitiam nostram non potest concurrere; concedo: Ad Dei notitiam; subd. Si non existat neque physice, neque moraliter; conc. *maj*. Alias; nego. Intellectus enim divinus ex se ipso est species omnium intelligibilium, ut supra dictum est (3): unde determinatione physica vel quasi physica ex parte objecti nullatenus indiget. Laborant ergo falso supposito Auctores illi, qui determinativum physicum ex parte objecti inquirunt, ut a divino intellectu dignoscatur.

Objic. 4.° Ait D. Thomas (4): «Illud quod nunc est, ex eo »futurum fuit, antequam esset, quia in causa sua erat ut fieret. »Unde sublata causa, non esset futurum illud fieri. Sola autem causa »prima est aeterna.» Unde sic arguitur: eatenus videri potuerunt futura libera conditionata, quatenus vere futura erant: atqui non potuerunt esse futura, nisi quia in causa erat ut fierent, quae causa ab aeterno solus Deus erat; ergo in solo Deo, non in se ipsis videri poterant.

Resp. Dist. *min*. Non potuerunt esse futura *illative*, nisi quia in causa... Conc. *min*. Futura *formaliter;* nego.

---

(1) P. I, q. 14, a 9.—(2) I, dist. 39, q. I, a. 2.— (3) N. 150, etc.— (4) P. I, q. 16, a. 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Ex dictis supra (1) patet, quod futuritio illativa in determinatione causarum sita est, vel absoluta, vel conditionata, prout futurorum natura extiterit. Nempe ut aliquid absolute futurum sit, opus est ut illius causa ad id determinetur absolute: de futuris ejusmodi loquitur D. Thomas ibi.

Diend e negatur *consequentia*, quae ex confusione futuritionis *formalis* cum *illativa* prave deducitur.

199. Objic. 5.° Ut possent futura conditionata in se ipsis cognosci, deberet infallibilis esse connexio inter conditionem et conditionatum; sed non est ejusmodi nexus, ut supponimus; ergo videri in se ipsis nequeunt.

Resp. Dist. *maj*. Ut viderentur in ipsa conditione, deberet infallibilis cum eadem esse nexus; conc. *maj*. Ut possint cognosci in sua intrinseca praesentialitate (hoc significat in se ipsis), deberet infallibilis cum conditione esse connexio; nego.

SCHOLION.

Divinae scientiae signa.

200. Ex praedictis patet Dei scientiam attingere in se ipsis omnia possibilia, conditionate futura, absolute futura, et res omnes actu existentes. Cum autem liber voluntatis consensus in instanti A existens praesupponat eumdem fuisse absolute futurum, nec non conditionate futurum, et possibilem; quatuor distinguenda sunt signa scientiae Dei (objective sumptae) respectu cujuslibet actus liberi existentis: Deus scilicet, cognovit talem consensum existentem, absolute futurum, conditionate futurum, et possibilem. Horum autem signorum illud est prius quod caetera non praesupponit, sed potius ab iisdem praesupponitur. Unde primum est signum *posibilitatis;* secundum est veritatis, seu objectivitatis conditionatae; tertium est signum consensus absolute futuri; quartum est consensus existentis. Nam valet hic discursus: in instanti A consensus existit; ergo consensus erat futurus pro eodem instanti; ergo si voluntas poneretur in conditionibus instantis A, consensus foret; ergo consensus in conditionibus illius instantis est possibilis.

E contra; discursus inverso modo non recte procedit. Consensus in instanti A est possibilis; ergo si constitueretur voluntas in conditionibus illius instantis, esset consensus; ergo in instanti A erit

(1) N. 176.

consensus; ergo existit consensus. Nulla ejuscemodi consequentia est formaliter vera.

201. Ex his concluditur, quod consensus, in posterioribus signis consideratus, sit sane determinativus scientiae respicientis priora signa; in prioribus autem non potest determinare scientiam posteriorum. Unde in signo possibilitatis, solum potest determinari cognitio consensus possibilis: in signo futuritionis conditionatae, nequit determinari scientia futuritionis absolutae consensus; et in signo istius non determinatur scientia visionis consensus, quae attingit formaliter non causam, sed existentiam ipsam consensus.

THESIS XXXIV.

Scientia objective conditionata, qua Deus cognoscit futura conditionata nobis libera, recte appellatur media.

202. **Nota I.** Scientia Dei dividitur in scientiam *simplicis intelligentiae* et scientiam *visionis*. Utraque diverse a diversis definitur Auctoribus, et inde dissensio exurgit; utrum scientia futurorum conditionatorum nobis liberorum spectet ad unam vel ad alteram. Perpensa autem definitione, quam utriusque scientiae tradidit D. Angelicus, dicimus cum Molina, Bellarmino, Valentia, Suarez etc.. pertinere istam conditionatorum nobis liberorum scientiam ad eam quae dicitur *simplicis intelligentiae*. Nam in signo futuritionis conditionatae, non cognoscuntur illa contingentia ut extitura in aliqua differentia temporis praesentis, praeteriti vel futuri. Jam vero, juxta D. Thomam, (1) dicitur scientia visionis, qua videntur existentia in aliqua temporis differentia; scientia autem simplicis intelligentiae est illa, qua non existentia cognoscuntur.

203. **Nota II.** Communiter thomistae dividunt Dei scientiam in naturalem et liberam, licet D. Thomas talis non meminerit divisionis, ut notavit Suarez (2). Naturalis ea est, quae necessario Deo inest, ideoque independenter ab illius libertate: è contra libera. Ex. gr. Judicia haec: mundus existet; Petrus convertetur, etc. actus sunt scientiae liberae; quia ex libera Dei voluntate haec, et similia, evenerunt. E converso; Dei existentia, pluralitas personarum, possibilia, sunt objectum scientiae naturalis.

204. Prob. 1.° thesis. Scientia illa, quae partim tantum convenit cum scientia naturali et cum scientia libera, jure dicitur *media*

(1) 1. p. q. 14, a. 9.—(2) Proleg. 2, *de Grat.* c. 7, n. 8.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS ESCUELA DE TEOLOGÍA DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

inter utramque: sed talis est scientia Dei, qua futura conditionata nobis libera cognoscit; ergo scientia *media* est dicenda.

Min. prob. Haec scientia, in primis, non habet scientiae naturalis praedicatum hoc; quod necessario Deo insit: deinde convenit cum eadem in hoc; quod inest Deo independenter ab illius decreto absolute existente. Similiter non habet constitutiva omnia scientiae liberae; quia non pendet a decreto libero actuali: habet tamen praedicatum aliquod scientiae liberae, cum sit etiam contingenter in Deo. Ergo talis est scientia, qua Deus conditionata libera cognoscit; media, nempe.

2.° Scientiae Dei distinguuntur secundum rerum statum, quas attingunt. Sed scientia haec attingit statum medium inter possibilitatem et existentiam absolutam: ergo jure media dicenda. *Min.* patet: quia esse futurum conditionate, est quid medium et diversum inter esse possibile et esse futurum absolute.

205. Objic. 1.° Haec scientia media nititur in eo, quod Deus aliqua futura conditionata libera sciat, non ex sua libera determinatione, sed creaturae. Sed hoc Dei adversatur potentiae: ergo concedi talis scientia non potest. *Min.* prob. a) Si cognoscat Deus, ex. gr. sub auxilio *A* non consensurum Petrum, erit impossibilis Deo Petri consensus per auxilium *A*. Atqui antecedenter ad Petri liberam determinationem, talis consensus erat Deo possibilis: ergo Dei potentia ligata est, et impedita ab aliena voluntate.

b) Confirm. Juxta Molinistas, qui non habet omnia praerequisita ad actum, non habet veram potentiam ad actum. Sed posita scientia media de dissensu, non habet Deus, nec habere potest, omnia praerequisita ad consensum: ergo amisit potentiam ad consensum sub auxilio *A*.

Resp. nego *min.* Ad prob.^{m} a) dist. *min.* Antecedenter... erat Deo possibilis *absolute;* conc. In quacumque hypothesi, servataque hominis libertate; nego *min.*

Deinde nego *conseq.* Nam non ligatur Dei potentia, quia ex ipsa Dei providentia et potentia, ponitur aliqua conditio, sub qua contradictionem involvit poni consensum liberum simul cum dissensu libero: absurda namque, seu impossibilia, non sunt cujusvis potentiae aut providentiae objectum.

Ad confirm. b) resp. Dist. *min.* Non habet omnia... ad consensum absolute ponendum; nego *min.* Nam, si velit, potest Deus habere *consensum* necessarium per physicam praedeterminationem; vel *consensum* liberum per aliud auxilium *B*. Non habet omnia..... ad consensum liberum per auxilium *A;* conc. *min.* Deinde nego *consequentiam:* non enim amisit, sed potius conservavit potentiam, qua potest creaturas liberas habere; nam ad hoc requiritur, docente

D. Thoma, *ut non determinentur nisi ex se ipsis* (1). Si ergo sub auxilio *A* determinetur creatura ad dissensum, postulat Dei potentia, ut non fiat absurdum, nempe, ut simul determinetur ad consensum.

206. Objic. 2.° Hoc conditionatum: Petrus sub auxilio *A* dissentiet; est contingens: sed ab ente necessario pendet omne contingens; ergo potest Deus impedire quod Petrus sub auxilio *A* dissentiat; ideoque est scientia libera, non media.

Resp. Dist. *min.* Pendet omne contingens *ad existendum absolute;* conc. *min.* Ad *existendum conditionate;* nego; vel subd. pendet *remote,* quatenus ab ente necessario dimanant creaturae liberae; conc. Pendet *proxime,* quatenus ens necessarium determinet actum contingentem liberum, consensum vel dissensum; nego. Non enim hoc est potentia vera, sed ficta, apparens, realisque imperfectio. Si enim hoc contingens: «Petrus sub auxilio *A* non peccabit,» penderet a Deo; consequenter posset Deus determinare oppositam, nempe; «Petrus sub auxilio *A* peccabit.» Ecce pulchram potentiam, peccatum determinantem et *peccantem!*

Inst. Non sufficit quod omnia contingentia ab ente necessario remote pendeant; opus est ut ab ejus Providentia immediate disponantur. Ergo nequit ullum contingens determinari nisi ex Dei voluntate.

Resp. Dist. *ant.* Ab ejus Providentia disponantur determinante; nego *ant.* Aliter enim et peccata, blasphemias, odium Dei etc., determinaret. Ab ejus Providentia, saltem permittente, disponantur; subd. Absolute vel conditionate; conc. Absolute tantam; nego *ant.*

SCHOLIA.

§ I.

Scientia media reflexa.

207. Ex dictis intelligi potest, quid sentiendum de scientia media reflexa: nempe, utrum, et quo medio cognoscat Deus sua decreta conditionate libera. Ex. gr. Si Deus habuisset scientiam mediam de consensu Judae, quod converteretur per auxilium A, utrum illi dedisset Deus, vel non.

In primis supponimus, Deum ejusmodi sua conditionata cognoscere decreta. Patet ex probationibus iisdem, quibus scientia media directa suadetur (2).

Secundo quoad aliam quaestionem, thomistae generatim, et ali-

(1) 2 Dist. 39, q. 1, a. 2.—(2) Thes. XXXI, XXXII, XXXIII.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

qui ex AA. Soc. J. docent; in decreto absolute existenti ejusmodi conditionata reflexa a Deo cognosci: ita Molina, Sparza etc. Alia autem negat sententia cum Vazquez, Eximio Suarez, etc., et communiter Auctores fere omnes Soc. ita sentiunt.

Placet secunda sententia. Nam, non minus verum est et cognoscibile, quid Deus decrevisset in tali hypothesi, vel tali, quam quid conditionate voluisset alia libera voluntas. Si ergo conditionata nobis libera cognovit Deus independenter a decretis, idem censendum de conditionatis suis decretis.

§ II.

Exemplum scientiae mediae reflexae.

208. Quo elucescat nexus inter scientiam mediam directam et reflexam, exemplum adhibebimus, nec non haud facilem simul perpendemus difficultatem.

Exemplum esto. Deus vidit, scientia simplicis intelligentiae, Judam posse Christum vendere vel non vendere. Item novit, eadem scientia, se posse decernere vel non decernere Christum lavare Judae pedes. Scientia quoque simplicis intelligentiae vidit Deus, Judam posse converti vel non converti pro casu lotionis pedum.

Scientia autem media directa novit Deus, Judam venditurum Christum si fieret ejus discipulus: vidit etiam non fore convertendum si Christus lavaret ei pedes.

Similiter noscebat Deus scientia media reflexa, se decreturum lotionem pedum Judae si venderet Christum. Item vidit, eadem reflexa scientia, quid determinate decerneret si Judas non converteretur, vel si converteretur in pedum lotione.

§ III.

Difficultas proponitur.

209. Ut difficultatem proponamus, tria praesupponimus:

I.° Deus habuit hanc scientiam mediam directam: si Petro darem auxilium A, illi consentiret et converteretur.

II.° Hanc item habuisse scientiam mediam reflexam; si Petrus non consentiret auxilio *A*, illud ei non darem.

III.° Sub hac duplici scientia decernit Deus dare Petro auxilium *A*.

Dico: Non videtur Petrus liber sub auxilio *A*.

Prob. Petrus nequit dissentire sub auxilio *A;* ergo non est liber. *Ant.* prob. Si dissentiret, Deus ei auxilium *A* dedisset et non dedisset. Sed id repugnat; ergo Petrus nequit dissentire. *Maj.* patet.

Nam si dissentit Petrus auxilio *A*, sane illi dedit Deus. Deinde non dedit, ut patet ex Supp. II.°

210. 1.° Respondent aliqui: Non falsa facta est scientia illa reflexa (supp. II.°), sed impedita fuit ne existeret. Falsa fuisset, si posita conditione, non poneretur conditionatum a Deo praescitum. Impeditur autem a Petro scientia illa; quia clarum est non potuisse illam esse in Deo, si dissentiat Petrus auxilio *A* quod a Deo accepit.

At vero non solvitur difficultas. Nam Petrus tantum ponit dissensum: dissensus autem non impedit quod Deus dederit vel non dederit auxilium, cum Deus ad illud dandum liberrimus existat: ergo nequit Petrus, conditionem ponendo seu dissensum, illam impedire veritatem; quod Deus non dabit ei auxilium *A*. Potius supponit dissensus Petri veritatem illam impeditam a Deo, a quo solum pendet dare vel non dare auxilium *A*. Jam vero a Deo non supponitur impedita, quippe potius talem scientiam reflexam Deum habere supponimus (Supp. II.°): ergo si Petrus dissentiat, falsa evadit illa scientia.

211. 2.° Ideo, respondent alii; Petrus potest dissentire antecedenter ad consensum, non vero consequenter. Jam vero decretum dandi Petro auxilium *A*, exivit consequenter ad consensum praevisum, et ideo poterat per dissensum impediri. Impedito autem decreto, vera manet illa scientia reflexa, et integra libertas. Igitur non habet Petrus auxilium, nisi ex supposito usu libertatis per consensum, et impotentia ad dissentiendum est tantum *consequens*.

Verum neque antecedenter videtur Petrus dissentire posse, et impedire decretum dandi auxilium *A*. Nam ad hoc requiritur, ut in actu primo proximo sit Petrus indifferens ad consensum vel dissensum, ita ut, nullum constitutivum actus primi sit necessario connexum cum consensu vel dissensu. Atqui auxilium *A* constituit actum primum proximum, et ita connectitur cum consensu, ut cum dissensu nequeat esse: nam pendet auxilium a decreto, et decretum impediretur a dissensu.

Ad hoc respondent: auxilium quidem non posse impediri; verum cum sit *intrinsece* indifferens, nihil obstat libertati. Decretum autem licet non possit impediri, et sit intrinsece connexum cum consensu; tamen cum sit aliquid remotum et extrinsecum, non immutans voluntatem nisi per auxilium *indifferens*, non impedit indifferentiam antecedentem ad consensum vel dissensum.

Inst. Si antecedenter potest Petrus dissentire, poterit liberum arbitrium impedire se ipsum, seu facere ut non fuerit libertas: nam potest auxilium et decretum Dei impedire. Resp. Decretum et au-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

xilium cum consequantur consensum liberum praevisum, non possunt impediri ex impotentia consequenti libertatis usum.

212. Resp. 3.° facilius, ut videtur. Licet Deus sit ita dispositus (ex Supp. II.°), ut non daret auxilium A, si praevideret dissensum; non tamen est necessum ut exequatur auxilii donationem per decretum cum dissensu repugnans, sed potest illud dare per decretum indifferens ad consensum vel dissensum, cum id requiratur ad libertatem, quam Deus illaesam servare intendit.

Hoc supposito, nulla est repugnantia antecedens in eo, quod auxilium ex decreto indifferenti pendens cum dissensu conjungatur.

Unde scientiae reflexae Dei (ex Supp. II.°) infallibilitas salvatur per praevisionem certam consensus (ex Supp. 1.°); libertas autem integra permanet, cum conferatur auxilium decreto executivo indifferenti.

§ IV.

Conditionata libera disparata.

213. Quoad veritates conditionales disparatas, puta; si gallus cantet Romae, Petrus convertetur in Jerusalem; duo quaeri possunt: 1.° utrum a Deo cognoscantur. 2.° utrum per scientiam mediam.

Quoad 1.m non est dubitandum, Deum quamlibet cognoscere veritatem, et ideo quid accideret Petro in quavis circumstantia.

Quoad 2.m vero, dicendum non cognosci a Deo ejusmodi veritates, ut conditionate extituras *sub tali conditione*, sed potius ut *conjunctive* extituras. Illa forma enim conditionalis; «Si gallus cantet Romae, Petrus convertetur in Jerusalem.» prae se fert aliquam conducentiam conditionis ad conditionatum, quae revera non datur: non ergo sub forma conditionatorum veritates istae cognosci possunt, sed sub forma absoluta cujusdam temporalis concomitantiae: puta; dum gallus cantaret, Petrus quoque converteretur. Jam vero haec veritas, cum nullam involvat inter objecta dependentiam, sed merum complexum et concomitantiam, pari modo existeret conversio Petri, gallo non cantante.

CAPUT IV.

De divina voluntate.

ARTICULUS I.

Quod in Deo est voluntas.

THESIS XXXV.

In Deo datur voluntas, ad modum actus purissimi.

214. **Nota**: significatur voluntatis nomine vis illa, seu actus, quo natura rationalis formaliter inclinatur in bonum ratione cognitum. Propositio est de fide.

Prob. 1.° Ex Vat. Conc. (1): «Si quis dixerit Deum non vo»luntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, »quam necessario amat se ipsum; anath. sit.» Et Damasus (2): «Si quis non dixerit Patris et Filii et Sp. S. unam voluntatem; »A. S.»

2.° Docuit nos Christus orare (3): *Pater noster... fiat voluntas tua*. Et Paulus ait (4): *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae*. Ita passim SS. Litterae. Unde et Augustinus ait (5): «In his omnibus libris timentes Deum et pietate mansueti »quaerunt voluntatem Dei.»

215. 3.° Ex aliis fidei veritatibus, puta; Trinitatis; quia tertia Persona per amorem procedit: praedestinationis; qua decrevit Deus electorum salutem: providentiae; qua ad finem omnia a Deo ordinantur, etc. thesis confirmatur.

4.° Si Deus non ageret voluntate, ageret natura. Sed non agit natura; ergo voluntate.

Min. prob. Agens natura est ad unum determinatum, ut ignis ad calefaciendum. Sed Deus non est determinatus ad unum; ergo ex natura non agit. *Maj.* patet. Nam agens natura agit secundum quod est; atqui unumquodque est natura unum. *Min.* etiam est aperta: si enim Deus, natura sua, esset ad unum agendum determinatus, ageret infinitum. Praeterea a posteriori elucet; cum effectus

(1) Const. *Dei Filius*, c. 1, et can. 5. — (2) In Synod. Rom. can. 20. — (3) Matth. VI, 10. — (4) Ephes. I, 11. — (5) *De Doctrina Christ.* l. 2, c. 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

xilium cum consequantur consensum liberum praevisum, non possunt impediri ex impotentia consequenti libertatis usum.

212. Resp. 3.° facilius, ut videtur. Licet Deus sit ita dispositus (ex Supp. II.°), ut non daret auxilium A, si praevideret dissensum; non tamen est necessum ut exequatur auxilii donationem per decretum cum dissensu repugnans, sed potest illud dare per decretum indifferens ad consensum vel dissensum, cum id requiratur ad libertatem, quam Deus illaesam servare intendit.

Hoc supposito, nulla est repugnantia antecedens in eo, quod auxilium ex decreto indifferenti pendens cum dissensu conjungatur.

Unde scientiae reflexae Dei (ex Supp. II.°) infallibilitas salvatur per praevisionem certam consensus (ex Supp. 1.°); libertas autem integra permanet, cum conferatur auxilium decreto executivo indifferenti.

§ IV.

Conditionata libera disparata.

213. Quoad veritates conditionales disparatas, puta; si gallus cantet Romae, Petrus convertetur in Jerusalem; duo quaeri possunt: 1.° utrum a Deo cognoscantur. 2.° utrum per scientiam mediam.

Quoad 1.m non est dubitandum, Deum quamlibet cognoscere veritatem, et ideo quid accideret Petro in quavis circumstantia.

Quoad 2.m vero, dicendum non cognosci a Deo ejusmodi veritates, ut conditionate extituras *sub tali conditione*, sed potius ut *conjunctive* extituras. Illa forma enim conditionalis; «Si gallus cantet Romae, Petrus convertetur in Jerusalem.» prae se fert aliquam conducentiam conditionis ad conditionatum, quae revera non datur: non ergo sub forma conditionatorum veritates istae cognosci possunt, sed sub forma absoluta cujusdam temporalis concomitantiae: puta; dum gallus cantaret, Petrus quoque converteretur. Jam vero haec veritas, cum nullam involvat inter objecta dependentiam, sed merum complexum et concomitantiam, pari modo existeret conversio Petri, gallo non cantante.

CAPUT IV.

De divina voluntate.

ARTICULUS I.

Quod in Deo est voluntas.

THESIS XXXV.

In Deo datur voluntas, ad modum actus purissimi.

214. **Nota**: significatur voluntatis nomine vis illa, seu actus, quo natura rationalis formaliter inclinatur in bonum ratione cognitum. Propositio est de fide.

Prob. 1.° Ex Vat. Conc. (1): «Si quis dixerit Deum non vo»luntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, »quam necessario amat se ipsum; anath. sit.» Et Damasus (2): «Si quis non dixerit Patris et Filii et Sp. S. unam voluntatem; »A. S.»

2.° Docuit nos Christus orare (3): *Pater noster... fiat voluntas tua*. Et Paulus ait (4): *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae*. Ita passim SS. Litterae. Unde et Augustinus ait (5): «In his omnibus libris timentes Deum et pietate mansueti »quaerunt voluntatem Dei.»

215. 3.° Ex aliis fidei veritatibus, puta; Trinitatis; quia tertia Persona per amorem procedit: praedestinationis; qua decrevit Deus electorum salutem: providentiae; qua ad finem omnia a Deo ordinantur, etc. thesis confirmatur.

4.° Si Deus non ageret voluntate, ageret natura. Sed non agit natura; ergo voluntate.

Min. prob. Agens natura est ad unum determinatum, ut ignis ad calefaciendum. Sed Deus non est determinatus ad unum; ergo ex natura non agit. *Maj.* patet. Nam agens natura agit secundum quod est; atqui unumquodque est natura unum. *Min.* etiam est aperta: si enim Deus, natura sua, esset ad unum agendum determinatus, ageret infinitum. Praeterea a posteriori elucet; cum effectus

(1) Const. *Dei Filius*, c. 1, et can. 5. — (2) In Synod. Rom. can. 20. — (3) Matth. VI, 10. — (4) Ephes. I, 11. — (5) *De Doctrina Christ.* l. 2, c. 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Dei sint multi et varii; non ergo potest esse ad unum determinatus. Verum de re hac infra agetur.

5.° Res a Deo procedunt intelligibiliter operante. Sed non ita procederent nisi voluntatis accederet imperium: ergo est in Deo voluntas.

Maj. patet: eo enim modo a Deo res procedunt, quo praeexistunt: praeexistunt autem intelligibiliter, cum esse Dei sit suum intelligere (1). *Min.* etiam elucet. Nam indifferens ad esse, ut sit, indiget determinari. Sed formae rerum, prout sunt in mente tantum, sunt indifferentes ad esse; referunt enim entia contingentia: ergo inclinatione aliqua ut sint, seu producantur, determinandae sunt.

Subsumo. Atqui inclinatio ad agendum id, quod intellectu concipitur, est voluntatis actus: ergo non ita procederent nisi in Deo adesset voluntas.

216. **Corollar.** Inveniri in Deo voluntatem ad modum actus purissimi, patet ex statutis, supra (2).

217. Objic. 1.° Deus non habet finem: ergo neque voluntatem, cujus objectum est finis.

Resp. Dist. *ant.* Finem operationis non habet; nego *ant.* Finem operantis; subd. Ut determinantem causaliter; conc. Per identitatem; nego.

Deus cum sit a se ac simplicissimus, se ipsum identice determinat, et voluntate sua in propria bonitate amans quiescit.

Inst. Finis est causa finalis. Atqui nullo modo Deus aut ejus operatio causam habent: ergo neque finem.

Resp. dist. *maj.* Finis per identitatem; nego. Finis qui talis est per ordinationem propriam; conc. *maj.* et dist. *min.* Operatio, quae nullo modo a Deo distinguitur, causam non habet; conc. Eo modo quo distinguitur, ratione vel virtute; nego. Nam operatio, quae ratione vel virtute distinguitur, eodem modo et ad finem ordinatur.

218. Objic. 2.° Voluntatis est non tantum inclinari ad bonum, sed etiam averti a malo; ergo definitio tradita non est adaequata.

Resp. Dist. *conseq.* Non est adaequata radicaliter; nego. Formaliter; subd. Secundum denominationem voluntatis, scil., a *velle;* nego consq.m Secundum denominationem a *nolle;* concedo.

Sane voluntas amat et odit, ut intellectus affirmat et negat. Odium autem, seu nolitio, in amore radicatur; propterea dixi, definitionem esse radicaliter completam.

(1) Supra, n. 33.—(2) Nn. 24, 40.

219. Objic. 3.° Voluntas est appetitus. Sed in Deo nequit esse appetitus: ergo neque voluntas.

Resp. nego. *min.* Nam quatenus appetitus est facultas volendi, ut dictum est, Deo inest: quatenus significat desiderium ejus, quod non habetur, etiam Deus multa voluit et vult, puta existentiam mundi, salutem electorum omnium, imo et salutem reproborum.

Inst. 1.° Appetitus supponit boni carentiam privativam, et potentialitatem. Sed ejusmodi Deo repugnant: ergo.

Resp. Dist. *maj.* Boni formalis carentiam; conc. Boni carentiam absolute; nego maj. Nam Deus eminenter habuit semper omne bonum, non autem formaliter.

Item: importat potentialitatem, id est, perfectibilitatem; nego. Aptitudinem, seu capacitatem, habendi quod appetitur; conc.

Inst. 2.° Desiderium est de re futura: sed nihil est Deo futurum, omnia sunt ei praesentia; ergo.

Resp. Dist. *maj.* De re futura praecisive, seu in signo desiderii conc. Positive, seu physice futura; nego *maj.* vel transmitto.

Deinde, dist. *min.* Sunt Deo praesentia secundum intuitum, seu moraliter; conc. Coëxistentia physice; nego *min.* Cum enim Antichristus, ex. gr., non existat physice, neque Deus eidem coëxistere potest.

SCHOLIA.

220. De appetitu innato, et utrum in Deo existat, non pauci, nec obscuri, inquirunt Auctores. Nos brevitati consulentes pauca dicemus.

I. Aliqui ita appetitum innatum definiunt, ut non tantum convenientiam, sed etiam boni indigentiam referat: Sic S. Bonaventura (1). Quo sensu utique, non est Deo appetitus innatus tribuendus.

D. Thomas dicit (2); hunc appetitum esse inclinationem ab instituente naturam procedentem. Patet, voluisse definire tantum creaturarum innatum appetitum.

Verum in Summa (3) dicit, esse inclinationem naturalem ad bonum sibi conveniens. Ita Augustinus (4); et alii DD. qui addunt communiter, esse quamdam impossibilitatem carendi connaturaliter tali bono convenienti.

221. II. His positis, **Dicendum** I. Deus habet appetitum innatum in sua praedicata essentialia. Nam utique Deo convenientia sunt, et impossibile est illis carere. Licet au-

(1) In 4, dist. 49, a. 1.—(2) 3, dist. 27, q. 1, a. 1.—(3) P. 1, q. 60, a. 1, ad 3.—(4) *De civit. Dei*, l. XI, c. n7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tem haec inclinatio ad sua attributa non sit realis, quia nulla est realis potentia activa vel passiva ad illa suscipienda; est tamen inclinatio secundum rationem, eo modo, quo essentia ab attributis distinguitur, ut supra dictum est (1).

222. Objic. D. Thomas ait (2). «In Deo non conceditur esse »appetitus, quia appetitus, secundum Augustinum, est pro»prie rei non habitae.»

Resp. Dist. et explico: Appetitus, secundum nominis originem, est proprie rei non habitae; conc. Secundum omnem significationem; nego. Ita ipse S. D. (3). «Nomen appetitivae partis non solum »ad ea, quae non habentur extenditur, sed ad multa alia; sicut no»men lapis...»

223. **Dico II.** Etiam circa proprietates relativas inest Deo appetitus innatus.

Ratio est eadem. Imo facilius inclinatio essentiae in attributa relativa concipitur, cum virtualis et non solum rationis interveniat distinctio.

224. Objic. Nulla concipitur ad relationes convenientia, cum sit per essentiam Deus infinite perfectus.

Resp. Dist. Est in essentia infinite perfectus eminenter; conc. Quoad omnem formalem perfectionem quam in se ostendere potest; nego. Quaevis enim divina relatio est perfectio formaliter in illo suo esse infinita: aliunde ex divinae essentiae necessaria fecunditate relativae perfectiones necessario producuntur; nihil ergo ad appetitum innatum deest.

Nota: quaerunt quoque AA. in Theologia scholastica illustres, utrum insit Deo appetitus innatus ad possibilia, ad decreta libera, ad existentiam rerum, ad scientiam contingentium, etc. Verum haec, pro temporis opportunitate, apud eos videsis.

ARTICULUS II.

Divinae voluntatis objectum.

THESIS XXXVI.

Deus necessario se ipsum amat propter suam infinitam bonitatem.

225. Prob. I.ª pars. 1.° Ex Vatic. (supra, Thes. XXXV) ubi definitur Dei libertas in creando, ex oppositione ad necessitatem se ipsum amandi.

(1) Thes. XXV, n. 142.—(2) 1. dist. 45, a. 1, ad 1.—(3) P. 1, q. 59, a. 1, ad 2

2.° Amor Dei est attributum infinitum. Sed non esset, nisi se ipsum amaret; ergo se necessario amat. *Min.* prob. Amor qui solum fertur in bonum finitum, non est infinitus. Sed, extra Deum, nullum bonum est infinitum: ergo non esset, nisi se amaret, amor ejus infinitus.

3.° Indigere bono alieno, est indigentis imperfectio. Sed si Deus non amaret necessario se ipsum, indigeret bono a se alieno; ergo esset imperfectus. *Min.* patet. Amor enim sine bono amato esse nequit. Vel ergo Deus necessario et essentialiter amavit se ipsum, vel aliud a se bonum; siquidem est actus purus.

226. II.ª Pars. prob. 1.° Sola divina bonitas est infinite amabilis. Sed amor Dei est infinitus: ergo necessario amat se propter suam bonitatem.

2.° Amor unit amantem amatae bonitati. Sed amor Dei identice unitur summae ejusdem bonitati: ergo illam necessario amat.

3.° Divina bonitas adaequatur divinae ab bonum inclinationi. Atqui inclinatio, quae a vi alliciente adaequatur, nequit manere suspensa et indifferens, sed necessario trahitur; ergo necessario se Deus diligit ob suam bonitatem.

4.° Deus est necessario et ex se ipso beatus. Sed non esset nisi se propter suam infinitam bonitatem amaret: ergo. *Maj.* patet: confirm. ex Augustino (1): «Requies igitur Dei recte intelligenti»bus ea est, qua nullius indiget bono... quia et nos beatificamur »bono quod ipse est, non ipse bono quod nos sumus... Se ipso bo»no perfecte beatus est.»

5.° Si Deus se propter aliam solum amaret bonitatem, plus illam quam se amaret. Sed hoc repugnat, cum quaevis alia bonitas non sit nisi quaedam exigua Dei participatio: ergo ob suam se amat bonitatem.

6.° Actus voluntatis specificatur ab objecto suo formali. Sed nequit actus divinus specificari ab alio, cum sit ens a se: ergo ipsa Dei bonitas est sui amoris formale objectum.

7.° Si Deus se, amore necessario, propter aliam amaret bonitatem, omnia propter istam fecisset, tamquam ultimum finem: Atqui *Universa propter semetipsum operatus est Dominus* (2); et iterum: *Ego sum Alpha et Omega, principium et finis* (3).

227. Objic. Divinae personae ad infinitam bonitatem Dei spectant: sed pro priori ad divinas personas beatus est Deus et necessario se amans: ergo non ob suam bonitatem necessario se amat.

Resp. Dist. *maj.* spectant ad bonitatem Dei eminentem; nego. Ad formalem: conc. Et dist. *min.* Pro priori quoad originem se amat:

(1) *De Genes. ad liter.* l. 4, c. 16.—(2) Proverb. XVI, 4.—(3) Apoc XXII 13.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

conc. Quoad cognitionem; nego. Deus enim comprehendit essentiam et personas in essentia pro priori ad illarum processionem.

THESIS XXXVII.

Divina voluntas terminatur ad creaturas, existentes quidem amore efficaci, hypothetice necessario; mala autem odit; in possibilibus vero complacere potest.

228. I.ª Pars est de fide (1): *Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti... Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? Parcis autem omnibus; quoniam tua sunt, Domine, qui amas animas.* Vide Conc. Vat. in Thesi XXXV. Et D. Thomas (2): «Dicendum, ait, quod Deus omnia existentia amat.» Augustinus (ibi. apud D. Thomam, a. 4): «Deus diligit »omnia quae fecit.» Confirm. Quaevis creatura existens a Deo accipit esse: sed velle creaturas esse, est velle illis bonum, easque amare; ergo dum illis dat esse, necessario ipsas amat.

229. II.ª Pars prob. 1.° Propheta ait (3): *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem.* Et Habacuc, (4): *Mundi sunt oculi tui, et respicere ad iniquitatem non poteris.*

2.° Si posset Deus amare peccata, potuisset ea praedestinare. Sed id sub anathemate damnat Conc. Valentinum, can. 3. «Ali»quos ad malum praedestinatos esse non credimus; eos, qui tantum »mali credere velint, cum omni detestatione, illis anathema dicimus.»

3.° Repugnat Deum amare, quod est rationi et divinae voluntati adversum. Atqui peccatum rationi et Dei voluntati adversatur: ergo illud amare nequit.

III.ª Pars prob.

230. **Nota** I.ª Alia est possibilitas *activa*, alia *formalis*. Non agitur de priori, quae, cum sit ipsa Dei omnipotentia, necessario amatur cum ipsa Dei bonitate: sed quaestio de *formali* intelligitur possibilitate.

II.ª Possibilitas formalis est non repugnantia praedicatorum cujusque rei, seu, illa notarum concordia, qua, si res esse supponatur, vere est; è contra, impossibilitas rei est ea praedicatorum discordia, qua simul res esset et non esset.

Possibile autem materiale, seu in recto, est illud ipsum quod existeret si produceretur: sic mundus hic actualis, *ipse* erat ab aeterno possibilis, et talis fuisset etiamsi non esset conditus, talisque foret si in nihilum reduceretur.

(1) Sap. XI, 25-27.—(2) P. 1, q. 20, a. 2.—(3) Ps. 2, V, 7.—(4) I, 13.

III.ª Agimus de possibilibus *bonis*, non de peccatis, quae nec in statu possibilitatis amabilia sunt.

231. Prob. 1.° Possibilia amare potest Deus, si boni rationem habent. Atqui bonitate fulgent: ergo et amare potest. *Min.* prob. a) Ex notione *possibilis in recto*. Est illud *ipsum*, quod esset, si fieret. *Sed bonum illud, quod esset, si fieret*, est vere bonum: ergo et possibile bonum est. b) Ex possibilitate formali. Bonum est id, propter quod, formaliter, non est aliquid pura chimaera, id est ens et non ens. Sed talis est possibilitas formalis: ergo. c) Antecedenter ad decretum unionis hypostaticae, haec erat Deo conveniens (1). Ergo et bona.

Prob. 2.° Deus potest possibilia revelare Angelis et hominibus, ita ut in illis videant quanta sit ejus potentia, bonitas, sapientia, etc. Sed potest Deus amare, quod in se ostendit gloriam suam: ergo possibilia amare potest.

Prob. 3.° Possibilia terminare possunt intellectum divinum, ut vera; ergo et voluntatem, ut bona vel mala.

4.° Potest Deus sibi displicere in his quae prohibet, etsi non fiant: et in his complacere quae praecipit, etiamsi non perficiantur; ergo potest pure possibilia amare vel odio habere.

232. Objic 1.° «Bonitas rei creatae non est ipsa ejus essentia; sed »aliquid supperadditum, scil., ipsum esse ejus, etc.» (2). Sed possibilia solum exhibent essentiam: ergo. Resp. Dist. *Maj.* Bonitas absoluta, seu physica; conc. Bonitas conditionata, seu moraliter existens; nego *majorem*.

Objic. 2.° In hoc differt amor Dei a nostro, quod hic supponit bonitatem in rebus, ille vero infundit bonitatem (3). Sed possibilibus nequit infundi bonitas aliqua; ergo non possunt a Deo amari. Resp. dist. *maj.* Amor efficax, qui est velle bonum alicui, differt... conc. Amor simplicis complacentiae... Nego *maj.*

Objic. 3.° «Amare est velle alicui bonum.» (4). Sed nullum bonum vult Deus possibilibus: ergo neque illa amat.

Resp. Dist. *maj.* Amare efficaciter; conc. Nam hic amor tendit ad bonum ponendum. Amare simplici complacentia, vel gaudio; nego, vel subd. Exercite est velle bonum; conc. Signate; nego.

(1) D. Thom. p. 3, q. 1. — (2) Ibid. p. 1, q 6, a. 3. — (3) Q. 20, a. 1.— (4) Ibid.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ARTICULUS III.

De divinae voluntatis libertate.

THESIS XXXVIII.

Dei voluntas libere fertur, libertate indifferentiae, in creaturas, seu, in opera ad extra non mala.

233. **Nota** I.° Quidam ex Philosophis gentilibus, nec non ex haereticis, negaverunt libertatem Dei erga creaturas: ita Wicleffus, Lutherus, Calvinus, Jansenius, et alii recentes.

II.° Voluntatis actus potest esse efficax vel simplicis complacentiae: sic, erga creaturas existentes habet Deus amorem efficacem; erga possibiles autem, puta, reproborum salutem, habet complacentiam, licet quoad illam per media necessaria procurandam habuerit etiam voluntatem efficacem.

III.° Intelligitur thesis tum de creaturis possibilibus, tum de existentibus. Tamen quoad existentes est fide certa; quoad possibiles autem probabilior: nam praeclari Auctores censent Deum necessario complacere in possibilibus.

234. Prob. 1.° Ex Vatic. Conc., ut supra habetur in Thesi XXXV, n. 114.

2.° Paulus ait (1): *Cujus vult, miseretur*. Et iterum (2): *Dividens singulis prout vult*. Insuper (3): *Nos autem debemus gratias agere Deo semper, quod elegerit vos primitias in salutem*. Ex quibus arguitur: ejusmodi sententiae liberam voluntatis actionem significant. Sed debet Scriptura in sensu naturali et proprio intelligi, nisi manifesta necessitas aliud suadeat: ergo libera est Dei erga creaturas voluntas.

3.° Hilarius (4) dicit: «Liber manens, quod vult, et cum vult, et ubi vult, praestat ex sese.» Ambrosius (5) similiter: «*Dividens singulis prout vult*, id est, pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.» Augustinus etiam (6): «Deus ipse »numquid quoniam peccare non potest, ideo liberum arbitrium »habere negandus est?»

Sic PP. communiter. Concil. Constant. damnavit Wicleffi errorem, et Leo X similiter Lutheri, qui negabant Dei libertatem.

---

(1) Rom. IX, 18. — (2) I Cor. XII, 11. — (3) II Thess. II, 12. — (4) *De Syn.* 44. — (5) L. 2 *de fide*, c. 6, n. 48. — (6) L. 22 *de Civit. Dei*, c. 30.

235. 4.° Libertas amandi vel non amandi bona finita est perfectio simplex: ergo Deo convenit. *Ant.* prob. Agere secundum rationem est perfectio. Sed est secundum rationis dictamen, quod non feratur necessario voluntas in bona finita: ergo libertas erga res finitas est simplex perfectio. *Min.* patet. Nam ejusmodi bona sunt ex se contingentia, et voluntas divina adaequate actuatur et perficitur per amorem bonitatis infinitae. Ergo est secundum rationem ut non feratur necessario ad bona finita.

5.° Habere suae voluntatis dominium, ut non feratur necessario in bona limitata, ex perfectione fluit rationis; ut patet in homine, prout a bestiis discriminatur. Sed Deus habet summam rationis perfectionem: ergo et voluntatis dominium.

236. Objic. 1.° Indifferentia ad esse est imperfectio: ego et indifferentia ad agere, cum hoc sit ipsius esse complementum.

Resp. Conc. *ant.* Quia indifferentia ad esse oriri nequit, nisi ex potentialitate seu indigentia entis. Et nego *conseq.* vel subd. Si indifferentia ad agere oriatur ex defectu, seu limitatione virtutis; conc. Si ex plenitudine activitatis proveniat, quia, scil., valet ad opposita, et sui dominium habet agens; nego *consequentiam*.

237. Objic. 2.° Deus est summe inclinatus ad se communicandum, cum sit summum bonum. Sed quo major est inclinatio, minor est indifferentia; ergo nullam habet libertatem seu indifferentiam in opera ad extra.

Resp. Dist. *maj.* Ad se communicandum *ad intra*, conc. *maj.* Ad se communicandum ad extra; subd. Inclinatione formali; nego *maj.* Inclinatus entitative; conc. Scilicet, cum sit Deus summum bonum, congruitas communicationis sui est summa entitative: cum vero sit etiam summe Dominus, summe sibi sufficiens et beatus, congruitas incommunicationis est quoque entitative summa. Unde Deus potest se communicare, vel non communicare, ad extra cum summa congruitate; ideoque inclinatio, ut excludit indifferentiam, non est formaliter in Deo, donec libera accedat ejus ad alteram partem complacentia.

238. Objic. 3.° Non datur libertas sine indifferentia ad actum voluntatis ejusque objectum. Sed indifferentia ad actum non est sine potentialitate, quae Deo repugnat: ergo repugnat in Deo libertas.

Resp. Dist. *maj.* Libertas creata non datur sine... Conc. *maj.* Increata; subd. sine indifferentia ad actum *entitative* sumptum; nego. *Terminative* conceptum; conc. *maj.* Et dist. *min.* Indifferentia ad actum entitative acceptum Deo repugnat; conc. *min.* Terminative; nego *minorem*.

Objic. 4.° Deus vult peccatum creaturae: ergo vel non est liber ad extra, vel ei etiam imputanda sunt peccata.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. Dist. *maj.* Vult peccatum permissive; conc. *maj.* Voluntate positiva seu beneplaciti; nego *majorem.*

Inst. 1.° Deus positive vult, ut prima causa, determinare creaturam ad actum peccati: sed qui vult determinationem ad peccandum vult ipsum peccatum: ergo voluntate positiva vult Deus peccatum.

Resp. Negando *maj.* Deinde, conc. *min.* et nego *consequentiam.*

Inst. 2.° Saltem Deus vult cooperationem suam ad peccatum creaturae; sed cooperatio ad peccatum est mala et turpis; ergo vult rem malam.

Resp. Dist. *maj.* Deus vult, voluntate *permissiva;* conc. *maj.* Aliter; nego. Pariter dist *min.* Cooperatio permissiva... est turpis; nego *min.* Cooperatio cum beneplacito; conc. Dein nego *consequentiam.* Verum de his inferius.

SCHOLIA.

De constitutivo liberorum Dei decretorum, eorumque divisione.

Conciliatio divinae immutabilitatis cum libertate adeo difficilis nobis existit, ut plures Doctores unum videantur negare attributum, dum aliud cum illo componere nituntur. Praestat autem obscurissimum hoc humiliter fateri mysterium, quam certae veritati quidquam perscrutando derogare.

§ I.

Duo certa praesupponenda.

239. I.m Quidquid Deus vult ab aeterno voluit. Sic ait Apostolus (1): *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Et Augustinus (2): «Fac in mundo, quod apud te jam fuerat ante mun»dum; fac id suo tempore, quod ante omnia tempora statuisti.» Et Conc. Vat. ait (3): «Aeterna voluntatis suae decreta.»

II.m Nullum ens a Deo distinctum est aeternum. Nam «Liberrimo »consilio Deus ab initio temporis, utramque de nihilo condidit »creaturam, spiritualem et corporalem:» (ibid.)

§ II.

Tria omnino rejicienda.

240. I.m Quidam Calvinistae (vide Beccanum) dixerunt, decreta Dei libera esse accidentia realiter a Deo distincta: quod quidem

(1) Ephes. 1. 4.—(2) In *Joan. Evang.* Tract. 105, c. 17.—(3) Const. *Dei Filius*, c. 2.

fidei adversatur, scilicet, immutabilitati, simplicitati et perfectioni Dei.

II.m Aureolus (1) dicit: in Deo nullam esse volitionem liberam efficacem; sed solam complacentiam necessariam in Bonitate sua et in omni re creabili, quae Deum tamen indifferentem sinit ad producendum vel non producendum: haec autem indifferentia in actum venit, non per aliam volitionem, sed per actionem ad extra, qua producitur creatura.

Communiter non sine censura rejicitur haec sententia. Etenim 1.° ut in Thesi dictum est, volitiones liberas Scriptura S. Deo tribuit. Deinde 2.° eadem opera ad extra ordinantur a Deo ad hos prae aliis finibus, puta, Incarnationem ad salutem generis humani. Sed ejusmodi ordinatio unius medii ad fines diversos nequit per solam necessariam fieri complacentiam, quae immutabilis existit: ergo ea sola non sufficit. Denique 3.° actiones contingentes ad esse vel non esse determinandae sunt Dei consilio et providentia. Sed non concipitur haec determinatio per volitionem necessariam: ergo haec insufficiens dicenda. 4.° Si volitiones liberae negandae sunt, quia Deus est immutabilis, negare quoque opus erit cognitiones contingentium futurorum: sed hoc, ut ex Augustino vidimus, «perversissime atque insanissime dicitur» (2); ergo a pari.

III.m Cajetanus ex adverso putavit, constitui actum Dei liberum per formalitatem Deo inhaerentem et realiter defectibilem.

Graviter hanc plures Theologi censurant sententiam. Bannez dominicanus eam non *bene sonantem* vocat: Medina quoque ait, ab *omnibus reprobatam:* Molina, parum in fide securam: Suarez ait, *nullo modo* probandam.

Et sane realem compositionem et potentialitatem in Deo, actu purissimo, Cajetanus inducere videtur.

§ III.

Connotantium sententia.

241. Alia est opinio, quam non pauci, nec ignobiles, tenent Doctores; qui, ea de causa, *Connotantes* apellantur seu *Connotatores* Censent enim constare actum liberum Dei duplici elemento, intra Deum uno, extra autem alio existente. Scilicet, Dei decretum liberum, ajunt, est amor Dei necessarius *connotans* effectum extrinsecum; amor significatur *in recto;* connotatum autem *in obliquo.* Ita Vazquezius et discipuli ejus; nec non Gonetus, Molina etc.

(1) I Dist. 4, a. 1.—(2) Thes. XXXI, n. 179.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Hanc opinionem solide subvertit Suarezius in sua Metaphysica. (1).

242. **Dico I.** Non constituitur decretum Dei liberum per amorem necessarium et connotatum extrinsecum.

Prob. 1.° Si haec essent constitutiva actus Dei liberi, inciperet hic realiter in tempore. Sed falso id dicitur; ut patet ex Praesupposito 1.° (n. 239).

2.° Volitio efficax et libera est causa existentiae mundi; ergo existit pro priori ad existentiam mundi; ergo volitio mundi libera nequit constitui per eamdem mundi existentiam; alias hic existeret prius quam existeret.

Antec. patet ex Vaticano (2), et Scriptura (3): *Omnia quaecumque voluit Deus fecit.*

3.° Dari potest diversitas decretorum liberorum quin ulla detur differentia ad extra: ergo nequeunt illa per cognotata extrinseca constitui. *Antecedens* probatur. Eadem dona potest Deus decernere et dare, vel gratis, vel intuitu meritorum, vel propter orationem Petri, vel Pauli, vel amborum etc. Christus ordinatus in ruinam et resurrectionem multorum, potuit in talem ruinam, licet de facto eveniret, non ordinari. Sed his positis, nulla esset diversitas ad extra: ergo decreta diversa esse possunt, nulla posita differentia ad extra.

4.° Multum laudatur liberorum decretorum Dei efficacia: *Non est qui tuae possit resistere voluntati, si decreveris...* (4). Sed inanis est haec laudatio, si constitutivum Decreti sit ipsum extrinsecum connotatum: hoc enim modo non minus irresistibilis humana est voluntas.

5.° D. Thomas ait (5): «Voluntas ad volitum habet duplicem »respectum: primum habet ad ipsum, in quantum est volitum; »secundum ad idem in quantum est producendum per voluntatem: »et hic respectus praesupponit primum. Primo enim intelligimus »voluntatem velle aliquid, et ex hoc quod producat ipsum in re»rum natura, si voluntas sit efficax.»

Confirm. 6.° ex thomistarum principiis. Nam ista concessa opinione, non posset Deus futura in decretis videre, ut illi putant, sed in se ipsis tantum; cum ipsa futura sint decretorum constitutiva, ut supponitur. Neque foret decretum ullum praedeterminans; quia quodlibet ens est constitutivis suis posterius: imo potius forent decreta praedeterminata, quam praedeterminantia.

(1) Disp. 30, Sec. 9.— (2) Supra, Thes. XXXV,n. 214.— (3) Ps. CXIII, 3.— (4) Esther, XIII, 9.— (5) De *veritate*, q. 23, a. 4, ad 15.

§ IV.

Alia expenditur opinio.

Dico II. Decreta Dei libera non constituuntur per aliquid realiter et virtualiter Deo identificatum, quod per respectum, seu terminationem, sit vere et realiter defectibile, absolute vero indefectibile.

243. Prob. 1.° Per te, Deus et decretum liberum sunt, quoad esse absolutum, indefectibilia, defectibilia tamen realiter secundum esse respectivum: ergo esse absolutum et respectivum distinguuntur realiter, saltem virtualiter. *Consequentia* probatur. Repugnat entitatem aliquam existere realiter uno modo, et non existere realiter alio modo, quin unus et alter modus distinguantur realiter. Atqui per te existit decretum secundum esse reale absolutum, licet deficiat secundum esse reale respectivum: ergo duplex ejusmodi esse, absolutum et respectivum, realiter distinguuntur. *Major* patet exemplis et doctrina adversariis accepta: existere Petrum absolute, et non existere Romae; ostendit realem distinctionem inter utrumque, quia deficere potest esse respectivum, seu existere Romae: implicat esse capacitatem in materia ad plures formas, et non esse exigentiam ad plures formas, quin capacitas sit realiter distincta ab exigentia, etc.

2.° In eo sensu, quo unum praedicatum negatur realiter de alio, distinguitur ab eo realiter, saltem virtualiter. Sed negatur de Deo realiter existentia respectiva decreti de altero mundo: ergo tale decretum, saltem virtualiter, distinguitur realiter a Deo quoad esse respectivum.

§ V.

Verior sententia.

Dico III. Actus liber Dei, ultra amorem necessarium, addit realem respectum virtualiter distinctum.

244. Ita plures è nostris Auctoribus et alienis, ad mentem P. Valentiae (1), et D. Eximii (2), et Scoti dicentis: amorem necessarium ob suam infinitatem *aequivalere* volitioni et nolitioni liberae.

1.° D. Thomas docet (3): «Voluntas sua, uno et eodem actu,

(1) T. 1, q. 19, p. 4. — (2) Disp. 30, Metaph. Sec. 9. — (3) Contr. Gent. l. 1, c. 82.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»vult se et alia: sed habitudo ejus ad se est naturalis et necessaria; »habitudo autem ejus ad alia est secundum convenientiam quam»dam, non quidem necessaria et naturalis, neque violenta aut in»naturalis, sed voluntaria.» Oportet ergo quod habitudo ad alia (qua constituitur actus liber), sit virtualiter distincta, cum habeat praedicata realia contraria.

2.° Eo modo explicandus actus liber Dei, ut salvetur, proprie et libere decernere hunc mundum; vere et realiter non decernere alium mundum, licet ita se habeat realiter ac si decrevisset; et simul vitentur aliarum sententiarum incommoda. Atqui, posita Thesi, haec habentur; ergo. Nam, a) habemus, quod libere decernat hunc mundum; quia quod virtualiter distinguitur ab actu necessario et potentia, virtualiter produci potest vel non produci: sic Filiatio est producta, et Essentia, cui identificatur, non est producta. Item, b) cum distinctio haec realis non sit actualis, fit, ita se habere Deum realitate actuali, ac si decrevisset alium mundum; quia actu habet quidquid tunc haberet. Pariter, c) vitatur, quod Deus sit volens et amans per aliquid extrinsecum; quod aliquid Deo identificatum possit deficere; quia nihil deficit actu si non decernat, sed tantum virtute.

245. Objic. 1.° Talis esse debet forma denominans, qualis est denominatio. Atqui Deus realiter et *actualiter* est libere decernens mundum, et libere non decernens alium mundum: ergo volitio libera inest Deo, vel non inest, realiter et *actualiter*, et non solum *virtualiter*.

Resp. Dist. *maj*. Talis debet esse *absolute*... Nego *maj*. *Relative*, seu qualem exigit veritas denominationis; conc. Ex. gr. Petrus est professus, domus est antiqua, Antichristus est futurus; etc.: ejusmodi denominationes sunt actuales, et non exigunt formas actuales. Sic in Deo; ad eas denominationes et productiones, quae in creatis exigunt distinctionem realem actualem, distinctio sufficit virtualis, ut patet in mysterio Trinitatis. Cur ergo non sufficiet etiam virtualis distinctio et productio volitionis, ut actualiter velit Deus, vel nolit?

246. Objic. 2.° Haec productio et existentia virtualis volitionis liberae est perfectio realis: ergo si producatur, acquirit Deus perfectionem realem; si vero non producatur, illa caret. Resp. Dist. *ant*. Est perfectio realis actu distincta a perfectione necessaria; nego. Virtute tantum; conc. *ant*.

Inst. 1.° Ut virtute distincta, vel volitio libera est nihil, vel ens: non est nihil, quia negaretur libertas; ergo Deus aliquid perfectionis acquirit, vel amittit. Resp. Dist. *ant*. Est ens, quatenus ens opponitur nihilo; conc. Quatenus ens per actualem realitatem opponitur virtuali; nego.

Inst. 2.° Ergo datur medium inter non *esse* simpliciter, et *esse* simpliciter seu actu esse; nempe, virtualiter esse.

Resp. datur medium... in ente finito; nego: in ente infinito; conc. Sicut enim eadem simplex entitas est in Deo Filiatio et essentia, personalis et communis, producta et non producta, propter utriusque virtualem distinctionem et Dei infinitatem; ita volitio necessaria in Deo fit volitio libera vel nolitio, per virtualem solam distinctionem et productionem.

Objic. 3.° Haec virtualis entitas est idem cum Deo; ergo infinita: ergo aliquid infinitum deficere potest. Resp. Dist. *conseq*. Est infinita realiter et identice; conc. Infinita virtualiter; nego, vel subd. Est infinita absolute; nego: in suo ordine, seu in ratione volitionis liberae; conc.

§ VI.

Divinae voluntatis partitiones.

Paucis verbis praecipuas divinae voluntatis divisiones exponere juvabit.

247. I. Dividitur voluntas Dei in voluntatem *beneplaciti*, et *signi*. Prima est aliqua in Deo realiter existens volitio: altera solum *denominative* est Dei voluntas, quatenus illam aliqua ratione significat. Sicut imago hominis dicitur homo; signum verbi (Scriptura) vocatur verbum: ita divinae voluntatis signa Dei voluntas dicuntur. Quinque autem voluntatis signa numerantur: praeceptum, prohibitio, permissio, consilium, factum.

248. II. Dividitur etiam in voluntatem *antecedentem* et *consequentem*. Illa fertur in objectum secundum se, ut exutum aliquibus circunstantiis: altera, è contra, omnibus illis perpensis. Sic vult Deus *antecedenter* omnium salutem; *consequenter* autem vult reprobos damnari, quatenus in peccato morientes. Sic judex vult reum vivere, ut hominem; vult eum occidi, ut reum. Vide D. Thomam, (p. 1, q. 19, a. 6.); et Suarezium, (Tract. I, l. 3, c. 8.)

249. III. Voluntas Dei est *absoluta* vel *conditionata:* (videas exempla supra n. 191). Est etiam *efficax*, vel *inefficax;* illa quidem, quae effectum, seu objectum suum assequitur, vel saltem promovet ut oportet: altera autem effectu frustratur. Exemplum volitionis efficacis habes in morte Christi, in salute electorum; inefficacis autem in perditione reproborum, quorum mortem nolebat Deus. Tamen non est *omnino* inefficax voluntas salutis istorum, cum magna eis contulerit adjumenta.

250. IV. Distinguitur etiam virtualiter in Deo voluntas amoris, desiderii et gaudii, seu delectationis: ex. gr. *Ipse Pater amat vos*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quia vos me amastis (1): *Vult omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire* (2): *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui* (3). Amor, scilicet, est actus voluntatis in bonum praecise; desiderium in bonum qua absens, ut evadat praesens; gaudium in bonum, complacendo in illo, qua praesenti.

His actibus opponuntur odium, fuga, tristitia: quorum duo priores Deo non repugnant, ut ex dictis patet (4); è contra tristitia, quae passionem et dolorem praesefert.

251. V. Dividitur amor in amorem benevolentiae, seu amicitiae, et concupiscentiae. Illo amatur objectum propter bonum ipsius; isto, è contra, quia bonum sibi, vel alteri. Deum amare homines amore amicitiae communis est Auctorum sensus contra Durandum, licet in ea amicitia explicanda non parum dissentiant. Alii enim putant Deum non posse amare creaturam propter ejus bonitatem creatam, tamquam motivum formale sui amoris, sed solum tamquam terminum *cui* vult bonum; *solam* autem bonitatem divinam esse formale motivum; sic, ut effectus, non autem affectus, sit propter nos. Ita communiter thomistae, nec non Molina, Valentia, etc. Alii autem DD. cum Ripalda, Esforcia, Arriaga, Vazquez, Suarez, etc., censent amari etiam creaturas a Deo propter illarum bonitatem, ut formale motivum. Huic opinioni favet S. Thomas, (l. 1. contr. Gent. c. 93); alibi tamen (p. 1, q. 19, a. 1), favet priori; ideo ejusdem dissentiunt sequaces.

Nempe in primo loco ait: «Dare autem, non propter aliquod com»modum ex datione expectatum, sed propter ipsam bonitatem et »convenientiam dationis, est actus liberalitatis... Deus igitur est »maxime liberalis.»

252. **Dico IV.** Deus amat justos propter eorum bonitatem, tamquam motivum.

Nota I.° Supponimus Deum semper amare quidquid amet, etiam propter suam bonitatem; dicimus tamen moveri quoque, non quidem physice vel quasi physice, sed intentionaliter et terminative, ab ipsa bonitate creata.

Nota II.° Quae supra diximus de motivo formali divini intellectus (5), ad praesentem intelligendam quaestionem ducunt.

253. Prob. 1.° Ait Dominus: *Ipse Pater amat vos, quia vos me amastis* (6). In illis verbis, *amat vos*, significatur *finis cui;* in illis autem, *quia vos me amastis*, notatur *finis cujus gratia*, seu finis movens ipsum affectum, seu motivum formale. Atqui amor discipulorum erga Christum est bonitas creata: ergo propter eorum bonitatem illos amat.

(1) Joan. XVI, 27.—(2) I Tim. II, 4.—(3) Matth, XVII, 5.—(4) Thes. XXXVII, n. 229.—(5) N. 149 et seq.—(6) Joan. XVI, 27.

2.° Juxta communem sententiam, amat nos Deus amore benevolentiae. Sed ad hoc opus est amare propter bonitatem amati, tamquam motivum: ergo tali motivo amat etiam Deus. *Min.* constat ex doctrina certa, quod nempe virtutes ex fine motivo distinguantur; alias quaevis donatio esset actus amicitiae, seu benevolentiae: quod sane est absurdum.

3.° Sicut creaturae participant a Deo, cum suo esse, veritatem, ita et bonitatem. Atqui propter suam veritatem sunt immediate cognoscibiles a Deo, nempe, quia sunt verae (1); ergo et propter suam bonitatem amari possunt, quia sunt bonae.

Confirm. Deus amavit suam gloriam extrinsecam, ob quam mundum condidit; salutem electorum, propter quam voluit et pati Christum; *complacuit inhabitare in Christo*, etc. Atqui, in obvio et naturali sensu, ejusmodi bona propter se amantur; ergo etiam amat justos propter eorum bonitatem.

254. 4.° In Deo dantur virtutes morales, ut docet D. Thomas (2) et communis Doctorum sententia. Sed non ita esset, si unicum formale motivum divinae voluntatis foret divina bonitas: ergo movetur etiam bonitate creata. *Min.* pr. In eo differunt virtutes morales a theologicis, quod illarum motivum est honestas creata, harum vero bonitas divina. Sed nullus habet virtutem aliquam, nisi moveatur ex suo motivo formali: ergo non haberet Deus virtutes, si sola moveretur bonitate divina. Vide supra laudata D. Thomae verba (n. 251).

Confirm. Peccatores, malitia peccati sui, movent divinam voluntatem ad odium et justitiam vindicativam: hi enim actus formaliter supponunt malitiam tamquam motivum. Ergo et justi sufficientem habent bonitatem, ut sit motivum amoris benevolentiae.

5.° Preces B. Virginis, Sanctorum, merita Christi, Ecclesiae rogationes, explicite intendunt, et ad hunc scopum Deo proponuntur, ut moveatur ad bonum conferendum. Sed Deus ad id movetur per voluntatem: ergo aliquid creatum potest movere divinam voluntatem.

255. Objic. 1.° Objectum motivum est causa actus ad quem movet. Sed nullus actus divinus potest a causa creata causari: ergo neque moveri. Resp. Dist. *maj.* Est proprie causa physice influens, vel improprie ac solum intentionaliter ad actum concurrens; conc. *maj.* Aliter; nego. Similiter distinguo *min.* Non potest causari physice; conc. Intentionaliter; subd. a sola causa, seu objecto creato;

(1) Supra, n. 153.—(2) *Contr. Gent.* l. 1, c. 93.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

conc. *min*. Aliter, nego. Nempe, simul cum bonitate creata amat Deus in quolibet actu bonitatem divinam, quam illa imitatur, et inde omnes affectus divinae voluntatis sunt infinitae et aequalis perfectionis, cum non quiescant unice et adaequate in finito aliquo bono.

Objic. 2.° Objectum motivum est primarium objectum. Sed repugnat bonum creatum esse primarium Dei objectum: ergo non potest Deum movere. Resp. dist. *maj*. Est primarium respectu objecti materialis; conc. *maj*. Respectu alterius objecti formalis; nego. Diximus enim, amare simul, ideoque et principaliter, propter suam summam bonitatem.

256. Objic. 3.° D. Thomas (supra, cit. loc.) ait, solam divinam bonitatem esse objectum motivum divinae voluntatis: ergo bonitate creata non movetur.

Resp. 1.° Certe, ut diximus, ibi favet sententiae oppositae: unde sequitur, utramque opinionem fuisse sibi probabilem.

Resp. 2.° Objectum motivum, ex quo habet infinitam perfectionem, est sola divina bonitas; conc. In quod unice propter se terminetur: nego. Nam pari modo loquitur D. Angelicus, cum agit de objecto formali intellectus, scilicet esse divinam essentiam solam: tamen postea, alias veritates esse quoque intentionale motivum docet.

257. VI. Dividitur quoque Dei voluntas in *approbativam* et *permissivam*. Prima suum objectum approbat; altera vero vult non impedire terminum ab alia causa determinandum, non autem illum intendit vel approbat: hoc modo se habet divina voluntas erga mala moralia.

258. VII. Est etiam in Deo voluntas *intentiva*, seu finis; et *electiva*, seu mediorum: *Universa propter semet ipsum operatus est Dominus* (1). Finis intrinsecus *actuans* divinam voluntatem est ipsa bonitas seu essentia Dei, unde Augustinus (2) ait: «Ille a se »ipso bonus est, non adhaerendo alteri bono.» Et D. Thom. (3): «Voluntas, cujus objectum principale est bonum, quod est extra »volentem, oportet quod sit mota ab alio; sed objectum divinae vo»luntatis est bonitas sua, quae est ejus essentia.»

(1) Proverb. XVI, 4. — (2) Tract. in ps. 134. — (3) 1, p. q. 19, a. 1, ad 3.

DISQUISITIO V.

DE DEO TRINO IN PERSONIS

seu

Secundum Communicationem ad intra.

PROOEMIUM.

1. Sanctissimae Trinitatis mysterium Religionis christianae culmen est, centrum et fundamentum. Inter mysteria ergo fidei, omnes fatentur theologi, inhabitare mysterium hoc lucem inaccessibilem; qua de causa, in eo exponendo, Nazianzeni mandatum prae oculis habeamus: «Ducem potius fidem, quam rationem se»quamur, si modo ingenii tui imbellicitatem in propinquioribus »didicisti, rationisque id esse cognovisti, ut, quaenam sint ea, quae »rationis humanae captum excedant, cognoscas: ne alioqui terre»nus sis, ipsam tuam ignorantiam ignorans (1).»

DIVISIO GENERALIS.

Caput I. De pluralitate ac ordine divinarum Personarum et relationum.
— II. De divinitate et unitate divinarum Personarum.
— III. De proprietatibus, originibus et notionibus divinarum Personarum.
— IV. De singulis Personis particulariter.

CAPUT I.

De pluralitate et ordine divinarum personarum.

ARTICULUS I.

Pluralitas divinarum personarum.

THESIS I.

In divinis sunt Pater, Verbum seu Filius, et Spiritus S.; tres personae realiter distinctae.

(1) Orat. 2, theol. n. 28 (Migne).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

conc. *min*. Aliter, nego. Nempe, simul cum bonitate creata amat Deus in quolibet actu bonitatem divinam, quam illa imitatur, et inde omnes affectus divinae voluntatis sunt infinitae et aequalis perfectionis, cum non quiescant unice et adaequate in finito aliquo bono.

Objic. 2.° Objectum motivum est primarium objectum. Sed repugnat bonum creatum esse primarium Dei objectum: ergo non potest Deum movere. Resp. dist. *maj*. Est primarium respectu objecti materialis; conc. *maj*. Respectu alterius objecti formalis; nego. Diximus enim, amare simul, ideoque et principaliter, propter suam summam bonitatem.

256. Objic. 3.° D. Thomas (supra, cit. loc.) ait, solam divinam bonitatem esse objectum motivum divinae voluntatis: ergo bonitate creata non movetur.

Resp. 1.° Certe, ut diximus, ibi favet sententiae oppositae: unde sequitur, utramque opinionem fuisse sibi probabilem.

Resp. 2.° Objectum motivum, ex quo habet infinitam perfectionem, est sola divina bonitas; conc. In quod unice propter se terminetur: nego. Nam pari modo loquitur D. Angelicus, cum agit de objecto formali intellectus, scilicet esse divinam essentiam solam: tamen postea, alias veritates esse quoque intentionale motivum docet.

257. VI. Dividitur quoque Dei voluntas in *approbativam* et *permissivam*. Prima suum objectum approbat; altera vero vult non impedire terminum ab alia causa determinandum, non autem illum intendit vel approbat: hoc modo se habet divina voluntas erga mala moralia.

258. VII. Est etiam in Deo voluntas *intentiva*, seu finis; et *electiva*, seu mediorum: *Universa propter semet ipsum operatus est Dominus* (1). Finis intrinsecus *actuans* divinam voluntatem est ipsa bonitas seu essentia Dei, unde Augustinus (2) ait: «Ille a se »ipso bonus est, non adhaerendo alteri bono.» Et D. Thom. (3): «Voluntas, cujus objectum principale est bonum, quod est extra »volentem, oportet quod sit mota ab alio; sed objectum divinae vo»luntatis est bonitas sua, quae est ejus essentia.»

(1) Proverb. XVI, 4. — (2) Tract. in ps. 134. — (3) 1, p. q. 19, a. 1, ad 3.

DISQUISITIO V.

DE DEO TRINO IN PERSONIS

seu

Secundum Communicationem ad intra.

PROOEMIUM.

1. Sanctissimae Trinitatis mysterium Religionis christianae culmen est, centrum et fundamentum. Inter mysteria ergo fidei, omnes fatentur theologi, inhabitare mysterium hoc lucem inaccessibilem; qua de causa, in eo exponendo, Nazianzeni mandatum prae oculis habeamus: «Ducem potius fidem, quam rationem se»quamur, si modo ingenii tui imbellicitatem in propinquioribus »didicisti, rationisque id esse cognovisti, ut, quaenam sint ea, quae »rationis humanae captum excedant, cognoscas: ne alioqui terre»nus sis, ipsam tuam ignorantiam ignorans (1).»

DIVISIO GENERALIS.

Caput I. De pluralitate ac ordine divinarum Personarum et relationum.
— II. De divinitate et unitate divinarum Personarum.
— III. De proprietatibus, originibus et notionibus divinarum Personarum.
— IV. De singulis Personis particulariter.

CAPUT I.

De pluralitate et ordine divinarum personarum.

ARTICULUS I.

Pluralitas divinarum personarum.

THESIS I.

In divinis sunt Pater, Verbum seu Filius, et Spiritus S.; tres personae realiter distinctae.

(1) Orat. 2, theol. n. 28 (Migne).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

2. **Nota** I.° Non intendimus naturam seu deitatem nunc ostendere trium Personarum, sed existentiam; quatenus, nempe, in Deo et cum Deo in munera quaedam plane divina concurrunt, excellenti quadam unitate.

II.° Praeter Judaeos, plures, a primis jam Ecclesiae temporibus, errarunt haeretici in hac fidei doctrina: inter primos refertur Praxeas, ejusque sectatores Praxeani dicti. Docebant ipsum Patrem passum fuisse et crucifixum. Postea secuti sunt Noëtus, Hermogenes et, Tertulliani aetate, plures Montanistae, de quibus Hieronymus ad Marcellam (1): «Trinitatem in unius personae an»gustias agebant.» Post multos annos eumdem suscitavit errorem Sabellius, qua de causa, ab illius nomine, vocata est haec haeresis Sabelliana: dicebat eumdem esse Patrem, Filium et Sp. Sanctum, et ejusdem substantiae haec nomina significare officia. Dicti sunt etiam ejusmodi haeretici, Patripassiani, quia ipsum Patrem passum, mortuumque fuisse dictitabant. Praeterea, eodem infectos errore Paulum Samosatenum, Faustum Manichaeum, Photinum, deinde Priscillianistas, et ex Protestantibus Servetum, aliosque, Bellarminus (2) cum aliis refert scriptoribus.

3. Pars I. Prob. 1.° Ex symbolis fidei, quibus credimus «in Pa»trem et Filium et Sp. Sanctum.» Damasus autem Pp. in Synodo Romana definivit. «Siquis non dixerit, omnia per Filium »et Spiritum Sanctum, Patrem fecisse, id est, visibilia et invisibi»lia: A. S.» Item: «Si quis de Patre et Filio bene senserit, de Spiri»tu autem S. non recte habuerit; haereticus est: omnes haeretici de »Filio Dei et Sp. Sancto male sentientes, in perfidia Judaeorum et »Gentilium inveniuntur.»

2.° Dixit Dominus (3): *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti.* Ubi, eadem auctoritate et virtute, tres Personas mundum sanctificare docemur; ideoque ad eamdem fidem, spem et charitatem erga illas obligamur.

Paulus autem (4): *Gratia Domini nostri Jesu Christi, et charitas Dei, et communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis: amen.*

Iterum apud Ev. Joannis (5): *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*

3.° Patres uno ore laudant tres Personas; sit in exemplum unus Ignatius M. (6): «Subjecti stote episcopo et vobis mutuo, ut »Jesus Christus Patri secundum carnem, et Apostoli Christo et Patri et Spiritui Sancto.»

(1) Ep. 54. — (2) L. 2 *de Christo*, c. 1, et 2. — (3) Matth. XXVIII, 19. — (4) II Cor. XIII, 13. — (5) Jo. XV, 26. — (6) Epist. ad Magnesianos.

4. Pars II. prob. 1.° Damasus Pp. (ibid.): «Si quis tres Perso»nas non dixerit veras Patris et Filii et Sp. Sancti, aequales, sem»per viventes, omnia continentes visibilia et invisibilia, omnia »potentes, omnia judicantes... A. S.» Et in Symb. Athanasiano: «Unus ergo Pater... unus Filius... unus Spiritus Sanctus... Totae »tres Personae coaeternae sibi sunt et coaequales.»

5. 2.° Ex SS. Literis esse Personas, id est, subsistentias rationales, est evidens.

a) Ex nominibus quibus appellantur; nempe, Deus Pater; Filius Dei Patris; Spiritus Paracletus. Haec enim nomina sunt substantiae rationalis et subsistentis.

b) Ex officiis et muneribus. Quoad Patrem nullus dubitat. Filius autem est Mediator, Redemptor, Advocatus, Judex, etc. Vide: 1 Jo. II, 1; et 1 Timot. II, 5 et Tit. II, 14. Spiritus S. est Paracletus seu consolator, Magister, Testis, etc. Vide Joan. XIV, 26 et c. XV, 26. Rom VIII, 16. Et 1 Joan. V, 7.

c) Ex operationibus (1): *Deum nemo vidit unquam: Unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Deinde (2): *Ipse Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod sumus filii Dei... Ipse Spiritus postulat pro nobis...* Iterum (3): *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.*

6. 3.° Tum ex officiis, tum ex actibus eorum constat, Patrem et Filium et Sp. Sanctum esse supposita intellectualia: ergo sunt personae. *Ant.* patet. Nam munera illa et actus actionem supponunt rationalem: sed actiones sunt suppositorum; actiones autem rationales postulant suppositum rationale: ergo tum ex officiis, tum ex actibus elucet, Patrem, Filium et Spiritum S. veras esse personas.

7. Pars III. prob. 1.° Eugenius IV, in Bulla *Cantate Domino*, docet: «Sancta Ecclesia Romana... firmiter credit et praedicat: unum »Deum Patrem et Filium et Sp. Sanctum, trinum in Personis... Pa»ter tantum est Pater, Filius tantum est Filius, Spiritus S. tantum »Sp. Sanctus est... Hinc damnat Sabellium, personas confundentem »et ipsarum distinctionem realem penitus auferentem.» Et in Symb. Athan. «Alia est persona Patris, alia Filii, alia Sp. Sanc»ti.» Sed quae re sunt idem et sola ratione distinguuntur, nequeunt esse aliud et aliud suppositum, seu persona; ergo realiter distinguuntur.

8. 2.° Dixit Dominus (4): *Solus non sum: sed ego, et qui misit me, Pater. Et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso; et*

(1) Jo. I, 18. — (2) Rom. VIII, 16, 26. — (3) I Cor. II, 10. — (4) Jo. VIII, 16-18.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater. Deinde (1): *Et ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, Spiritum veritatis:* Item (2): *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos... Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Omnia, quaecumque habet Pater, mea sunt.*

Ex quibus sic argumentaberis: qui constituunt numerum, qui faciunt societatem, qui invicem per oppositas actiones se respiciunt; inter se realiter distinguuntur: atqui tres divinae Personae faciunt numerum, societatem, et relative opponuntur; ergo realiter distinguuntur.

9. Confirm. Suppone, tres illas personas unam esse realem tantum personam: ecce quam absurdum exhiberet sensum Scriptura (3): «Paraclitus autem Spiritus S., id est, *Pater;* quem mittet Pater, id est, *quem Patrem mittet Pater;* in nomine meo, id est, *in nomine Patris;* ille, id est, *Pater;* docebit vos omnia, quaecumque dixero, id est, *ego Pater,* vobis.»

Pariter verba Apostoli (4) perpende: *Quod si Spiritus ejus, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitantem Spiritum ejus in vobis.* Ad ejusmodi diversos personarum respectus substituas unam eamdemque personam, et videbis quam impropria, falsa, absurdaque protulerit Apostolus:

«Quod si Pater Patris, qui suscitavit Patrem a mortuis, habitat »in vobis: Pater, qui suscitavit Patrem, vivificabit corpora vestra »propter inhabitantem Patrem Patris in vobis.» Quid potest stul»tius dici?

10. 3.° S. Irenaeus distinctionem realem clare docet (5): «Non ergo angeli fecerunt nos... Nec enim indigebat horum Deus »ad faciendum, quae ipse apud se praedefiniverat fieri... Adest »enim ei semper... Filius et Spiritus, per quos et in quibus omnia »libere et sponte fecit, ad quos et loquitur dicens: *faciamus homi»nem ad...*» Et Tertullianus ait (6): «Ita connexus Patris in »Filio et Filii in Paracleto tres efficit cohaerentes, alterum ex alte»ro.» Athanasius (7): «Illos autem, qui dicunt; eumdem esse »Patrem atque Filium vel Spiritum S... anathemate ferit sancta et »catholica Ecclesia... Neque tamen, quia tres res et tres personas »Patris et Filii et Sp. Sancti, secundum Scripturas, confitemur, »ideo tres Deos facimus.»

(1) Jo. XIV, 16.—(2) Jo. XVI, 7, 14, 15.—(3) Jo. XIV, 26.—(4) Rom. VIII, 11. —(5) L. 4, *contr. haeres.* c. 20.—(6) *Contr. Prax.* c. 25.—(7) L. *de Synod.* n. 2, et 4.

11. Objic. in IIm partem. 1.° Verbum nequit esse persona, cum sit accidens ejus a quo profertur: item neque Spiritus, cum sit pars illius quem vivificat: ergo neque Verbum Dei, neque Spiritus esse possunt personae.

Resp. Nego *consequentiam* et paritatem: nam Verbo Dei et Spiritui Sancto non esse tribuendas imperfectiones illas, rationes expositae ostendunt. *Antecedens* autem de verbo et spiritu agit humano.

12. Objic. 2.° Nonnulli Patres, ut Tertullianus (1), Lactantius (2) etc. ajunt; Verbum Dei esse *prolatitium* seu exterius prolatum. Sed tale verbum nequit esse persona: ergo Verbum non est persona.

Resp. Dist. seu explico: esse *prolatitium* verbum, proprie; nego. Improprie et metaphorice: conc. Unde Praxeae objectanti; «quid »est enim, dices, sermo, nisi vox et sonus oris?... At ego, reponit »Tertullianus, nihil dico de Deo inane et vacuum prodire »potuisse, ut non de inani et vacuo prolatum; nec carere substan»tia, quod de tanta substantia processit, et tantas substantias facit.» Lactantius autem neque putavit Verbum Dei quidquam esse univocum cum prolatitio verbo; sed quid ineffabile, longeque excellentius: «Ineffabilem, ait, quemdam, sanctumque sermonem, »cujus enarratio modum hominis excedit.»

13. Objic. 3.° Spiritus S. in SS. Litteris dicitur *pignus, diffundi, participari,* etc. Sed ejusmodi dignitati personae non congruunt: ergo Spiritus S. non est persona.

Resp. Dist. seu explico. Haec dicuntur de S. Spiritu, quatenus ex effectibus nominatur; conc. Quia talis sit substantialiter; nego. Sic Job ajebat: *Oculus fui caeco, pes claudo:* et Tobias filius a matre dicebatur, *Baculus senectutis nostrae.*

14. Objic. in 3m part. 1.° Vocatur Verbum *Sapientia Patris, ratio* (λόγος) Dei; et Sp. Sanctus, *digitus Dei.* Irenaeus ait, Verbum et Spiritum esse *munus* Dei: sed distinctio realis in his habere locum non potest, cum Deus simplex existat: ergo Personae non distinguuntur realiter.

Resp. Dist. *min.* Distinctio realis *essentialis* in his dari non potest in Deo; conc. *Personalis;* nego *min.*

Objic. 2. Deus non est compositus: ergo Spiritus Dei non distinguitur realiter a Deo. Resp. Dist. *conseq.* Si sermo sit de Spiritu vivificante seu informante; conc. vel potius, nego suppositum. Spiritus Dei, id est, tertia Persona, non distinguitur a Deo absolute; conc. *conseq.* A Deo ut Patre, et Filio, respective; nego *consequentiam.*

(1) In Prax. c. 5.—(2) L. 4. Instit. c. 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

15. Objic. 3.° Nazianzenus (1) ait de essentia et nominibus Patris et Filii, «per cogitationes quasdam distinctas,» a nobis distingui: ergo censet non distingui realiter.

Resp. Ipse se purgavit Nazianzenus ab hac calumnia in Or. 49. Mens ergo illius fuit, 1.°: quod *ipsa essentia*, prout consideratur in tribus Personis, nullam participat distinctionem in se, nisi rationis. 2.° Quod licet possimus, cogitatione, *separare* unam personam ab alia, hoc re ipsa fieri non posse.

16. 4.° Objic. cum Sabellanis: *Ego et Pater unum sumus* (2); item: *Ego in Patre et Pater in me est*. Ergo Personae illae confunduntur. Resp. negando *consequentiam*. Ejusmodi sententiae ostendunt aliquam unitatem, ut postea dicemus; non autem unitatem *in persona*. Ut enim Nazianzenus notabat (ibid.); «Nemo pro una persona potest, *unum sunt* dicere.» Cum ergo dicit Christus; *Sumus*, significat plures: cum ait: *Ego in Patre et Pater in me;* distinctionem et oppositionem mutuam aperte notat.

ARTICULUS II.

Divinarum Personarum processio.

THESIS II.

In Divinis Personis sunt duae processiones reales, nec plures.

17. **Nota:** Concessa personarum divinarum distinctione, errarunt aliqui haeretici, ut Calvinus, Beza, etc. docentes, unamquamque a se esse id quod est, non vero ab alia accepisse: huic errori opponitur Thesis, quae fide constat.

Pars I prob. 1.° Damasus Pp. in Conc. Rom. Can. 11, decrevit: «Si quis non dixerit Filium natum de Patre, id est, de divi»na substantia ipsius: A. S.» Et can. 16. «Si quis non dixerit, Spi»ritum S. de Patre esse vere ac proprie, sicut Filius de divina subs»tantia..... A. S.» Patet quoque ex Symb. Constant.

Et in Athanasiano Symb. «Pater a nullo est factus, nec »creatus, nec genitus. Filius a Patre solo est, non factus, nec crea»tus, sed genitus: Spiritus Sanctus a Patre et Filio, non factus, nec »creatus, nec genitus, sed procedens.»

2.° Dixit Dominus: *Ego ex Deo processi* (3). *Ego scio eum: quia ab ipso sum, et ipse me misit* (4). *Spiritum veritatis, qui a Patre procedit* (5).

(1) Orat. 3, theolog. n. 49.—(2) Jo. X, 30.—(3) Jo. VIII, 42.—(4) VII, 29.—(5) Jo. XV, 26.

18. 3.° Nazianzenus ait (Orat. 29): «Quid ergo, inquies, si »Filius et Sp. Sanctus Patri coaeterni sunt, quid afferri potest, quin »principii quoque, quemadmodum et ille, sint expertes? Quia ab »ipso sunt, licet non post ipsum... Quod autem aeternum est, non »protinus quoque principio vacat, quamdiu ad Patrem, velut ad »principium et originem, refertur.» Similiter Athanasius tum Filio, tum Spiritui Sancto originem et processionem tribuit (1): «Proinde si Filius, propter suam proprietatem ad Patrem, et quod »sit ejus substantiae foetus, non est creatura, sed Patri consubstan»tialis; sic nec Spiritus S. fuerit creatura: quia etiam qui hoc dicit »impius est, ob proprietatem scilicet ejus ad Filium; et quia ex ip»so datur omnibus, et quae habet Filii sunt.» Et inferius: «Ex non »extantibus sunt res creatae, et initium habent existendi: nam *in »principio fecit Deus coelum et terram*, et quae in illis sunt. At Spi»ritus Sanctus ex Deo est diciturque, ut ait Apostolus.» Deinde: «Rursum unctio et signaculum dicitur et est Spiritus S. Scribit »enim Joannes, (I, c. II, 27): *Et vos unctionem*... Haec unctio »flatus est Filii, ut qui habet Spiritum dicat: *Christi bonus odor »sumus*.»

19. 4.° Ex his patet, Filii et Spiritus Sancti processiones non tantum distinctas, sed reales esse. Nam personae ipsae reales sunt et realiter distinguuntur, ut in Thesi praecedenti ostensum est: ergo si habent a Patre id quod sunt, realiter ab eo procedunt; talis enim est processio, quales sunt termini ejusdem. «Ita unus Deus, »ait Athanasius (2), in Ecclesia praedicatur, qui est *super om»nia, et per omnia, et in omnibus*. *Super omnia* quidem ut Pater, ut »principium et fons: *per omnia* vero, nempe per Verbum: *in omni»bus* denique, in Spiritu S. Porro Trinitas non nomine tenus et so»la verborum specie est Trinitas, sed vere et reipsa existit Trinitas.» Sed non potest *vere* et *reipsa* esse Trinitas, et quidem ab uno principio et fonte, Patre, nisi distincta reipsa sit processio Verbi a processione Sp. Sancti. Ergo duae dantur in Deo reales processiones.

20. Objic. 1.° In Deo non est nisi *una* et infinita virtus: vel ergo producit Personas, ut est infinita, vel non; si primum dicatur, non erit nisi *una* et infinita Persona producta, ideoque una processio tantum: si autem secundum dicas, processiones erunt finitae, ideoque et personae procedentes, quae proinde vere divinae non sunt.

Resp. Dist. *maj*. Non est nisi *una* et infinita virtus, actu; conc.; virtute; nego. Est enim virtualiter duplex infinita virtus; per intellectionem et per amorem. Ad *min*. Concedo quamlibet processio-

(1) Ep. 3, *ad Serap*. nn. 1. 2, 3.—(2) Ep. 1, ad Serap.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nem esse ex infinita virtute; vel ut infinite intelligente, vel ut infinite amante.

Objic. 2.° Si vere procedunt ab alio duae Personae, sunt factae; ergo nonnisi improprie divinae ac in Deo esse dicuntur.

Resp. dist. *Ant.* Si procedunt accipientes aliam essentiam; conc. Si procedunt in eadem essentia; nego *ant.* et *consequentiam.*

Objic. 3.° Saepe SS. Patres dicunt, Patrem et Filium esse unum principium. Sed nihil est principium sui ipsius: ergo Filius non procedit.

Resp. Dist. *maj.* Esse unum principium comparatione creaturarum, vel ad Spiritum S.; concedo *maj.* Absolute; nego.

Pars II probr.

21. Duas tantum esse in Deo reales processiones fides docet, et ex dictis elucet. Nam Pater a nullo procedit, ut ex Symbolo Athanasiano in Thesi patet. Deinde, cum ipse Pater sit principium Filii et Sp. Sancti, ab iis procedere nequit; cumque sit *principium* et fons simpliciter, ut ex Athanasio diximus in probatione 4.ª, a nullo procedere potest. Neque cogitari potest quod sint duo Filii procedentes, vel duo Spiritus Sancti: quia, ut vidimus in Thesi I, unus est Filius, unus Spiritus Sanctus; et, ut credimus in Symb. *Athan.*: «Fides catholica haec est, ut unum Deum in Trinitate, et »Trinitatem in unitate veneremur.» Lateranense IV. cap. *Damnamus*, dicit: «In Deo solummodo Trinitas est, non quater»nitas.»

22. Rationem suggerit S. Thomas. Processiones divinae sunt immanentes: In natura autem intellectuali duo sunt tantum actuum immanentium genera, scil. intellectus et voluntatis: ergo tantum in Deo invenitur processio immanens per intellectum, et alia per voluntatem. Sed terminus processionis immanentis, utpote divinus, debet adaequare et exhaurire suum principium: ergo una solum est processio per intellectum et altera per voluntatem. Quod ut clarius pateat; sit.

THESIS III.

Processiones divinae sunt per intellectionem et volitionem, non autem per naturam, ut ab utraque per rationem distinguitur.

23. **Nota I.** Non intendimus, quod sola sufficiat intellectio et volitio, ut processiones seu Personarum productiones existant; nam nisi determinata interveniat Persona, non possunt perfici. Neque nunc inquirimus, an talis intellectio et volitio sit spectans proxime ad naturam divinam, vel è contra, sit alia actio proxime

et formaliter notionalis seu personalis; hoc enim alibi opportunius elucidabitur.

Nota II.° Thesis certa et fidei proxima habenda: consentiunt equidem omnes theologi, cum communi Patrum sensu, adversus Durandum, vel unum aut alterum Auctorem. Vide D. Thomam (1), Suarezium (2), et alios S. Thomae expositores, ut Cajetanum, Molinam, Valentiam, etc.

24. Prob. 1.° Concil. Tolet. XI, ab Innocent. Pp. ut authenticum laudatum, dixit in Symb. fidei: «Filius Dei na»tura est Filius, non adoptione, quem Pater nec voluntate genuisse »credendus est, quia nec voluntas sapientiam praevenit... Spiri»tus S... simul Patris et Filii Spiritus dicitur... quia charitas sive »sanctitas amborum agnoscitur.»

2.° Filium, in SS. Literis, ad intellectum spectare divinum docetur: appellatur enim Verbum (3) passim. *In principio erat Verbum*, λόγος... Item (4): *Et vocatur nomen ejus Verbum Dei.* Spiritus Sanctus autem dicitur charitas (5): *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.*

25. 3.° Augustinus (6) ait: «Ille ineffabilis quidam comple»xus Patris et Imaginis (Filii) non est sine perfruitione, sine chari»tate, sine gaudio. Illa ergo dilectio, delectatio, felicitas vel beati»tudo, si tamen aliqua humana voce digne dicitur... est in Trinita»te Sp. Sanctus; non genitus, sed Genitoris, Genitique suavitas.» Item S. Ambrosius (7), sive Auctor catholicus antiquissimus sub nomine illius: «Unus ergo diligens eum, qui de illo est; »et unus diligens eum, de quo est; et ipsa dilectio idem unus utro»rumque, id est, Spiritus Sanctus... Pater ergo, qui origo est Dei»tatis, recte et in Filio et in Sp. Sancto intelligitur: in Filio, velut »Verbo et Sapientia; in hoc autem, velut Spiritu ab ipso proceden»te.» Athenagoras (8) autem: «Mens, Verbum et Sapientia, Fi»lius Patris; effluvium autem, ut lumen ab igne, Spiritus.»

Atqui praeter mentem, nihil aliud intelligitur in substantia spirituali, quod sub igne significari valeat, nisi amor seu voluntas. S. Prosper Aquit. (9): «Spiritus est Patris et Filii, tam»quam charitas substantialis et consubstantialis illorum.»

26. 4.° Ex supra statutis, duae sunt in divinis processiones inter se dissimiles, quae ad Filium terminantur et ad Spiritum Sanctum: sed nulla eluceret hujusce diversitatis ratio, si non esset altera per intellectum, altera vero per voluntatem; ergo sic perficiuntur.

---

(1) P. 1, q. 27.—(2) *De Trinit.* l. 1, c. 5.—(3) Jo. I, 1.—(4) Apoc. XIX, 13.—(5) Rom. V, v. 5.—(6) *De Trinit.* l. 6, c. 10.—(7) De *Trin.* c. I, et II.—(8) *Apolog.* n. 24.—(9) L. *Sent.* 375.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Min. patet: nam in natura intellectuali, praecisis intelligendi et amandi rationibus, nulla elucet actionum seu productionum ad intra differentia.

27. Objic. 1.° Ambrosius (1) Filium vocat; «lumen de lu-»mine, Verbum de Verbo.» Si ergo Ipse Pater est Verbum, non opus est ut Filius, quatenus Verbum, per intellectum procedat.

Resp. 1.° Non Ambrosii, sed alterius censetur antiqui Scriptoris, liber iste: verum quicumque fuerit Auctor ille:

Resp. 2.° Quod Pater Verbum non dicatur nisi improprie, et denominative, quatenus ab eo procedit Verbum; ex SS. Scripturis, et communi PP. usu sat apertum est.

Objic. 2.° A S. Basilio (2) vocatur Spiritus Sanctus Verbum Filii: ergo et procedit per intellectum. Respond. Vocatur proprie, ac vi processionis; nego. Improprie, et quadam ad Filium analogia; conc.

Objic. 3.° Spiritus Sanctus ex ore procedit Dei (ps. 32, 6): ergo et Verbum est divini intellectus. Resp. Dist. *ant.* Procedit ex ore ut verbum; nego. Ut halitus affectum significans; conc.

28. Objic. 4.° Actus intelligendi et volendi ad naturam ipsam pertinent, et sunt omnibus personis communes. Ergo ex illis nequeunt differre Personarum processiones.

Resp. Dist. *ant.* Actus intelligendi et volendi absolute, seu praecisa relatione fecunditatis; conc. *antec.* Relative perspecti; Subd. Ad naturam pertinent, ut subsistentem in persona apta ad producendum; conc. Ad naturam simpliciter; nego. *antec.*

Objic. 5.° Intellectus et voluntas in nobis simplici actuantur actione, quin ullum producant terminum: ergo idem in Deo existimandum. Confirm. Plures inter PP. ajunt, Patrem natura generare: ergo principium generationis non est intelllectio.

Resp. 1.° Permisso *ant.* negatur *consequentia.* Si enim intellectus creatus ac voluntas fecunditate carent; non ideo sequitur et in Deo carere.

Resp. 2.° Negando *ant.* cum praeclarissimis philosophis.

Ad confirm. dicendum; Patres docent natura Deum generare, quatenus non libere, sed necessaria generat fecunditate; conc. Eo sensu, quod immediate per naturam, ut ratione distinctam ab intellectu, generet: nego *antecedens.*

29. Objic. 6.° Idem realiter sunt in Deo intellectus et voluntas; ergo persona procedens per intellectum, reapse procedit per voluntatem, et vice versa: ergo discrimen processionum et proprietas

(1) De *divinit. Filii Dei*, c. 5.—(2) Lib. *contra Eunom.*

personarum nequit ex eo desumi, quod altera sit per intellectum, altera per voluntatem.

Resp. Dist. *ant.* Intellectus et voluntas, ut potentiam significant, sunt realiter idem; conc. *ant.* Quatenus sunt actus; subd. Sunt realiter idem actu; conc. Virtute; nego. Scilicet inter actum intelligendi et amandi non est in Deo distinctio actualis realis, sed virtualis.

SCHOLION.

I. Ut praecedentes difficultates aliquatenus elucidentur, pauca adjicienda sunt.

30. **Dico** I. Inter illa attributa divina, quae actum prae se ferunt intellectus vel voluntatis, est actualis distinctio rationis, et virtualis distinctio realis (non actualis).

Nota: quid sit distinctio rationis supra diximus (1), quod utiliter quidem recoles. Distinctio autem virtualis sumitur nonnumquam pro aequivalentia unius rei ad res distinctas; ut videre licet apud Suarez (2); sic omnia, quae in creaturis divisa sunt, in Deo per modum unius virtualiter continentur. Simili sensu, distinctio realis virtualis significat capacitatem unius ejusdemque rei ad verificanda praedicata, quae aliter forent contradictoria; sive *intrinseca*, id est, independentia omnino a nostris conceptibus, fuerint; ut, Deus se amat, quia cognoscit se; non se cognoscit, quia se amat: cum tamen amor et cognitio sint idem realis actus; sive *extrinseca;* ex. gr. existentia Dei cognoscitur; essentia Dei (quae est idem cum existentia) non cognoscitur. Vide Gotti (3).

Pars I constat ex supra dictis (4).

31. Pars II prob. 1.° quoad praedicata *extrinseca.* Eadem Dei entitas est, quae dicitur misericordia et justitia: ergo de una re simplici affirmatur, quod punit et non punit. Deinde, eodem actu simplici, Deus vult creare et intelligit mundum: tamen ideo creat, quia intelligit; non autem ideo intelligit, quia creat, ut loquitur Augustinus (5): «Universas creaturas suas... non quia sunt »ideo novit, sed ideo sunt, quia novit... Quia ergo scivit, creavit; »non quia creavit, scivit.» Ergo idem est prius et posterius se ipso: ergo in perfectionibus divinis est capacitas ad verificanda praedicata contradictoria extrinseca, seu, est distinctio virtualis.

32. 2.° Quoad praedicata *intrinseca.* Eodem simplici actu Deus

(1) Disq. IV, n. 142.—(2) *De Trinit.* l. 4, c. 4, n. 14.—(3) Trac. II, *De Deo*, q. IV, § VIII.—(4) Disq. IV, n. 142.—(5) *De Trinit.* l. 15, n. 22.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

videt et amat se; tamen ideo se amat, quia videt; non ideo se videt, quia se amat: «Palam certo est, ait Anselmus (1), non ideo se »intelligere, quia se amat; sed ideo se amare, quia se intelligit.» Ergo de eodem actu simplici contradictoria intrinseca dicuntur.

Item: Verbum divinum procedit per intellectionem Patris, non per amorem: Spiritus S. producitur per amorem, non per intellectionem: atqui intellectio et amor sunt realiter idem; ergo virtualiter distinguuntur.

33. Objic. 1.° Justitia et misericordia, amor et intellectio, et quidquid in Deo non opponitur relative, idem sunt et possunt ad invicem affirmari; ut justitia est misericordia, amor est intellectio, etc. Ergo non datur capacitas ad contradictoria intrinseca, sed, ad summum, ad extrinseca, et secundum rationem tantum.

Resp. Dist. *ant.* Sunt idem re et actu; conc. Virtualiter; nego. Deinde: possunt invicem praedicari; identice et substantive; conc. Tamquam immediate propria et adjective: nego.

34. Quod ut intelligatur, **Nota**: Dupliciter negatur, vel affirmatur, praedicatum de subjecto: substantive vel adjective; seu in abstracto vel in concreto; seu identice vel denominative. Negatur substantive, abstracte et identice, cum ipsa forma, significata per praedicatum, directe et in se negatur: ut, intellectio non est amor; paternitas non est communicatio cum filiatione. Negatur autem praedicatum adjective, in concreto, et denominative, quando forma non negatur in recto, sed tantum effectus formalis, seu adjacentia formae ut immediatae subjecto, et denominatio subjecti a forma: ut intellectus non amat, seu non est amans; paternitas non est communis, seu non communicatur filiationi.

Igitur: de virtualiter distinctis omnia praedicata aeque affirmantur vel negantur, substantive, in abstracto, identice; non vero, adjective, in concreto et denominative.

35. Objic. 2.° Si intellectio virtualiter distinguitur ab amore, processio per intellectionem (idem dicas de processione per amorem) non procedit a natura integra et completa: ergo terminus intellectionis seu Filius, et terminus amoris seu Sp. Sanctus, naturam habebunt limitatam, nec erunt Personae divinae. *Ant.* patet: quia intellectio et volitio constituunt naturam Dei, non autem altera solum.

Resp. nego *ant.* Ad probationem autem, dist. Intellectio et volitio constituunt naturam metaphysicam Dei; nego. Vide supra (2): Naturam physicam; Subd. Intellectio et volitio, sumptae pro facultate; conc. Sumptae pro ipso actu intelligendi et amandi; nego,

(1) *Monol.* c. 48.—(2) Disq. IV, Thes. XXIV, n. 139.

vel subd. identice et substantive; conc. adjective et denominative; nego. Unde pro signo priori ad intellectionem, qua est processio Verbi, ideoque et pro signo priori ad amorem, quo est processio Sp. Sancti, intelligitur natura divina ens omnino a se, plenum omni perfectione, et in hac eminenter omnia continens: inde et est intellectio infinite fecunda, et, per dirigentem intellectionem, amor quoque infinite fecundus.

36. Objic. 3.° Distinctio consistit in exclusione identitatis. Si ergo distinctio virtualis existit a parte rei, et non sola ratione, reapse in Dei natura non sunt omnia idem; ideoque incidimus in Scoti formalem distinctionem a parte rei.

Resp. Dist. *consequens*. Aliqua non sunt idem formaliter, seu actualiter; nego. Non sunt idem virtualiter; conc. *consequentiam*.

Effectus formalis et immediatus distinctionis realiter actualis est, quod unum non sit aliud, quod unum negetur de alio: hic effectus apud Deum non habet locum, nam vere in Deo intellectio est amor.

Effectus secundarius est, quod possint contradictoria de realiter distinctis affirmari; hoc evenit in distinctione virtuali; intellectio generat, amor non generat; quod foret vere contradictorium, nisi foret virtualis distinctio.

37. Objic. 4.° Licet non intercedat virtualis distinctio, non sunt contradictoriae propositiones illae, quae de intellectione et amore Dei formantur: ergo non requiritur distinctio virtualis. *Antecedens* probatur.

Illae propositiones fiunt, prout intellectio et amor subsunt nostris conceptibus; sed hoc modo revera non sunt quid unum et idem, sed objective differunt; ergo non est contradictio in illis propositionibus.

Resp. Nego *ant.* Ad probationem autem, dist. *maj.* Ita ut, quae affirmantur de intellectione et amore conveniant eis, *ut sunt in se*, seu personaliter; conc. Ita ut, eis conveniant ut sunt *in intellectu*, seu simpliciter; nego. Alias, ait D. Th. (1), «Dum dicimus, Deus »est bonus, sensus esset, quod Deus sic intelligitur, non autem »quod sit.»

II. **Dico II.** Non oriuntur processiones divinae ab intellectu et voluntate Dei, quatenus concipiuntur ut potentiae; sed quatenus sunt in actu secundo intelligendi et amandi.

38. 1.° Quia intellectus et voluntas in Deo sunt per se et ex es-

(1) De *Potent.* q. 6, a. 6.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sentia sua in actu: ergo processiones ab iisdem sunt, quatenus in actu secundo existunt.

2.° Processiones non sunt in Deo ex indigentia, sed potius ex summa et infinita fecunditate. Atqui non ita esset, nisi orirentur ab intellectu et voluntate ut in actu secundo existentibus; nam tunc constitueretur Deus per processiones intelligens et amans in actu secundo, iisque indigeret: ergo oriuntur processiones ab intellectu et voluntate prout in actu sunt.

39. Objic. 1.° Verbum mentis nostrae non ex actu, sed ex potentia procedit: ergo eadem analogia Verbum divinum debemus concipere.

Resp. negando *consequentiam* et paritatem. Quia nos per verbum mentis formaliter intelligimus, ideoque ex indigentia illud producimus: Deus autem non *ut* intelligat, sed *quia* intelligit, generat Verbum. Alias sequeretur absurdum quod notat Augustinus (1): «Ut Pater non sit sapiens de se ipso, sed de Filio; nec sapientia »sapientiam genuerit, sed ea sapientia Pater dicatur sapiens esse, »quam genuit.»

Objic. 2.° Si per ipsum intelligendi actum (idem dicas de actu amandi) procedit Filius, tamquam per principium quo, post illum actum intelligendus erit alius actus, qui sit ipsa productio, seu actio, qua producitur Filius: jam vero, vel ista actio est intellectio, vel non; si primum dicas, prior intellectio redundat: si autem non est intellectio, quo pacto procedit Filius per intellectum?

Resp. negando sequelam, scilicet; concipiendum esse alium actum per modum actionis: nam in divinarum Personarum productione nulla intervenit dependentia seu imperfectio. Infinitae enim sapientiae Patris, et infinito amori Patris et Filii, immediate, ut *purus terminus* productus, respondent Filius et Spiritus Sanctus, qui cum debeant esse actus purus (ut nunc supponimus), veram dependentiam excludunt.

(1) De *Trinit.* l. 15, c. 7.

ARTICULUS III.

Divinarum Personarum relationes.

THESIS IV.

In Deo sunt propriae relationes.

41. **Nota.** Relationes inter divinas existere Personas negavit Arius, ut Patrum argumentationem, qui Filii aeternitatem ex ejusdem ad Patrem relatione inferebant, declinaret.

Prob. 1.° Conc. Tolet. XI, dicit in Profess. fidei: «Cum re»lative tres personae dicantur, una tamen natura per substantiam »creditur... Hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt; »et in hoc numero carent, quod ad se sunt.» Et in Conc. Florent. Sess. 18, ait Joannes Theologus: «Sola relatio, »apud omnes Graecos et Latinos Doctores, divina processione per»sonas multiplicat, ita ut, non alia ratione, quam vi relationis, una »Persona ab alia differat.» Ita et Conc. Wormatiense, quod illam Toletani doctrinam iisdem profitetur verbis.

2.° Ex SS. literis. Nam divinae personae nonnisi nominibus relationem significantibus proponuntur: *Pater*, *Filius*, *Verbum*, *Unigenitus*, *Spiritus Dei*, *Spiritus Filii*, etc. Ideo fidem in baptismo profitendam, ut notavit Cyrillus (1), his nominibus relativis voluit Deus significari: «Quae distinctissimam nobis uniuscujusque »rei significatae propriam existentiam ostenderent... sermone uni»cuique rei perceptae congruum nomen distribuente... Atque ita »claram et inconfusam trium hypostaseon in propriis ac peculiari»bus existentiis servans proprietatem.»

42. 3.° Gregor. Naz. (2): «Mutuae eorum relationis diffe»rentia, diversa quoque ipsis nomina procreavit.» Athanasius (3): «Patris nomen ad solum Filium respicit, atque in eo sis»tit... Vox Patris simplex est, atque in divinis libris usitata, ma»gisque veritati congruit (quam vox *non factum*), et Filium dum»taxat significat.»

43. 4.° Relativa dicuntur, quorum esse est ad aliud se habere. Atqui id convenit divinis personis, ut ex dictis patet. Confirm. ex Basilio (4): «Patris et Filii nomina solam, quam inter se habent, »habitudinem ostendunt.» Et Augustinus (5): «Pater non dici»tur Pater nisi ex eo, quod est ei Filius; et Filius non dicitur nisi

(1) De *SS. Trin.* dial 2. (n. 422, Migne).—(2) Orat. 5, theol.—(3) Or. 1. *contr. Arian.* n. 34. (4) Lib. 2, *contr. Eunom.* —(5) L. 5, *de Trin.* c. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»ex eo quod habet Patrem; non secundum substantiam haec di»cuntur, quia non quisque eorum ad se ipsum, sed ad invicem at»que ad alterutrum dicuntur: neque secundum accidens; quia et »quod dicitur Pater, et quod dicitur Filius, aeternum atque incom»mutabile est eis; sed secundum relativum.»

44. 5.° Confirm. ex notis propriis relativorum: nempe, sunt simul natura ac cognitione; et dicuntur ad invicem cum conversione.

a) Sunt simul natura, seu existentia unius infert existentiam alterius. Sic ait Joannes (1): *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet; qui confitetur Filium, et Patrem habet.* Ut enim commentat Cyrillus (2): «Uterque enim est per utrumque.» Et Athanasius, probans aeternitatem Filii (3): «Dicere, Filium potuisse non »esse, summa certe impietas et audacia est, quae ipsam Patris na»turam lacessat, si nimirum id quod proprium ejus est (esse Pa»trem) potuerit non esse. Idem enim est ac si diceretur, Patrem po»tuisse non esse bonum. Verum quemadmodum et semper et natu»ra bonus est Pater, ita semper natura est generans.» Concilium »Sard. (4): «Patrem sine Filio nec nominari, nec esse posse, est ip»sius Filii testimonium: *Ego in Patre et Pater in me est: Ego et Pa»ter unum sumus.*» Et Toletan. XI. «Si Pater semper fuit, semper »habuit Filium.» Gregor. Naz. (5) ait: «Si unum dejicis, audax »dicam; ne duo quidem superiori loco colloces. Quae enim imper»fectae deitatis utilitas?»

b) Relativa sunt simul cognitione. Hanc proprietatem convenire divinis Personis patet. Nam Christus ait (6): *Qui videt me, videt et Patrem.* S. Cyrill. Hierosolym. (7): «Patris nomen exhibet »intelligendum Filium. Quemadmodum similiter Filium quis no»minans, statim et Patrem intelligit. Si enim Pater, omnino Filii »est Pater; et si Filius, omnino Patris est Filius.» Et Athanasius (8): «Pater ad Filium refertur, et qui Deum Patrem vocat, »statim quoque Filium intelligit... Pater in solo Filio intelligitur »et consistit... Necesse est enim lucem una cum splendore esse, et »splendorem cum propria luce videri. Qua de causa Judaei, qui Fi»lium cum istis negant, nec ipsi Patrem habent.» Cyrillus Alex. (9): «Si Pater scit semper se esse Patrem, semper in se ip»so cognitionem de Filio habet.»

c) Relativa convertuntur: id in divinis evenit. Vide hic supra Cyrill. Hierosolym. Athanasius (10) ait: «Filius est in

(1) 1, Jo. II, 23.—(2) L. 1, *de Fide*, ad Theodos. — (3) Orat. 3. *contr. Ar.* 66. —(4) Epist. ad omnes epis.—(5) Orat. 5, Theol. n. 4.—(6) Jo. XIV, 6.—(7) Cateches. 7.—(8) Orat. 2. *contr. Arian.*—(9) L. 1, *Thesaur.* c. 8.—(10) Orat. 3. n. 44.

Patre et Pater in Filio.» Patet ex August. in prob. 4.ª Et Epiphanius, haeres. 73, ait; «Pater Filii Pater dicitur: Filius Patris »Filius dicitur: Haeret enim alterum ex altero, et non dirimitur cognationis habitus.»

THESIS V.

Relationes, quae Deo insunt, reales sunt, etiam secundum ultimam formalem rationem relationis.

45. **Nota** I.° Nonnulli DD. Scholastici, cum Guilielmo Parisiensi, licet divinas profiterentur relationes, tamen eas non esse reales putarunt. Alii, ut Cajetanus, cum aliquibus thomistis, docent; ultimam formalem rationem relationis, nempe, *esse ad*, non esse realem in Divinis.

II.° Prima pars certa est, ac catholica doctrina: quoad secundam autem, ait Suarezius de opposita Cajetani opinione: «Hanc »vero sententiam existimo esse falsam.»

46. Prob. I. pars. 1.° Si relationes divinae non essent reales, sed rationis, non essent proprie relationes, sed improprie et secundum quid; quemadmodum entia rationis, non sunt proprie et simpliciter entia, sed improprie. Atqui ex thes. praec. constat, dari in divinis relationes; ergo reales existunt. Ad rem Gregor. Nyssen. (1): «Cum quid argumentatur non esse proprie, funditus per »se non esse demonstramus.» Et S. Cyrillus (ibid.): «Non sunt »repudiandae propriae nominationes, nec aliud quid, praeterquam »quod per ipsa nomina significatur, intelligendum est: sic enim »evanescet haereticorum amentia.»

2.° Personae divinae distinguuntur realiter. Atqui distinguuntur per relationes; ergo relationes sunt reales. *Min.* patet ex thes. praec. prob. 1.ª; verum infra confirmabitur.

3.° Personae divinae constituuntur relationibus; ut postea dicetur. Sed personae reales sunt: ergo et relationes.» Nulla res, ait »S. Thomas (2), constituitur nisi per rem.»

47. Pars. II. prob. 1.° Illa ratio, *esse ad*, constituit formaliter relationem: sed nihil potest esse proprie et realiter aliquid, nisi ejus rei habeat realiter formalem et constitutivam rationem; ergo relationes reales divinae sunt etiam reales, secundum *esse ad*.

Maj. constat ex communi consensu. Accepta est enim illa relationis Aristotelica definitio: «Sunt ad aliquid, quibus hoc ipsum »esse est ad aliquid se habere.» Et Basilius (3): «Quaecumque

(1) Apud Cyparisiot. Decad. 4, c. 9.—(2) Q. 8, *de Potent.* 1, a.—(3) L. 2, *cont. Eunom.*

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DE SALAMANCA BIBLIOTECA GENERAL DE BIBLIOTECAS

»ad alia dicuntur, haec ad ea quae dicuntur, habitudinem solum ostendere.» *Min.* est etiam evidens: quomodo potest ens aliquod realiter et vere esse homo, si formalis ultima ratio hominis non sit realis?

48. 2.° Esse Patrem, est formaliter se habere ad Filium, et è converso; esse Filium, est se habere ad Patrem: idem dicas de Spiratore et Spirato. Si ergo relationes, secundum *esse ad*, in divinis non sunt reales, sed rationis; Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt formaliter entia rationis, non vero personae reales.

3.° Ex communi effato Theologorum, «in divinis omnia sunt »unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio:» sed relationis oppositio nihil aliud est, nisi ejus *esse ad;* ergo si *esse ad* est ens rationis, nihil obviat unitati et identitati Personarum nisi oppositio rationis, ideoque nequeunt realiter distingui.

Ex his patet, mitissime dixisse Suarezium, oppositam opinionem esse *falsam:* Ruizius è Montoya ait, esse *periculosam* et *errori proximam*. Ut enim ait D. Thomas (1): «Sententiam »fidei sequentes oportet dicere. in divinis relationes esse reales.» Quis autem intelligat esse reales, si secundum suam formalissimam rationem sint ens rationis?

49. Objic. 1.° D. Thomas (2) ait: «Relatio, in quantum est »relatio, non habet quod sit aliquid, sed solum quod sit ad aliquid. »Quot sit vero aliquid secundum rem, habet ex illa parte, qua »inest, vel ut idem secundum rem, ut in divinis; vel ut habens »causam in subjecto, sicut in creaturis.» Ergo nulla relatio, neque divina, est realis secundum illam propriam rationem *esse ad.*

Resp. Multae sunt sententiae de sensu horum D. Thomae verborum. Dico ergo 1.° permitto *ant.* et nego *consequens* ac *consequentiam*. Verum, quo sensu verba intelligenda sunt, ut falsitas eluceat *consequentiae*, supposita sententiae veritate?

50. Resp. 2.° Sensus igitur est, quod illa formalis ratio, *esse ad*, non exigit necessario esse aliquid reale, sed praescindit ita, ut possit quid reale esse, vel non. Quando autem erit quid reale, vel quid rationis? Duplicem regulam tradit ipse D. Thomas (3).

a) Quando respectus, seu *esse ad*, est in ipsa rerum natura, tunc relatio secundum *propriam rationem* est realis. Jam vero, hoc accidit, ait, in divinis. Quando vero respectus, *esse ad*, est *tantum* in ipsa apprehensione rationis, tunc relatio est rationis tantum.

b) Cum respectus, id est, *esse ad*, desumitur per comparationem ad illud *cui* inest relatio, tunc erit realis, si fundamentum sit reale. Si autem respectus accipiatur unice per comparationem *ad alterum*,

(1) Q. 8, *de Potent.* a. 1.—(2) Q. 2, ibid. a. 5.—(3) P. 1, q. 28, a. 1.

tunc non erit realis in subjecto, sed mere assistens, extrinseca, affixa, ideoque concepta ut inhaerens: sic columna dicitur esse in dextera, quin hic respectus aliquid in illa supponat. Talis non est respectus seu *esse ad* divinarum relationum.

51. Inst. Illam tradit D. Thomas doctrinam, ut ostendat, quod, quamvis non habeat Filius Paternitatem, tamen non habet Pater *aliquid* quod Filius non habeat. Ergo revera putat Paternitatem, in quantum est relatio, esse nihil.

Resp. Dist. *ant.* Quod non habet Pater *aliquid absolutum* et reale, quod non habeat Filius; conc. Quod non habeat Pater *aliquid relativum (ad aliquid)* reale, quod Filius non habeat; nego. Non enim hoc, sed illud volebat S. Doctor probare; quod non distinguentes aliqui hallucinati sunt interpretes, et illi falsam omnino imputarunt doctrinam, quam apertissime in utraque Summa reprobat. «Sunt plures res subsistentes (divinae Personae), si relationes con»siderentur: est autem una res subsistens, si consideretur essen»tia» (1). «Ea quae dicuntur ad aliquid, significant secundum *pro»priam rationem* solum respectum ad aliud. Qui quidem respectus »aliquando est in ipsa rerum natura... Aliquando vero est tantum »in ipsa apprehensione rationis... Necesse est quod relationes in di»vinis sint reales,» scilicet, secundum propriam rationem *ad aliud* (2).

52. Objic. 2.° Relationes divinae sunt ad modum principii. Sed ejusmodi nequeunt esse reales, ut patet in relatione Dei ad creaturas: ergo neque illae. Resp. negando *minorem* et paritatem. Disparitas est quod Deus et creaturae non sunt ejusdem ordinis, sed infinite distantes, et ideo nequeunt in eadem relatione cum Deo illae convenire.

Objic. 3.° Relatio quae resultat in objecto cognito ad intellectum, est rationis tantum: ergo a pari relatio Verbi ad Patrem.

Resp. nego *consequentiam*. Nam Verbum divinum non respicit intellectum divinum, quasi objectum cognitum tantum, sed etiam ut terminus productus: jam vero quivis terminus productionis a principio procedit producente, non autem objectum cognitum procedit a cognoscente.

THESIS VI.

Spiratio activa, seu relatio principii producentis Spiritum Sanctum, est relatio realis.

53. **Nota**: nonnulli theologi dubitarunt; at adeo communis, cer-

(1) *Contr. Gent.* l. 4, c. 14, ad 5.—(2) P. 1, q. 28. a. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

taque est haec propositio, ut eam negare temerarium esset ac periculosum.

Prob. 1.° Conc. Tolet. XI, in *profess. fidei*. «Hoc solo nu»merum insinuant, quod ad invicem sunt.» Atqui realiter distinguuntur seu numerum faciunt Pater et Filius spirantes, et Spiritus Sanctus spiratus: ergo et realem relationem Pater et Filius habent ad Sp. Sanctum. Iisdem Toletani verbis fidem suam professa est Synod. Wormatiensis.

2.° Augustinus (1 ait: «Ipsa relatio apparet, cum dicitur »(Sp. Sanctus) donum Dei. Donum enim est Patris et Filii, qui et »a Patre procedit, et... Donum ergo Donatoris et Donator Doni cum »dicimus, relative utrumque ad invicem dicimus.» Unde inferes: relatio inter Sp. Sanctum et Spiratorem est mutua, et fundatur in processione reali. Sed relatio spirationis passivae est certe realis; ergo et spiratio activa. Gregor. Naz. (2): «Spiritui S., »inquiunt, quid deest, ad hoc ut sit Filius?... Deesse nihil dicimus. »Non enim Deo quidquam deesse potest. Verum manifestationis, »ut ita dicam, mutuaeque eorum relationis differentia, diversa »quoque illa nomina procreavit.» Si ergo relatio existit mutua, realis est ex utroque extremo.

Boetius (3) quoque: «Similis est in Trinitate relatio Patris ad »Filium, et utriusque ad Spiritum Sanctum.»

54. 3.° Pater et Filius sunt principium Sp. Sancti, ut fides docet. Ergo non est minor ratio ut realiter referantur ad eumdem, quam ut Pater referatur ad Filium.

Confirm. ex ratione a D. Thoma, (4). Inter principium et terminum realiter procedentem a principio mutua et realis est relatio, quando in eodem ordine existunt. Atqui Pater et Filius sunt reale principium Sp. Sancti, et sunt in eodem ordine, id est, in eadem natura: ergo ad Sp. Sanctum realiter referuntur.

Objic. 1.° Augustinus ait (5): «Relatio Sp. Sancti non ita »reciproca ratione converti poterit, sicut Pater et Filius.» Ergo non est realiter mutua.

Resp. Dist. seu explico Augustini dictum: Non potest converti cum relatione Paternitatis et Filiationis; conc. Cum relatione Spiratoris, seu Donatoris; nego. Hoc sensu loquitur Augustinus, ut ex contextu patet.

Objic. 2.° Non potest persona per unam relationem constituta, iterum referri per aliam relationem realem; ut docet D. Thomas (6). Sed Spiratio activa supponit Patrem et Filium in sua relatione constitutos: ergo non potest realiter iterum referri.

(1) *De Trin.* l. 5, c. 11.—(2) Orat. 5, theol. n. 9.—(3) *De Trinit.* ad finem.—(4) Q. 28, a. 4.—(5) Serm. 38, de temp.—(6) Q. 42, a. 1, ad 4.

Resp. dist. *maj*. Per aliam relationem ejusdem rationis, conc. Diversae rationis; nego. In hoc sensu loquitur D. Th.; sequeretur enim processus in infinitum.

THESIS VII.

Spiratio activa non est relatio realiter distincta a Paternitate et Filiatione: unde licet sint in Deo quatuor relationes reales, solum tres sunt realiter distinctae.

55. **Nota**: haec est communis inter Theologos sententia, adversus aliquos antiquiores, cum Durando, etc.

Prob. 1.° Concil. Later. cap. *Damnamus*, absolute reprobat dari *quaternitatem:* «In Deo solummodo Trinitas est, non qua»ternitas.»

2.° Si Spiratio activa esset realiter distincta a Paternitate et Filiatione, esset etiam subsistens sicut istae; non enim est accidens: ergo esset quarta Persona, quod patet esse contra fidem.

3.° Ex communi Patrum et theologorum axiomate, «solum oppo»sitio relativa est ratio distinctionis:» sed non opponitur Spiratio activa Paternitati et Filiationi; non enim ab iis procedit: ergo realiter distingui nequeunt.

56. 4.° Si Spiratio distinguitur realiter a Patre et Filio, nequeunt esse idem in spirando: nam repugnat realiter identificari in tertio ab utroque distincto. Sed, ut ait Augustinus (1): «Filius est »hoc omnino quod Pater, non tamen Pater;» ideoque sunt omnino idem in spirando: ergo relatio Spirationis cum Patre et Filio realiter identificatur.

5.° Ex absurdo. Sequeretur Patrem esse realiter compositum; similiter et Filium: imo et esse quoddam compositum accidentale et incompletum. Nam accederet illa relatio Spirationis ad personas, seu substantias in subsistendo completas, ut possent referri ad Sp. Sanctum; ideoque ad modum accidentis.

57. Objic. 1.° Quae uni tertio identificantur, sunt idem inter se: si ergo Paternitas et Filiatio sunt idem realiter cum Spiratione activa, sunt idem realiter inter se; quod est haereticum.

Resp. Haec difficultas pariter opponitur identitati reali divinarum Personarum cum essentia; infra igitur de illa agemus. Nunc dicere sufficiat cum Suarez (2): «Spirationem distingui virtute »solum a Paternitate; actualem vero distinctionem inter illas ratio»ne compleri.» Unde principium illud: *Quae uni tertio...* valet in

(1) *De Trin.* l. 15, c. 14.—(2) *De Trin.* l. 5, c. 5, n. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

iis, quae identificantur actu et virtute realiter; non autem si virtute distinguantur.

58. Objic. 2.° Nequeunt esse realiter idem relationes quae habent terminos realiter distinctos. Sed Spiratio terminatur ad terminum realiter distinctum a termino Paternitatis et Filiationis: ergo non potest illa his identificari.

Resp. dist. *maj*. Nequeunt esse idem adaequate, seu tum ratione fundamenti et subjecti, tum ratione terminorum; conc. *maj*. Nequeunt esse idem in se, seu ut sunt res quaedam: nego. Sicut enim in simplici cogitatione est respectus ad Deum ut primam causam, ad intellectum ut causam secundam, et ad objectum ut cognitum; ita in simplici Spiratione, quae est ipsa Paternitas et Filiatio, sunt plures respectus. Maxime cum relatio divina sit quid eminens et infinitum, potest, ut una et simplex res, plures respicere terminos formaliter distinctos.

59. Objic. 3.° Personalitates, quia identificantur cum essentia, non efficiunt quaternitatem sed solum Trinitatem: ergo a pari, quia Paternitas et Filiatio idem sunt cum Spiratione activa, non datur quaternitas relationum realium divinarum, sed trinitas tantum: ideoque haec thesis praecedenti opponitur.

Resp. conc. *ant*. et nego *consequentiam*, et paritatem. Nam Spiratio habet terminum realiter distinctum, tum a termino Paternitatis, tum a termino Filiationis: licet ergo non constituat cum illis relationem realiter distinctam, seu quaternitatem absolute, constituit tamen aliam relationem realem; distinctam virtualiter, ut res, et realiter quoad terminum.

60. Objic. 4.° Paternitas et Filiatio sunt principium seu origo Spirationis activae: ergo debent distingui realiter ab illa.

Resp. dist. *ant*. Sunt principium per modum productionis; nego. Quatenus opus est ut relative subsistant Pater et Filius, seu ut sit Paternitas et Filiatio ad active Spirandum, sunt principium; conc. Spiratio activa, vel est simul cum Paternitate et Filiatione, in Patre ex ipsa perfectione essentiae, in Filio ex ejusdem communicatione; vel resultat in Patre et Filio ex oppositione ad Spirationem passivam; non tamen est producta, sed immediate fundata in actu infiniti amoris, cujus fecunditate, Spiritum Sanctum seu spirationem passivam producunt Pater et Filius.

CAPUT II.

De Divinitate et Unitate Divinarum Personarum.

ARTICULUS I.

Divinitas trium Personarum.

THESIS VIII.

Pater seu prima Trinitatis Persona est verus Deus.

51. **Nota.** Licet haeretici divinitatem Patris non fuerint directe inficiati, tamen hujusce dogmatis probationes nonnullas innuemus.

Prob. 1.° Ex omnibus fidei Symbolis: «Credo in Deum Patrem »omnipotentem, creatorem coeli et terrae...»

2.° Ait Christus (1): *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Et Petrus (2): *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum... quem suscitavit a mortuis.* Et Paulus (3): *Benedictus Deus et Pater Domini N. J. C., qui benedixit nos in omni benedictione..., elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti...; qui praedestinavit nos...*

52. 3.° Athanasius (4): «Age igitur, quae ad Patrem perti»nent inspiciamus... Aeternus est Pater, immortalis, potens, lux, »rex, omnipotens, Deus, Dominus, creator et effector.» Irenaeus (5): «Unus igitur et idem Deus, qui plicat coelum quemad»modum librum... qui temporalia fecit propter hominem, ut matu»rescens in eis fructificet immortalitatem... qui a lege et prophetis »annuntiatus est, quem Christus suum Patrem confessus est. Ipse est autem fabricator, et ipse est, qui super omnia est Deus.»

53. Objic. 1.° Pater nunc non regnat, et Filius non est ei subjectus, ut docet Apostolus (6). Ergo non est Deus.

Resp. Dist. seu explico. Non regnat, quatenus Regnum Christi completum non est, ideoque subjectione voluntaria homines Patri adhuc non subjiciuntur; conc. Quasi Pater potestate plena careat in omnes, etiam reluctantes; nego *ant*.

---

(1) Jo. XX, 17. –(2) Act. III, 13, 15. –(3) Ephes. I, 3-5.—(4) Orat. I *contra Arian.* n. 21. —(5) *Contr. haeres.* l. 4, c. 5. (Migne.) — (6) I Cor. XV, 24-28.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

iis, quae identificantur actu et virtute realiter; non autem si virtute distinguantur.

58. Objic. 2.° Nequeunt esse realiter idem relationes quae habent terminos realiter distinctos. Sed Spiratio terminatur ad terminum realiter distinctum a termino Paternitatis et Filiationis: ergo non potest illa his identificari.

Resp. dist. *maj*. Nequeunt esse idem adaequate, seu tum ratione fundamenti et subjecti, tum ratione terminorum; conc. *maj*. Nequeunt esse idem in se, seu ut sunt res quaedam: nego. Sicut enim in simplici cogitatione est respectus ad Deum ut primam causam, ad intellectum ut causam secundam, et ad objectum ut cognitum; ita in simplici Spiratione, quae est ipsa Paternitas et Filiatio, sunt plures respectus. Maxime cum relatio divina sit quid eminens et infinitum, potest, ut una et simplex res, plures respicere terminos formaliter distinctos.

59. Objic. 3.° Personalitates, quia identificantur cum essentia, non efficiunt quaternitatem sed solum Trinitatem: ergo a pari, quia Paternitas et Filiatio idem sunt cum Spiratione activa, non datur quaternitas relationum realium divinarum, sed trinitas tantum: ideoque haec thesis praecedenti opponitur.

Resp. conc. *ant*. et nego *consequentiam*, et paritatem. Nam Spiratio habet terminum realiter distinctum, tum a termino Paternitatis, tum a termino Filiationis: licet ergo non constituat cum illis relationem realiter distinctam, seu quaternitatem absolute, constituit tamen aliam relationem realem; distinctam virtualiter, ut res, et realiter quoad terminum.

60. Objic. 4.° Paternitas et Filiatio sunt principium seu origo Spirationis activae: ergo debent distingui realiter ab illa.

Resp. dist. *ant*. Sunt principium per modum productionis; nego. Quatenus opus est ut relative subsistant Pater et Filius, seu ut sit Paternitas et Filiatio ad active Spirandum, sunt principium; conc. Spiratio activa, vel est simul cum Paternitate et Filiatione, in Patre ex ipsa perfectione essentiae, in Filio ex ejusdem communicatione; vel resultat in Patre et Filio ex oppositione ad Spirationem passivam; non tamen est producta, sed immediate fundata in actu infiniti amoris, cujus fecunditate, Spiritum Sanctum seu spirationem passivam producunt Pater et Filius.

CAPUT II.

De Divinitate et Unitate Divinarum Personarum.

ARTICULUS I.

Divinitas trium Personarum.

THESIS VIII.

Pater seu prima Trinitatis Persona est verus Deus.

51. **Nota.** Licet haeretici divinitatem Patris non fuerint directe inficiati, tamen hujusce dogmatis probationes nonnullas innuemus.

Prob. 1.° Ex omnibus fidei Symbolis: «Credo in Deum Patrem »omnipotentem, creatorem coeli et terrae...»

2.° Ait Christus (1): *Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.* Et Petrus (2): *Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob, Deus Patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum... quem suscitavit a mortuis.* Et Paulus (3): *Benedictus Deus et Pater Domini N. J. C., qui benedixit nos in omni benedictione..., elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti...; qui praedestinavit nos...*

52. 3.° Athanasius (4): «Age igitur, quae ad Patrem perti»nent inspiciamus... Aeternus est Pater, immortalis, potens, lux, »rex, omnipotens, Deus, Dominus, creator et effector.» Irenaeus (5): «Unus igitur et idem Deus, qui plicat coelum quemad»modum librum... qui temporalia fecit propter hominem, ut matu»rescens in eis fructificet immortalitatem... qui a lege et prophetis »annuntiatus est, quem Christus suum Patrem confessus est. Ipse est autem fabricator, et ipse est, qui super omnia est Deus.»

53. Objic. 1.° Pater nunc non regnat, et Filius non est ei subjectus, ut docet Apostolus (6). Ergo non est Deus.

Resp. Dist. seu explico. Non regnat, quatenus Regnum Christi completum non est, ideoque subjectione voluntaria homines Patri adhuc non subjiciuntur; conc. Quasi Pater potestate plena careat in omnes, etiam reluctantes; nego *ant*.

---

(1) Jo. XX, 17. –(2) Act. III, 13, 15. –(3) Ephes. I, 3-5.—(4) Orat. I *contra Arian.* n. 21. —(5) *Contr. haeres.* l. 4, c. 5. (Migne.) — (6) I Cor. XV, 24-28.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Item: *Filius non est ei subjectus;* quoad illam plenitudinem Regni sui, qua illud voluntarie subjectum Patri exhibebit; conc. Quasi Filius, ut homo, aliquatenus Patri non subjiciatur; nego.

54. Objic 2.° Pater indiget Filio et Sp. Sancto, ut docet Irenaeus (1): «Non indigente Patre angelis, ut faceret conditionem, »et formaret hominem, propter quem et conditio fiebat...; sed ha»bente copiosum et inenarrabile ministerium. Ministrat enim ei Fi»lius et Spiritus Sanctus.»

Resp. Dist. Indiget *proprie;* nego. *Metaphorice*, propter unitatem virtutis, qua simul tres Personae ad extra operantur; conc. Nam quidem id significat Irenaeus dicens: *copiosum* et *inenarrabile ministerium.*

Inst. Pater non potest esse neque agere sine Filio et Sp. Sancto. Ergo est dependens et sibi insufficiens.

Resp. Nego *consequentiam.* Non enim est dependentia et defectus non posse eo carere, quod sibi ex perfectione convenit propriae naturae: hac sola de causa indiget Pater Filio et Sp. Sancto.

THESIS IX.

Filius seu Verbum, secunda Trinitatis Persona, est verus Deus.

55. **Nota:** haeretici omnes qui divinam negavere Trinitatem, neque Filii veram divinitatem professi sunt. Directe tamen hoc fidei dogma plures sectae, ab Ecclesiae exordio et deinceps, post protervos Judaeos, oderunt. Praecipue numerantur Arius et plures alii Arianismi coryphaei, qui in Filium Dei, ut Antichristi praecursores, blasphemarunt, et universum fere orbem erroris suis tenebris obscuraverunt, ita ut, dixerit Hieronymus (2): «Inge»muit totus orbis, et Arianum se esse miratus est.» Quidam Arii sectatores dicti sunt Semiariani, quod non omnes illius blasphemias proferrent, et *moderatione* aliqua uterentur, Filium Patri similem, ὁμοιούσιον, dicentes; non autem aequalem et consubstantialem, ὁμοούσιον. Inter Protestantes, Sociniani, aliique sectarii vestigia Arianorum secuti sunt, et, in praesenti ac elapso proxime seculo, turba omnis theistarum ac rationalistarum.

56. Prob. 1.° Ex Nicaen. Syn. «Credimus in unum Domi»num J. C., Filium Dei ex Patre natum unigenitum, id est, ex es»sentia Patris, Deum verum ex Deo vero.» Et Synodus. Rom. sub Damaso: «Si quis non dixerit verum Deum Filium Dei, si»cut verum Patrem ejus, et omnia posse, et omnia nosse, et Patri aequalem esse, A. S.»

(1) Supra, n. 10.—(2) Dialog. *advers. Lucifers.* n. 19.

2.° Joannes Ev. ait (1): *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum;* καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. In quibus de Verbo, ut orationis subjecto, Deus absolute praedicatur. In quavis enim propositione subjectum est, quod magis determinatum exhibetur. Iterum (2): *Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus et vita aeterna:* οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεὸς καὶ ζωὴ αἰώνιος. Apostolus (3) ait. *Vos Spiritus S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

Ex Vet. Test. vide testimonia, quibus in Tract. de *Deo Incarnato* probabimus Jesu Christi divinitatem.

57. 3.° Ex Patribus Antenicaenis vide apud Petavium copiam testimoniorum: aliqua tantum laudabimus. S. Ignatius M. (4) ait: «Deus noster Jesus Christus in utero gestatus est a Maria.» S. Irenaeus (5): «Quis Deus? De quo dixit; Deus manifeste ve»niet, Deus noster et non silebit: hic est Filius.» Patres item Syn. Antiochenae (a. 266) damnarunt Paulum Samosatenum, divinitatis Christi osorem, et in *professione fidei* ajunt: «Confitemur »Dominum Jesum Christum, ante secula ex Patre natum..., una »dumtaxat Persona, ex coelesti divinitate et humana carne subsis»tentem; totum Deum et totum hominem.» Alexander, ep. Alexandriae, in ipso arianae haereseos ortu, Arianos tamquam haereticos damnavit ac *solos dogmatum inventores;* et testimoniis antiquorum PP. eosdem refellit, ut tradit Theodoretus, (6) ac S. Athanasius (7): «Ecce, ait, nos demonstramus vobis, nos»tram sententiam a Patribus ad Patres transiisse; vos autem, o no»vi Judaei, quos Patres... exhibere potestis? Nullum certo profere»tis; omnes a vobis abhorrent, praeter unum diabolum, qui nempe »solus hujus vestrae defectionis pater et auctor extitit, vobisque »primum impietatem hanc inseminavit.» Aliud insigne Patrum antenicaenorum testimonium posteris tradidit Eusebius Pamphinus (8), qui nulli erit, in hac re, suspectus. Veteris esse auctoris catholici, quod affert fragmentum, ipse testatur: auctorem autem illum esse Cajum, presbyterum Romanum, asserit Photius (9). «Affirmant, ait A. ille, (haeretici) a Zephyrini tem»poribus, qui Victori successit, adulteratam fuisse veritatem »(inductam doctrinam divinitatis Christi). Ac fortasse id, quod di-

(1) Jo. Is. — (2) I Jo. V, 20.— (3) Act. XX, 28. — (4) Epist. ad Eph. c. 18.— (5) *Contr. haeres.* l. 3, c. 10.—(6) Lib. 1, c. 4, *hist. eccl.*— (7) De *Decret. Syn. Nicae.* n. 27. —(8) *Hist. Eccl.* l. 5, c. 28.— (9) Biblia c. 48.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»cunt, credibile videretur, nisi eis refragarentur primum quidem »divinae Scripturae, deinde fratrum quorumdam scripta, Victo»ris aetate (an. 185) antiquiora, quae illi adversus gentes et con»tra sui temporis haereticos pro veritatis defensione scripserunt: »Justinum intelligo, et Miltiadem et Tatianum et Cle»mentem, aliosque quamplurimos; in quorum omnium libris »Christi divinitas adstruitur. Nam Irenaei quidem et Melito»nis et reliquorum scripta, quis est qui ignoret, in quibus Chris»tum Deum simul et hominem praedicarunt? Psalmi quoque et »cantica fratrum, jam pridem a fidelibus conscripta, Christum Ver»bum Dei concelebrant, divinitatem ei tribuendo. Cum igitur tot »abhinc annis ecclesiastica doctrina praedicata sit, qui fieri potest, »ut omnes usque ad Victoris tempora eam, quam isti dicunt, »doctrinam promulgaverint? Quomodo eos non pudet hujusmodi »calumniam adversus Victorem concinnare, cum certo sciant, »Theodotum coriarium, qui defectionis illius Deum abnegantis pa»rens et auctor fuit, primusque Christum nudum esse hominem as»seruit, per Victorem a communione Ecclesiae ejectum esse? »Nam si, ut ajunt, Victor eadem sentiebat, quae illorum docet »impietas, cur Theodotum haereseos illius auctorem ab Ecclesia »removit?»

Haec sufficiant ad Patrum antenicaenorum mentem dignoscendam; nam quae fuerit, post Nicaenam Synodum, Patrum Ecclesiae mens nullus dubitare potest.

58. Objic. 1.° Christus dixit: *Pater major me est* (1). Sed si Filius esset verus Deus non esset Pater major: ergo Filius non est Deus.

Resp. Dist. *min.* Si Filius esset Deus et non homo, Pater non esset major; conc. Si est Deus simul et homo; nego *min.* Nam Pater est major Filio *ut homine* seu quoad *formam servi*, ut loquitur Apostolus.

59. Objic. 2.° Ipse Christus confessus est, non nisi improprie et more aliorum hominum se esse Deum (2): *Si illos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est...; quem Pater sanctificavit et misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas; quia dixi, Filius Dei sum?*

Resp. Nego assertum. Christus rejecit accusationem blasphemiae; hoc autem duplici modo prestare poterat: 1.° dicendo, se improprie et metaphorice Deum dicere; (ut contendunt haeretici). Verum hoc nec dixit Christus, neque intellexerunt Judaei, qui illius audito responso, *quaerebant eum apprehendere et exivit de manibus eorum*. 2.° Dicendo generatim; non statim esse blasphemum, qui se Deum esse dicat; sed id pendere a *ratione* juxta quam Deus dicatur, quemadmodum ipsa Scriptura Deos homines aliquos appellavit, quin propterea blasphemaret. Si ergo Christus, non secundum humanam naturam se Deum dixerat, ut fingebant Judaei; *Homo cum sis, facis te ipsum Deum;* sed secundum aliam *veram rationem;* blasphemus non erat.

(1) Jo. XIV, 28.—(2) Ibid. X, 35, 36.

Qua autem ratione se Christus Deum esse dixit? Est haec prorsus alia quaestio. Certe se Deum esse dixit: Judaei ita intellexerunt, indeque eum lapidare ut blasphemum voluere. *Qua autem ratione* se Deum dixit, potuit Christus vel tacere, vel aperte dicere, vel confuse insinuare, prout illius prudentiae congruebat secundum rerum adjuncta.

60. **Dico** igitur 1.° Christus aperte protestatus est, se specialiori modo esse Deum et potiori ratione, quam illi, quibus dictum est, *Dii estis vos;* ut patet, ex verbis in objectione citatis.

Dico 2.° Aperte item dixit Christus, se *unum* esse cum Patre, unam habere cum eo potentiam (w. 29, 30). Ut autem haec tam ardua crederent, ad opera et miracula, quae nomine Patris faciebat, eos provocavit.

Dico 3.° Implicite quoque dixit Christus, hanc *unitatem* esse unitatem essentiae: *Pater in me est, et ego in Patre.*

Quod si Christus in iis rerum adjunctis *specialem* illam non explicuisset rationem, qua se Filium Dei, Deumque dicebat, non ideo jure posset deducere haereticus, improprie Christum esse Deum.

61. Objic. 3.° Unitas Christi cum Patre talis est, qualis ea, qua nos cum illo et ad invicem unum sumus (1); ergo nequit verus esse Deus.

Resp. dist. *ant.* Unitas Christi, *quatenus hominis*, cum Patre, talis est... Conc. *ant.* Christi unitas, quatenus *Deus est*... nego *ant.* vel subd. Talis est per quamdam analogiam; conc. Proprie; nego.

Nam unitas nostra cum Christo, ita comparari etiam potest ad unitatem Christi cum Patre, sicut perfectio nostra ad perfectionem Patris (2).

62. Objic. 4.° Ex antenicaenis PP. aliqui, ut Justinus, Irenaeus, Tertullianus, etc. dicunt Filium ministrum esse Patris, minorem, instrumentum, et alia ejusmodi. Sed haec nequeunt de vero Deo dici: ergo Filius non est verus Deus.

Resp. Dist. *maj.* Haec dicunt, ut explicent originem Filii a Patre; conc. *maj.* Ut indicent distinctionem aut differentiam naturarum; nego. Sic Justinus (3) exponit genuinum illarum vocum sensum: «Propheticus sermo, *Pluit Dominus ignem a Domino de coelo,*

(1) Jo. XVII, 21.—(2) Matth. V, 48.— (3) *Dialog. contr. Triph.* n. 128, 129.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»duos numero esse declarat; alium quidem in terra (Filium); alium »autem in coelis, qui et illius in terra apparentis Domini Dominus »est, *quatenus* Pater et Deus, qui ei praestat, ut et potens sit et Do»minus et Deus.» Identitatem autem essentiae perspicue declarat: «Virtutem illam ex Patre genitam, virtute et voluntate ipsius, non »vero per abcissionem, quasi Patris substantia divideretur.»

63. Objic. 5.° De Sapientia, quae est Filius, dicit Scriptura (1): *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo... Ab initio et ante secula creata sum. Dominus creavit me in initio viarum suarum..... Ante colles ego parturiebar.* Ergo Filius est creatura.

Resp. Dist. *maj.* Dicitur Sapientia creata, quatenus carnem assumpsit; conc. Secundum se; nego.

Inst. Dicitur etiam de Filio (2): *Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam. Imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae.* Et Paulus (3): *Ipse Primogenitus in multis fratribus.* Sed non esset Primogenitus inter creaturas, nisi creatura esset: ergo filius est creatus.

Resp. Dist. *maj.* Quatenus Filius carnem assumpsit, et sic inter creaturas adnumeratus est; conc. Simpliciter et secundum se, dicitur primogenitus omnis creaturae; nego. Sic SS. Patres interpretantur.

SCHOLION.

Ultima proposita objectione, frequentissime impetebant haeretici Filii Dei divinitatem: ideo traditam explicationem paucis confirmare peropportunum videtur.

§ I.

De Filio Sapientia.

64. Illas S. Scripturae sententias, quibus creata significatur divina Sapientia, intelligendas de Verbo *incarnato*, major pars Patrum Graecorum et Latinorum censuerunt. Epiphanius enim, (4) dicit: «hanc esse explicationem magnorum Patrum.» Hieronymus (5) autem de his, qui aliter interpretari conantur, ait: «Mul»ti, ne Christum creaturam dicere compellantur, totum Christi »mysterium negant, ut dicant, non Christum in hac Sapientia, sed »mundi sapientiam significari: nos libere proclamamus, non esse

(1) Eccli. XXIV, 12, 14; Proverb. VIII, 22, 25.—(2) Eccli. XXIV, 5; Colos. I, 15.—(3) Rom. VIII, 29.—(4) *Haeres.* 9, n. 24.—(5) In Ep. ad Eph. c. 2, v. 11; et c. 4, v. 24.

»periculum eum dicere creaturam, quem vermem, et hominem, et »crucifixum, et maledictionem, tota spei nostrae fiducia, profite»mur: maxime cum ex duobus versiculis qui praecedunt, ipsa Sa»pientia promittat se esse dicturam quae post secula sunt.»

Inferius autem, et alibi saepe, ad eamdem redit interpretationem: «Haeresis nativitatem Christi calumnians, Salomonis usurpat exem»plum: *Dominus creavit me initium viarum suarum.* Consideran»dum igitur, quia creatio atque conditio numquam nisi in magnis »operibus nominentur... Ex quo animadvertendum istum novum »Hominem, qui juxta Deum in Christo creatus est, magnum Dei »opus esse, et eminere ultra ceteras creaturas: quum sic conditus »esse dicatur, ut mundus, et initium viarum Dei, et in exordio ele»mentorum omnium sit creatus.»

65. S. Athanasius confirmat (1): «Neque enim Dei Verbum »res est creata, sed creator ipse: tunc autem proverbii instar ait, »*Dominus creavit me*, cum creatam induit carnem, ut etiam ex hoc »ipso loco potest intelligi. Tametsi enim Filius est et Deum habet »Patrem, cum proprius ejus sit fetus; tamen Patrem hoc in loco »dominum appellavit, non quia servus esset, sed quia servi for»mam accepit... Cum opus venit absoluturus et servi formam ac»cepit; Patrem Dominum dicere, eum omnino decuit.»

In Constitut. Apost. Clementis, (2) legimus: «De eo etiam »(Christo) et ejus persona, dicebat Salomon: *Dominus condidit* »*me principium viarum suarum...*»

§ II.

De Filio Primogenito.

66. Cum autem Dei Filius dicitur Primogenitus omnis creaturae, id ad illius spectare Incarnationem gravissima suadent argumenta. Concilium gener. Sardicense, in ep. *synodica* ait: »Confitemur item, et unigenitum et primogenitum: sed unigenitum »Verbum dicimus, quod semper fuit et est in Patre; primogenitum »autem, quantum ad hominem; sed tamen differt a creatura com»muni, quoniam et primogenitum a mortuis confitemur unum »esse Deum.»

Athanasius et Syn. Alexandrina epistolam *Synodicam* ad Synodum Antiochenam miserunt: in illa autem epistola, quam PP. Antiochenses cum Eusebio Vercellensi subscripserunt, eodem intelligunt sensu Primogenitum esse Filium Dei:

(1) Oratio 2, *contr. Arian.* n. 50.—(2) Lib. 5, c. 20.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

«Cum vero Filius Dei esset, factus est et filius hominis: cumque »Unigenitus esset Filius Dei, factus est ipse Primogenitus in mul»tis fratribus.»

67. Quam accepta etiam apud latinos erat haec Primogeniti intelligentia facile patebit. Eusebius Vercellensis, ab exilio ad patriam reversus, scripsit *Confessionem de Trinitate* (1), in qua, sub n. IV. ait: «Hic autem qui ante secula Unigenitus est vocatus spi»ritualiter, Primogenitus est factus. Unigenitus propter Divinita»tis substantiam: Primogenitus propter assumptae carnis natu»ram.»

Gravissimis verbis docet Augustinus, ex fide catholica desumi hanc Primogeniti interpretationem, nec aliter intelligi posse (2). «Itaque cum et unigenitum et primogenitum eum divina »testentur eloquia; unigenitum, quia sine fratribus; primogenitum, »quia cum fratribus: non invenies quomodo utrumque de illo se»cundum eamdem naturam divinitatis intelligas. Fides vero catho»lica, quae inter creatorem, creaturamque distinguit, nullam pati»tur in his duobus nominibus intelligendi difficultatem: Unigeni»tum eum accipiens, secundum id, quod scriptum est; *In principio* »*erat Verbum*... Primogenitum autem omnis creaturae, secundum »id... *Ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*.» Deinde, cap. 7, ait: «Perspicis itaque jam... ut Jesus Christus et unigenitus sit, »secundum id quod Verbum Dei est... et primogenitus omnis crea»turae, secundum id quod in ipso condita sunt omnia, in coelis et »in terra, visibilia et invisibilia. Agnoscis, ut opinor, verba Apos»toli ad Colossenses.»

Patres Conc. Tolet. XI. (3) hanc Unigeniti et Primogeniti interpretationem iisdem professi sunt verbis, quae supra retulimus ex *confessione fidei* Eusebii Vercellensis.

§ III.

Baronii opinio rejicitur.

68. **Nota**: Baronius in dubium revocavit partem illam Epistolae Synodicae Concilii Sardicensis, in qua de fide agitur. Verum levi ductus est fundamento; nempe quia testatur Athanasius (4) Sardicense nihil addidisse fidei Nicaenae, et tabellas quasdam de fide, quae circumferebantur, spurias esse declaravit. Jam vero ut legitime ex his possit concludi, spuria esse quae de

(1) Migne, 7, 12, n. 959. — (2) L. *contr. Secund. Manich.* c. 5. — (3) In *Symb. Fidei*. — 4) Epist. ad *Concil. Antiochen.*

fide habentur in litteris synodicis Conc. Sardicensis, oporteret probare, vel quod tabellae illae, ab Athanasio rejectae, aliquid simile referebant, ita ut, uno rejecto, aliud necessario rejiciendum sit; vel quod nihil voluerit Sardic. Concilium declarare, exponere, confirmare circa fidem nicaenam, nihilque ex erroribus eidem fidei oppositis rejicere. Jam vero primum nulla ratione nititur; secundum est aperte falsum.

79. Primum quidem nulla inniti ratione, patet: quid enim illae continerent tabellae nullus refert. Imo perspicuum videtur, tabellas illas novum aliquod Symbolum exhibuisse, cum passim Ariani nova cuderent symbola ad fidem nicaenam obscurandam; ita ut 19 annorum spatio ediderint 14 fidei formulas, quarum aliquae nihil aliud prae se ferrent erroris, nisi quod sacram vocem ὁμοούσιον praetermitterent. Jam vero aliquem hujusmodi spurium Symbolum tabellas illas retulisse, ex adjunctis, videtur perspicuum. Nam ait Athanasius: «Synodus Sardicae coacta... sancivit, ut nul»lum unquam de fide ederetur rescriptum, sed sufficeret fides a Pa»tribus Nicaenis promulgata, quippe quae in nullo deficeret, sed »plena pietatis esset, statuitque ne altera ederetur fidei professio, »ne, quae Niceae conscripta fuerat, imperfecta reputaretur, neve »occasio iis daretur, qui saepe numero de fide scribere ac definire »volunt.» Nonne haec aperte supponunt agi de novo symbolo? Eusebius Vercel., subscribens huic Synodicae epistolae, dixit: «Ne per illam (fidei professionem, quae in tabellis tradebatur) Ni»caena fides exclusa videatur, neque praeferendam eam esse sen»tio.» Manifestum ergo est, quod de novo agebatur fidei symbolo.

80. Secundum vero, scilicet, noluisse Synodum Sardicensem, fidem exponere, confirmare, errores vel falsas interpretationes rejicere, est aperte falsum. Nam, praeterquam quod hoc nolle et prohibere esset contra omnem rationem, cum Ariani errores spargerent et fidem ubique falsis argumentis obscurare conarentur, illud ipse Athanasius et Alexandrina Synodus fecerunt in iisdem illis literis Synodicis, in quibus tabellae spuriae improbantur: Eusebius, qui subscripsit, deinde tradidit Confessionem de *Fide Trinitatis* (1), fidem exponens, defendens et plures solvens difficultates. Praeterea ipsum Sardicense Conc., in literis synodicis ad Julium Rom. Pontificem, testatur, *ante omnia de sanctae integritate veritatis* egisse: «universa, ajunt, quae »acta, quae constituta sunt, et chartae continent, et vivae voces »charissimorum... nostrorum Archidami etc. exponere poterunt.»

(1) Migne, t. 12, p. 959.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

81. Oportet igitur stare testimonio Theodoreti, Sozomeni, Vigilii ep. Tapsen. *(contr. Eutich.* l. 5), qui literas illas synodales Conc. Sardicensis, cum omnibus spectantibus ad fidei confirmationem et declarationem et errorum reprobationem, ut veras et genuinas tradidere. Pretiosum ejusmodi et antiquissimum documentum, ab illo generali Concilio, quod Nicaeni pars et complementum reputatur, traditum, magno est doctrinae theologicae subsidio, praecipue in his, quae ad divinam Trinitatem et Incarnationis mysterium referuntur.

THESIS X.

Spiritus Sanctus, seu tertia in divinis Persona, est verus Deus.

82. **Nota.** Praeter Arianos, qui sicut Filio Dei ita et Spiritui Sancto divinitatem negarunt, Macedoniani, ab haeresiarcha Macedonio seu Pneumatomachi, ab errore suo sic nuncupati, Spiritum S. esse puram creaturam, ore blasphemo, docuerunt.

Prob. 1.° Ex symb. fidei Conc. Const. I. «Credo in Spiritum »Sanctum, Dominum, et vivificantem, qui cum Patre et Filio si»mul adoratur et conglorificatur.» Et in Syn. Rom. sub Damaso, Can. 3: «Anatematizamus Arium atque Eunomium, qui, »pari impietate, Filium et Spiritum S. asserunt esse creaturas.» Et can. 16: «Si quis non dixerit, Spiritum Sanctum esse verum Deum. »A. S.»

83. 2.° S. Petrus (1) dixit: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Perspicuum est, non potuisse id a Petro dici cum aliqua exaggeratione, cum Deus subito mendacium morte subita punierit, ideoque, quasi sententiam proferens, judicaverit Petrus Ananiam.

Insuper; dixit Paulus (2): *Divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus... Haec autem omnia operatur unus idemque Spiritus, dividens singulis prout vult.*

Item: qui loquebatur in prophetis erat Deus; *Olim Deus loquens patribus in prophetis.* (3). Jam vero fuisse Spiritum Sanctum loquentem in prophetis, docet Petrus (4): *Spiritu Sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Sp. Sancto.*

84. 3.° Aequali honore dignus est Spiritus S. cum Patre et Filio: ergo est verus Deus. *Ant.* pr. a) Ex forma baptismi: *Baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Sp. Sancti.* b) Non solum Pater

(1) Act. V, 3. —(2) I Cor. XII, 6, 11.—(3) Hebr. I, 1.—(4) II Petr. I, 21.

et Filius (1), sed etiam Spiritus S. tamquam in templo habitat in nobis et honoratur (2): *An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti? Glorificate et portate Deum in corpore vestro.* Atqui templum habere et in eo glorificari est Dei proprium. c) Difficilius dimittitur blasphemia in Spiritum S., quam in Christum: ergo non minori honore ac reverentia dignus existit.

85. 4.° Augustinus ait (3): «Spiritus Sanctus, quod cum »magno honore de Deo dictum est, non in manufactis templis ha»bitat, sed corpus nostrum templum est Spiritus Sancti. Et ne cor»pora nostra contemnas, membra sunt Christi. Qualis ergo Deus, »cui templum aedificatur, et a Deo, et de membris Dei?»

S. Basilius (4): «Templum autem omne Dei templum est; »quod si templum sumus Spiritus Sancti, Spiritus Sanctus Deus est.» S. Cyrillus (5): «Natura et essentia Spiritus Sanctus »Deus est, quoniam qui ipsum suscipiunt, dii per gratiam efficiuntur.» Gregorius Thaumat. (6): «Unus Spiritus Sanctus, »imago Filii perfecti perfecta, sanctitas, sanctificationis suppedi»tator. In quo manifestatur Deus Pater et Deus Filius... Trinitas »perfecta, quae gloria et aeternitate, ac regno atque imperio non »dividitur, neque abalienatur. Non igitur creatum quid aut ser»vum in Trinitate.» Alii Patres libros ediderunt ut divinitatem Sp. Sancti adversos haereticos defenderent; uti Athanasius, Basilius, Gregorius Nys., Ambrosius. Dydimus Alex. cujus librum *de Sp. Sancto* vertit Hieronymus, etc.

86. Objic. 1.° Apud Amos (7) dicitur Deus; *creans* Spiritum: ergo Spiritus non est Deus. Resp. Non agitur ibi de Sp. Sancto, sed de vento, uti et in Vulgata legitur.

Inst. *Omnia per ipsum* (Verbum) *facta sunt* (8): Ergo et Spiritus S. est factus. Resp. Dist. *maj.* Omnia, quae facta sunt, per Verbum facta sunt; conc. Illa etiam, quae non sunt facta, ut Pater et Sp. S.; nego. Hic est sensus verborum Joannis, ut ex contextu patet.

Objic. 2.° Ait Paulus (9): *Spiritus prophetarum prophetis subjecti sunt.* Ergo nequit esse Deus Spiritus Sanctus in prophetis loquens. Resp. explico *antec.* Animi inspirati prophetarum; conc. *ant.* Ipse Spiritus S., animos inspirans prophetarum, est iis subjectus; nego.

87. Objic. 3.° Scriptura passim solum Patrem Deum appellat, ut distinctum a Filio et Sp. Sancto; Ecclesia in suis precibus ad Deum Patrem deprecatur, ut in priscis liturgiis patet, non vero ad Sp. Sanctum. Ergo non videtur esse Deus.

(1) Jo. XIV, 23.—(2) 1 Cor. VI, 19, 20.—(3) *Contr. Maximin.* l. 2, c. 3.—(4) Epist. 8, n. 11.— (5) *Thesaur.* l. 13, c. 1.— (6) *Exposit fidei.*— (7) IV, 13.—(8) Jo. I, 3.— (9) 1 Cor. XIV, 32.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. Dist, seu explico. Id praestat S. Scriptura et Ecclesia per *appropriationem*, quatenus Pater fons est divinitatis, neque missus fuit ut Filius ad redimendum, et Sp. Sanctus ad sanctificandum; conc. Quasi proprietatem deitatis solus habeat Pater; nego. Ut igitur varia fidei mysteria nobis simul exhiberentur, usa est S. Scriptura et ipsa Ecclesia ejusmodi loquendi oeconomia.

Objic. 4.° In SS. Literis non raro et angeli et homines dicuntur dii: ergo ex illis nihil pro divinitate Sp. Sancti concludi potest.

Resp. Dist. *ant.* Dicuntur dii cum aliqua exceptione, quae explicite vel ex contextu elucet; conc. Sic dicitur de Moyse, constitui a Deo in deum Pharaonis. Modo absoluto vocantur dii, ita ut, in eodem ordine cum Deo exhibeantur; nego.

ARTICULUS II.

Unitas essentiae Personarum divinarum.

THESIS XI.

Pater, Filius et Spiritus S. sunt consubstantiales, seu unius ejusdemque substantiae.

88. **Nota**: thesis est de fide catholica saepe definita.

Prob. I.° Syn. oecumen V. can. I. «Si quis non confitetur »Patris et Filii et Sp. Sancti unam naturam sive essentiam, unam »virtutem et potestatem, Trinitatem consubstantialem, unam dei»tatem in tribus subsistentiis, sive personis adorandam; talis A. S.»

Damasus Pp. cum Syn. Rom. (a. 378) definivit: «Haec »ergo est salus Christianorum, ut credentes Trinitati, id est, Patri »et Filio et Spiritui Sancto, in ea veram, solamque unam divinita»tem et potentiam ac majestatem et substantiam eamdem sine du»bio credamus, ut aeternam attingere mereamur vitam.»

89. II.° Ex Scriptura. a) Inter Patrem et Filium.

1.° *Ego et Pater unum sumus* (1). Ita arguimus cum Chrysostomo (2): «Quare unum esse vi saltem et potestate profiteri debet; »nam de ea sermo erat. Si eadem et una est virtus amborum, eadem »quoque est substantia:» ergo consubstantialis est Filius Patri.

Sermonem autem ibi esse de potestate ac virtute, patet evidenter ex contextu: ut enim probaret Christus eamdem se habere cum Patre potestatem, dixit: *Ego et Pater unum sumus*. Athanasius (3)

(1) Jo X, 30. –(2) Homil. 61, in Jo.–(3) Orat. 3, *contr. Arian.* n. 55.

inde arguebat: «Plane impudentes et impii admodum esse mihi vi»dentur Christi adversarii, qui nimirum ubi audierint, *Ego et Pa»ter unum sumus*, sensum verborum adulterare, et Patris ac Filii »unitatem dividere totis conantur viribus... Atqui aequum fuisset »illos ex his verbis, *Ego et Pater unum sumus*, unam divinitatem »et naturae Patris proprietatem percipere.»

2.° Verbum est *verus Dei Filius;* (1): *Unigenitus Patris* (2): atqui, ut arguit Gregorius Naziaz. (3), «Haec geniti natura »est, ut idem, si naturam spectes, sit cum eo, qui genuit.»

3.° *Omnia quaecumque habet Pater mea sunt* (4). Sed id repugnaret, nisi Patri esset Filius consubstantialis: inde etiam arguebat Nazianzenus (5): «Nihil ergo peculiare, quia communia om»nia, quandoquidem ipsum quoque esse commune atque aequale »est ipsi cum Patre, licet alioqui hoc a Patre Filius habeat.»

4.° *Pater meus usque modo operatur, et ego operor*. Sed nisi opesset Patri aequalis et consubstantialis non posset eodem modo rari. Judaei autem haec audientes voluerunt Jesum lapidare, quod se aequalem Deo faceret: et Jesus quidem non negavit, imo confirmavit dicens: *Quaecumque enim fecerit, haec et Filius similiter facit... et omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* (6). Atqui absurdum id blasphemumque foret, nisi Patri esset consubstantialis: ergo est vere consubstantialis. Athanasius (7) etiam ex hoc testimonio ajebat: «Ex »his igitur una Trinitatis efficientia esse ostenditur.»

90. b) Consubstantialis est Spiritus S. Patri et Filio.

1.° Spiritus S. est Spiritus Dei, Spiritus Filii Dei, ut ex cap. I constat: atqui non minus pertinet ad Dei substantiam Spiritus Dei, quam Filius Dei; ergo si Filius est consubstantialis, et pariter Sp. Sanctus. Nazianzenus ait (8): «Si unum dejicis, audax hoc di»cam, ne duo quidem superiori loco colloces.»

Sic et Athanasius (9): Sicut igitur spiritus hominis ab hu»manitate ejus et substantia non est segregatus; sic et Spiritus Dei »a divinitate ejus et substantia non est alienus.»

2.° *Idem Deus, qui operatur omnia in omnibus* (10). Atqui Pater et Filius et Spiritus S. sunt Deus, ut probatum fuit, et operantur omnia in omnibus: ergo sunt idem Deus, seu, sunt consubstantiales. *Min.* prob. Patrem et Filium operari omnia, dictum est in prob. 4.ª Quoad Spiritum S. testatur Apostolus (11): *Haec omnia operatur*

(1) I Jo. V. 20.— (2) Ibid. IV, 9.— (3) Orat. 29. 8. — (4) Jo. XVI, 15.— (5) Orat. 30, 11.— (6) Jo. V, 17, 19, 22, 23.— (7) Ep. ad Serap. n. 31. — (8) Or. 31, 4.— (9) *De Incarn. contr. Arian.* - (10) I Cor. XII, 6.—(11) Ibid. 11.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

unus atque idem Spiritus dividens singulis prout vult. Sic, quidem, argumentabatur Athanasius (1): «Vides opera, quaePatris sunt, »ipsa Filii, eadem quoque Spiritus Sancti.»

91. c) Tres Personae sunt consubstantiales.

1.° *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* (2). Ex quibus arguimus; ad remissionem peccatorum et salutem aeternam conferendam eadem est auctoritas Patris et Filii et Spiritus Sancti. Sed hoc impossibile foret, nisi essent consubstantiales: ergo tres Personae sunt consubstantiales. Confirm. Eamdem fidem, spem et charitatem habere nos oportet in Patrem, Filium et Spiritum Sanctum. Sed non ita esset, nisi forent ejusdem naturae et substantiae: ergo. Ad rem Hieronymus (3): «Bapti»zantur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, ut quorum una »est divinitas, una sit largitio: nomenque Trinitatis unus Deus »est.» Et Phebadius (4), eadem expendens verba: «Haec est per»fecta Trinitas in unitate consistens, quam scilicet unius substan»tiae profitemur.» Athanasius autem (5): «Indivisa est Trini»tas, et una ejus Divinitas; et unus Deus super omnia, per omnia »et in omnibus. Haec est catholicae Ecclesiae fides. In Trinitate »enim ipsam fundavit Dominus, qui ait discipulis: *Euntes docete »omnes gentes, baptizantes eos in nomine...* Quod si Spiritus Sanctus »creatura esset non eum cum Patre copulasset; ne Trinitas sibi ipsi »dissimilis esset, si extraneum quidpiam et alienum ipsi adjunge»retur. Quid enim Deo deerat, ut quicquam diversae substantiae »assumeret et cum illo glorificaretur?»

92. 2.° *Tres sunt qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt;... Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est* (6) Jam vero, si non essent tres Personae unius essentiae, sicut dixit Joannes, *testimonium hominum*, ita dixisset, *Deorum*.

Ad rem Augustinus (7): «Deus itaque summus et verus cum »Verbo suo et Spiritu Sancto, quae tria unum sunt, Deus unus omnipotens.» Et iterum: «Hi sunt tres testes; et tres unum sunt: quia »unius substantiae sunt.»

Cyprianus autem dicit, agi a Joanne de unitate, quae spectat ad *divinam firmitatem*, seu immutabilitatem: jam vero si Pater, Verbum et Spiritus S., tum secundum personas, tum secundum naturas sunt tres, nulla super est unitas vere divina, firma et im-

(1) De *Incarn. contra Arian.* n. 14.—(2) Matth. XXVIII, 19.—(3) In Matth.—(4) *De fide orth. contr. Arian.*—(5) Ep. 3. *ad Serap.*—(6) 1 Jo. V, 7-9.—(7) *De Trinit.* l. 5, c. 1. Et *contr. Maximin.* l. 2, c. 22.

mutabilis: «Dicit Dominus: *ego et Pater unum sumus*. Et iterum de »Patre et Filio et Spiritu Sancto scriptum est: *et hi tres unum sunt*. »Et quisquam credit hanc unitatem, de divina firmitate venientem, »sacramentis coelestibus cohaerentem, scindi in Ecclesia posse?» (1).

93. 3.° Praeter laudatos PP., unitatem consubstantialem docuerunt: S. Hippolytus m. (2): «Aliter Deum unum intelligere »non possumus, nisi vere Patri et Filio et Spiritui Sancto credamus.» Eustathius ep. Antioch. in allocutione ad Constant. Imper. ait (3): «Pater glorificatur: Filius simul adoratur: annun»tiatur Spiritus Sanctus: Trinitas consubstantialis, una divinitas in »tribus personis.» Tertullianus (4): Patrem et Filium et Spi»ritum Sanctum. Tres autem non statu, sed gradu; nec substantia, »sed forma; nec potestate, sed specie: unius autem substantiae, »unius status, et unius potestatis: quia unus Deus.» Alios apud Petavium videbis.

94. 4.° Argumentum ex ratione theologica est evidens: si enim non essent Pater, Filius et Spiritus Sanctus ejusdem naturae, vel non essent singuli verus Deus, vel essent plures dii. Atqui tum fidei tum rationi id adversatur: ergo unius et ejusdem debent esse naturae.

95. Objic. 1.° Christus postulavit pro discipulis: *Ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me et ego in te* (5). Ergo unitas Filii cum Patre est moralis. Resp. Dist. *conseq*. Est moralis tantum; nego. Est etiam moralis; conc. Christus *ut homo* unitatem moralem charitatis, quam nobis communem esse vult, cum Patre habet.

96. Objic. 2.° Joannes quoque dixit: *Spiritus, aqua et sanguis; et hi tres unum sunt*. Sed non sunt unum in natura, sed in significatione vel testimonio tantum; ergo neque Personae divinae sunt unius naturae.

Resp. Dist. *min:* Non sunt unum in natura, si sejunctim spectentur; conc. *min*. Prout sunt in Christo; nego *min:* constituunt enim naturam humanam Christi. Sic interpretatur Augustinus in Speculo, cap. II (6): «Quoniam tres sunt, qui testimoniunt dicunt »in terra, Spiritus, aqua, et sanguis, et *hi tres unum sunt* in Chris»to Jesu.» Hic respectus, seu ordo, horum trium ad humanam Christi naturam, clarius significatur per plura exemplaria graeca dicentia: *hi tres in unum sunt*.

97. Objic. 3.° Ante Nicaenum, Patres conc. Antiocheni vocem ὁμοούσιος reprobarunt; item PP. Conc. Ariminensis, post Nicaenum, rejiciendam censuerunt.

(1) *De Unit. Ecclae.* n. 3.—(2) Bibl. PP. t. 2, p: 462.—(3) Bibl. PP. t. 4. p. 583. — (4) *Adver. Prax.* c. 2. — (5) Jo. XVII, 21. — (6) Vide Card. Maï, Nova Bibl. PP. t. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. Dist. PP. Antiocheni improbarunt in sensu Pauli Samosateni, quatenus distinctionem Personarum excludebat; conc. In sensu catholico; nego, Patres autem Ariminenses eam rejecerunt non errore doctrinae, sed errore facti: putarunt enim pacem cum Arianis fieri potuisse,vocem tantum praetermittentes, sed eumdem sensum omnes retinentes et eamdem fidem Nicaenam profitentes, ut dolose mentiebantur Ariani. Cognita autem fraude, poenituit facti Patres Ariminenses.

Objic. 4.° Ambrosius (1) docet; Deum nec unicum, nec singularem dici debere: ergo consubstantialitas divinarum Personarum saltem non est individua et realis, sed rationis tantum.

Resp. Dist. Id docet Ambrosius, aliique Patres, quatenus *unicus* et *singularis* significat solitudinem, seu excludit numerum personarum; conc. *ant.* Quatenus significat unitatem naturae; nego. Ipse Ambrosius mentem suam explicavit: «Singulari»tas ad personam pertinet, unitas ad naturam.»

SCHOLION.

98. Argumentum ex v. 7, c. V, ep. 1, S. Joannis infirmum aliquibus visum est criticis, quod in graecis, qui superstites sunt, antiquis codicibus nec non orientalibus versionibus, non legatur versiculus ille. Imo neque Patres graeci eo testimonio adversus Arianos usi sunt.

Verum respondemus, parvi facienda argumenta negativa, cum positiva iis opponuntur.

99. 1.° Cassiodorus, an. 557 scribens, vir eruditissimus, qui magna diligentia priscos consulebat S. Scripturae codices, quosque in ea remotissima aetate, et Romae morans, longe facilius, quam recentiores critici, prae manibus habere poterat, legebat versiculum, *Tres sunt... Pater, Verbum*, etc. atque ita illum interpretatur: «In coelo autem (testificantur) Pater, et Filius et Spiritus »Sanctus; et hi tres unus Deus.»

2.° Fulgentius, an. 468 natus, graece latineque ab adolescentia valde eruditus, quique multa scripsit de rebus fidei opera, non tantum v. 7. legebat, sed et S. Cyprianum legisse testatur. (Resp. *contr. object. Arian.*; Resp. ult.)

3.° Augustinus saepe usus est hoc Joannis testimonio. (De *Civit. Dei*, l. 5, c. 11, etc.)

4.° Phebadius, (in lib. *contr. Arianos*, c. 45) meminit etiam

(1) *De fide*, c. 1 et 2.

hujus versiculi. De Cypriano autem jam diximus, et testatur S. Fulgentius, ut notatum est.

5.° Origenes, in ps. 122, ait: «Haec autem tria (Pater, Filius, et Sp. Sanctus) Dominus Deus noster, siquidem *tres unum sunt.*»

100. 6.° Tertullianus, ait: «Ita connexus Patris in Filio, et Filii in Paracleto, tres efficit cohaerentes, alterum ex altero, *qui tres unum sint*, non unus.» (lib. *contr. Prax.* c. 25).

Ut autem vim perspicias hujus sententiae, nota; *Tertullianum* ibi intendere distinctionem trium Personarum defendere adversus Praxeam. Quare ergo haec profert verba; *qui tres unum sint*? Quid hoc confert ad distinctionem Personarum suadendam? Scilicet, explicat in eo libro ea S. Scripturae testimonia, quibus Praxeas Personarum confusionem suadere conabatur.

101. 7.° Aliis praetermissis Patrum testimoniis, Notam adjiciam Cardinalis Maï, (in Nova Biblioth. PP. tom. 1; ad cap. 11, Specul. S. Augustini). «Concil IV. Lateran. itemque plurimi latini »codices, ac nonnulli graeci seu libri, seu codices, itemque arme»niaci saltem duo vel tres, hanc versiculi septimi auctoritatem »continent: quum hunc, inquam, versiculum famigeratae reti»neant graecae editiones, complutensis, H. Stephani, Waltoni in »Polyglottis, londinensis Danielis Κριτικώτατα Millii et Westenii, et »ipsa italica Joannis Adeodati; quae omnia quamlibet codi»cum graecorum penuriam abunde compensant.»

102. Unde ad oppositas rationes dicimus, nihil esse nisi negativa argumenta, ideoque positivis comparata nihil conficiunt. In prioribus aliquibus exemplaribus ab originali desumptis, Scriptorum incuria, omissus est v. 7. quia hic simile initium, et similem finem cum 8. v. exhibebat. Quam facillime id accidat exscribentibus quotidiana docet experientia. Inde intelligitur, quod Patres graeci eo non usi fuerint minus certo testimonio, quodque paulatim exulaverit a graecis codicibus, et a multis latinis; tum quia haeresis ariana plurimis annis, in Oriente et in Occidente, grassata est; tum quia similitudo versiculorum errandi semper praebebat occasionem; tum quia, post quam coepit dubitari, minor quoque adhiberetur in eodem scribendo cura. Denique aliae orientales versione factae fuere, cum in multis exemplaribus graecis v. 7 exulabat.

THESIS XI.

Consubstantialitas divinarum personarum est unius realis et individuae substantiae.

103. **Nota.** Rationes pro thesi praecedenti expositae unitatem substantiae realem et individuam suadent. Tamen quia nonnulli haere-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tici, ut Tritheitae, naturam ratione tantum unam, reapse autem trinam, intellexerunt; paucis, hanc naturae unitatem esse realem et individuam declarabimus. Hos haereticos secutum fuisse Joachimum Abbatem, saltem quoad imprudentem loquendi modum, docet Lateran. IV, c. *Damnamus:* «Unitatem hujusmodi non »veram et propriam, sed quasi collectivam et similitudinariam esse »fatetur: quemadmodum dicuntur multi homines unus populus...»

104. I. Ex sacris Scripturis. Prob. 1.° *Omnia quaecumque habet Pater mea sunt* (1). Sed id impossibile foret. si distinctam realiter haberet Filius essentiam: ergo eamdem habet. Confirm. Id Christus dixit, ut hoc ostenderet: *Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis*, nempe Spiritus Sanctus. Atqui nisi illa consubstantialitas cum Patre esset realis et individua, nullatenus sequeretur quod etiam a Filio processerit Spiritus Sanctus: ergo unam et individuam cum Patre habet naturam.

2.° *Pater meus usque modo operatur et ego operor... Non potest Filius a se facere quidquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quaecumque enim ille fecerit, haec et Filius similiter facit* (2). Unde: aut Filius est dependens et inferior Patre, aut est ejusdem numero substantiae. Sed primum repugnat aequalitati et unitati specificae: ergo secundum tenendum.

Quoad Spiritum Sanctum, patet 1.° Quia est aequalis Patri et Filio: ergo habet eamdem identitatem cum Filio, quam habet Pater, et vicissim.

2.° *Quae sunt Dei nemo cognovit nisi Spiritus Dei* (3). Sed id falsum esset si haberet essentiam numero distinctam a Patre et Filio: ergo eamdem habet et individuam.

3.° Spiritus Sanctus operatur etiam, et quidem independenter, omnia: ergo quod dictum est de Filio, et de Spiritu Sancto dicendum.

105. II. Ex Ecclesiae doctrina.

1.° Conc. Later. IV. c. *damnamus*. «Credimus et confite»mur, quod una quaedam summa res est, quae veraciter est Pater »et Filius et Spiritus Sanctus... Quaelibet trium Personarum est illa »res, videlicet substantia, essentia seu natura, quae sola est uni»versorum principium... ut distinctio sit in Personis, et unitas in »natura.» Patet naturae abstractae et communi haec non posse convenire, sed individuae tantum.

106. Gregor. Nyssen. (4): «Natura una est, ipsa secum uni»ta, penitusque ac prorsus unitas individua est... quae non una

(1) Jo. XVI, 15.—(2) Ibid. V, 17, 19.—(3) I Cor. II, 11.—(4) Lib. ad Ablad. *Quod non sint tres dii.*

»cum singularibus, qui ejus participes sunt, dividitur.» Et Gregorius Nazianz. (1): «Simplex Dei essentia, individua, unius»que modi.» Athanasius (2): «Itaque Trinitas sancta et perfec»ta est, quae in Patre et Filio et Spiritu Sancto agnoscitur... tota »creandi et efficiendi vi predita est: sibi quoque similis et indivi»dua naturâ, unaque est ejus efficacia, ἐνέργεια... Trinitas non no»mine tenus et sola verborum specie est Trinitas, sed vere et reipsa »existit Trinitas... Nec his minus aliquid sentit Catholica Ecclesia, »ne hodiernos Judaeos et Sabellium sequatur; nec his item plus »aliquid comminiscitur, ne in multitudinem deorum gentilium de»volvatur.» Inferius autem ait etiam: «Quod si Trinitas sit, uti re »ipsa est, quae quidem, ut ostendimus, individua nec dissimilis »est, necesse est unam ejus esse sanctitatem, unam aeternitatem, »immutabilemque naturam.. Sancta Trinitas, quae eadem in se ip»sa est, et secum ipsa conjuncta est, nihil in se rerum factarum »habet: haecque Trinitatis unitas individua est, unaque in eamdem »fides est.» Deinde: «Non ergo extrinsecus accersita est haec nostra »doctrina: sed ipse Dominus Jesus Christus per se ipsum docuit, »quam perfecta et absoluta sit Sancta Trinitas, eamque individuam »ac unam divinitatem existere.»

107. III. Ratione suadetur. Si realiter et numerice distinctam haberent Personae naturam, vere et proprie tres essent dii. Sed unum Deum ex SS. Literis, symbolis, et universa traditione credere debemus: ergo consubstantialitas est unius, realis et individuae substantiae.

108. Objic. 1.° Plerique Patres constituunt ordinem originis inter essentiam Patris et essentiam Filii. Sic etiam conc. Tolet. XV. in professione fidei, ait: «Filius Dei de essentia Patris natus est, »essentia de essentia, sicut natura de natura, et substantia de subs»tantia.»

Resp. Dist. seu explico: ejusmodi dicunt Patres ut significent originem Filii a Patre, et communicationem ejusdem essentiae: conc. Ut velint productionem et originem essentiae Filii distinctae ab essentia Patris; nego. Hic est verus illarum locutionum sensus; unde ait Toletanum: «Quamvis secundum essentiam Pater vo»luntas, Filius voluntas, et Spiritus S. voluntas, non tamen secun»dum relativum unus esse credendus est... Quia quibus est unum »esse in Deitatis natura, his est in personarum distinctione specia»lis proprietas.»

109. Objic. 2.° Patres unitatem in natura divinarum Personarum comparant unitati specificae quae inter homines existit: ergo Per-

(1) Or. 45.—(2) Epist. *ad Serap.* n. 28, 30, 33.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sonae divinae non sunt ejusdem naturae individuae. *Ant.* patet. S. Cyrillus (1) ait; filium Abrahae potuisse quoque dicere, quod Christus dixit: «qui videt me, videt et Patrem meum.» Nyssenus (2): «Petrus et Jacobus et Joannes cum in una »sint humana natura, tres homines dicuntur. Quo pacto... tres hy»postases confitentes, et nullam in eis circa naturam differentiam »agnoscentes, adversamur quodammodo confessioni, unam quidem »deitatem Patris et Filii et Spiritus Sancti dicentes, tres autem Deos »dicere vetantes.» Ad hoc respondet: «Secundum exactiorem ratio»nem homo quoque unus proprie dici posset;» ideoque unum quoque Deum dicendum.

110. Resp. Dist. *ant.* Comparant unitati humanae naturae, quia putent esse ejusdem rationis; nego *ant.* Ut aliquam saltem remotam proferant similitudinem; conc.

Nam Cyrillus ait: «Sibi soli supremam similitudinem, imo »identitatem attribuit dicens: *qui videt me, videt et Patrem meum.* »Et statim subjicit: *credite quia ego in Patre, et Pater in me est.* »Ubi enim summa identitas est, quomodo alius in alio non erit? «Jam vero, quis non videt unitatem solius rationis non esse *sum»mam identitatem?* Item Nyssenus ait: «In hominibus, quidem, »quandoquidem discreta cujusque est actio et operatio, proprie »multi nominantur. At in divina natura non ita didicimus, quod »Pater faciat aliquid per se solus, quod Filius non una cum eo ca»pessat: aut Filius rursus peculiariter aliquid operetur absque Spi»ritu.» Inferius autem: «Quoniam omnem circa essentiam diversi»tatem rejicit divina, simplex, et variari alterarive nescia natura, »ut una sit, multitudinis significationem in sese non admittit.»

111. Objic. 3.° Nequeunt inter se divinae distingui Personae, quin ea distinguantur et multiplicentur, quae constituunt personam. Atqui natura est de essentia, seu constitutione personae; ad hujus enim spectat definitionem: ergo plures quoque distingui debent naturae.

Resp. Dist. *min.* Natura spectat ad definitionem personae, in recto; nego *min.* In obliquo; conc. Directe constituit personam *subsistentia individua:* si igitur sint plures subsistentiae, et personae plures erunt; licet natura, quam indirecte praesefert, una tantum existat.

112. Objic. 4.° Si una et simplex realis essentia est in tribus Personis, iisque identificatur, erunt in Deo contradictiones. Nam primum, a) essentia identificatur cum Patre, et non identificatur; cum sit idem cum Filio, qui nequit cum Patre identificari. Deinde, b)

(1) In Jo. l. 9, c. 40.—(2) Lib. *ad. Ablad.*

essentia communicatur Filio et non comunicatur; quia identificatur Patri, qui non potest communicari. c) Essentia generat et non generat; quia Pater generat, et Filius et Spiritus non possunt generare. d) Est essentia tres Personae, et non est; quia nequit Pater esse Filius, et Filius non potest esse Spiritus Sanctus. e) Est quid unum, et non est; quia est idem cum tribus, quibus repugnat esse unum.

113. Resp. Haec est praecipua in hoc mirabili mysterio intrinseca difficultas, ad quam solvendam non eidem acquiescunt Auctores responsioni, ut statim dicemus. Suarezius, expensis singillatim diversis solutionibus, quae adhiberi solent, omnibusque fere improbatis, (1) ait: «Semper tamen manet difficultas, quomodo »possint inter se habere oppositionem, quae distinctionem realem »afferat, si alias sunt omnino idem cum uno tertio. Et ideo in hac »difficultate praemittenda censeo verba Anselmi, (2) ubi hanc »difficultatem attingens, inquit: Si negat tria dici de uno posse, »sicut nos in tribus Personis et uno Deo fatemur, quoniam hoc in »aliis rebus non videt neque in Deo intelligere valet, sustineat »paulisper aliquid, quod ejus intellectus penetrare non possit, in »Deo esse; nec comparet naturam, quae super omnia est libera ab »omni lege et loci, et temporis, et compositionis; et credat aliquid »in ea esse, quod in rebus aliis esse nequeat. Idem fere habet Hi»larius (3), et omnes Patres in hac materia; et D. Thom. »in 1 p. (ubi supra) fatetur, nullum exemplum posse ad hoc afferri »ex creaturis, quod non magis dissimile sit, quam simile.»

114. Ut autem, more scholastico, distinctionem aliquam ad propositam difficultatem adhibeamus, observare oportet cum eodem Suarezio (ibid.): «Si semel concedatur, in re ipsa non esse actua»lem distinctionem inter relationem et essentiam, neque etiam in »re ipsa personalitatem esse proprium modum, quatenus a vera en»titate distingui solet; in aliis solum esse differentiam in locutione, »sive illa distinctio vocetur rationis, sive formalis, sive virtualis, »aut fundamentalis: nam ad hanc distinctionem omnia haec suo »modo concurrunt; et ideo a quolibet illorum denominari potest.»

His positis, distinguo: Si una et simplex realis essentia est in tribus Personis, iisque identificatur *actu* et *virtute,* erunt in Deo contradictiones; conc. Si *virtualiter* autem ab iis distinguatur; nego. Ut enim ex SS. Patribus notat Suarezius, ea quae in creatis vera esse nequeunt sine actuali rerum distinctione, veritatem in divinis assequuntur, propter eminentem perfectionem illius simplicissimae essentiae, quae est virtualiter multiplex. Unde

(1) *De Trinit.* l. 4, c. 3 et 4, n. 15.—(2) Lib. *de Incarn.* c. 6.—(3) *De Trinit.* l. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Bernardus ajebat, apud Suarezium (1): «Nisi omnia unum »in Deo, et cum Deo consideres, habebis multiplicem Deum. Mihi »vero non deest, quid cogitem melius ejusmodi Deo tuo. Quaeres, »quid? Mera simplicitas.» Illa, nempe, summa simplicitas aequivalet, imo superat quamlibet multitudinis praestantiam et efficaciam. Igitur contradictoriae illae affirmationes, «identificari et non iden»tificari,» «communicari et non communicari,» «generare et non »generare,» «esse tres et non esse tres,» «esse unum et non esse unum,» non sunt verae contradictoriae, licet realiter dicantur de simplici essentia: quia affirmatio et negatio attingunt rationes *virtualiter* distinctas.

ARTICULUS III.

Personarum divinarum unitatis et distinctionis mysterium

Quas excogitaverint Auctores de hac re sententias, et quam istae prae se ferant probabilitatem, penitus ignorare theologum minime decet, cum de summo christianae fidei mysterio sermo sit.

§ I.

Distinctio realis rejicitur.

115. Gilbertus Porretanus logicis conceptionibus innixus, et apparentibus territus contradictionibus, distinctionem realem inter divinam naturam et personalitates sibi finxit, et quaternitatem Trinitatis mysterio subrogare voluit. Verum in Conc. Rhemensi, sub Eugenio III, damnata est Gilberti doctrina, quam ipse humiliter retractavit. Item Conc. Later. IV, cap. *Damnamus*, definivit; quaternitatem, seu quatuor res, non esse dicendam in divinis. Praeterea, commune est theologicum effatum, a Conc. Tolet. XI et a Florentino confirmatum, quod «omnia in Trinitate sint unum, ubi non obviat relationis oppositio;» quae sane non intercedit inter essentiam et personalitates.

(1) *De Trinit.* c. 4, n. 10.

§ II.

Durandi opinatio.

116. Unde alii Doctores a praedicto errore declinantes, modalem tantum distinctionem excogitarunt inter naturam et Personas; cujus sententiae fuisse dicitur Durandus. Scilicet, diversos esse modos unius essentiae relationes divinas putavit, ideoque ab illa distingui in re ipsa, distinctione actuali modali: sufficientem esse hanc distinctionem, et necessariam ad ea, quae contradictoria in hoc mysterio videntur, explicanda docuit auctor ille.

117. At vero cum doctrina fidei non cohaerere opinionem hanc facile patet. a) In primis sequeretur personas divinas compositas esse, ex essentia, nempe, et accidente modali. Atqui fides docet Deum esse summe simplicem: ergo quaelibet Persona non est perfecte et vere Deus. b) Deinde illi modi (personalitates), cum sint quid reale, et distinctum ab essentia, et non sint simpliciter ens, sed *entis ens*, sunt consequenter quid imperfectum, ideoque non sunt ens a se: ergo sunt quid effectum. Atqui repugnat in Deo quaevis imperfectio: ergo et modalis distinctio.

c) Conc. Rhemense, sub Eugenio (1), definivit; «in »nullo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, et »Deus divinitas,... nec aliquas omnino res, sive proprietates, sive »relationes, sive singularitates vel unitates dicantur, vel alia hu»jusmodi, adesse Deo, quae non sint Deus.» Atqui si personalitates sunt modi divinitatis, non poterit dici quod sint Deus, sicut motus animalis non est animal; nec poterit dici, quod divinitas sit Deus, et Deus divinitas, quia non est identitas: ergo modalis rejicienda distinctio.

d) Tandem falso asserit Durandus, sufficientem esse suam distinctionem modalem actualem, nisi alium superaddat errorem, scil., Personas ad invicem solum modaliter etiam distingui. Nam juxta principium, quo innixus suam defendit modalem distinctionem, eo modo identificari debent Personae inter se, quo identificantur cum tertio, id est, cum essentia. Atqui cum essentia ita identificantur, juxta ipsum, ut non sint res omnino condistinctae, sed modi tantum ejusdem: ergo inter se non sunt Personae res omnino condistinctae, sed modi solum ab invicem modaliter condistincti: jam vero hoc est haereticum, cum sint vere subsistentes.

(1) Vide supra Disq. V, Thes. XI.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

§ III.

Distinctio scotistica.

118. Scotistae, cum suo magistro, debere solvi, quam versamur, difficultatem existimant per illam suam distinctionem «formalem »ex natura rei.» Dicunt essentiam et relationes divinas esse formalitates ex natura rei actualiter distinctas, id est, independenter a nostris conceptibus. Inde fit ut contraria de illis affirmari possint, quae antecedenter ad nostros conceptus iisdem conveniunt, quin opus sit aliqua rationis distinctione.

119. Haec opinio iisdem fere laborat difficultatibus. a) Primo enim poterit vere negari, «quod divinitas sit Deus» et quod «Deus »sit divinitas:» quia ejusmodi formalitates non sunt idem: eadem ratione dicere licebit «Paternitas non est Deus.» Sed hoc in conc. Rhemensi damnatum est. b) Deinde illae formalitates sunt verum ens, vera realitas: si ergo actualiter et ex natura rei distinguuntur, est vera distinctio realis actualis, et in priores incidimus erroneas sententias. c) Deinde non sufficit haec distinctio formalis ex natura rei.

Nam ea quaeritur distinctio vi cujus, *realiter* et *simpliciter*, licet communicetur natura, non tamen Paternitas; licet idem sit natura et Pater, non sint idem Pater et Filius; etc. Sed id fieri nequit vi distinctionis formalis: ergo non sufficit. *Min.* prob. Eatenus impedit distinctio formalis Paternitatem communicari Filio, identificari cum Filio, quatenus illam distinguit ab essentia. Atqui non distinguit *realiter* et *simpliciter*, sed solum formaliter ex natura rei, Paternitatem ab essentia: ergo vi distinctionis formalis fieri nequit, ut *realiter* et *simpliciter* Paternitas non communicetur nec identificetur cum Filiatione. d) Confirm. Distinctionem formalem ponunt Scotistae, ut vitent hanc contradictionem: Paternitas non est Filiatio: Paternitas est Filiatio. Atqui, non vitatur per talem distinctionem: ergo non sufficit. Prob. *min.* Illa propositio: Paternitas non est Filiatio; est vera in sensu *reali simpliciter*. Sed illa alia: Paternitas est Filiatio; etiam est vera in sensu *reali simpliciter*, posita sola distinctione formali; ergo non vitatur contradictio per talem distinctionem. *Min.* patet. Haec propositio: Paternitas est Filiatio; sequitur ex his: Essentia est Filiatio; Paternitas est Essentia: ergo Paternitas est Filiatio. Atqui posita sola distinctione formali, adhuc remanent praemissae verae in sensu *reali simpliciter:* ergo illa conclusio; Paternitas est Filiatio, est vera etiam in sensu reali simpliciter.

§ IV.

Rationis distinctio.

120. Plures AA., negata qualibet inter essentiam et divinas relationes distinctione reali actuali, dicunt; solam distinctionem rationis ratiocinatae sufficere ad praedictas difficultates enodandas. Communis tamen sententia est hanc solam non sufficere. Aliquas indicabimus rationes.

a) Paternitas distinguitur per rationem ab Essentia, et similiter Omnipotentia. Sed ejusmodi distinctio non sufficit, ut de Essentia vere et realiter affirmetur Omnipotentia, et de Paternitate vere et realiter eadem negetur: ergo neque distinctio rationis ratiocinatae inter Paternitatem et Essentiam sufficit, ut de Essentia vere et realiter affirmetur esse Filiationem, et de Paternitate negetur.

b) Non sufficit distinctio rationis ratiocinatae, si antecedenter ad illam debent esse objective verae propositiones illae: «Essentia est »realiter Filius, Pater non est realiter Filius:» item; «proprietates »absolutae communicantur Personis, relativae non communican»tur:» etiam; «Filiatio producitur, Essentia non producitur;» etc. Atqui ita res se habet; independenter a nostris conceptibus, illa vera sunt, et talia a Deo cognoscuntur, nullusque catholicus dicere potest, quod, nisi intercedat rationis distinctio, quia Essentia est improducta, quidquid idem cum Essentia existat esse improductum, vel quia Filiatio est producta, quidquid idem est cum Filiatione esse productum: ergo non sufficit sola rationis distinctio ad illarum propositionum veritatem.

c) Valet etiam ultimum argumentum adversus Scotum propositum, ut notat Suarez (1).

121. Dices: eodem sensu, quo Essentia est Filiatio, etiam Paternitas est Filiatio, et similiter, eo sensu quo Paternitas non est Filiatio, neque Essentia est Filiatio: ergo ut verae et non contradictoriae existant ejusmodi propositiones, sufficit ad sensum vocum, id est, ad conceptum mentis respicere. *Ant.* prob. Cum dicitur, Essentia est Filiatio, sensus est: essentia est essentialiter, non personaliter, Filiatio. Atqui idem dici potest de Paternitate: Paternitas est essentialiter Filiatio, non personaliter. Item: cum dicitur: Paternitas non est Filiatio; sensus est: Paternitas non est personaliter Filiatio. Atqui idem dici potest de Essentia. Ergo sufficit distinctio per mentis conceptus.

---

(1) De *Trinit.* lib. 4, c. 3, n. 3.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS ® PERTENENCIA AL DEPÓSITO LEGAL DE BIBLIOTECAS

122. Resp. Hoc argumentum, quo Platellus, Harnoldus, et alii, utuntur, confirmat insufficientem esse distinctionem solius rationis ratiocinatae. Nam patet, veritatem ab eo pendere, quod Essentia sumatur secundum *esse essentialiter*, quod convenit ei simpliciter et sine restrictione, vel secundum *esse personaliter;* et è contra, quod Paternitas, sumatur secundum *esse personaliter*, quod convenit ei simpliciter, vel secundum *esse essentialiter*, quod aliter ei convenit. Atqui *esse essentialiter* Essentiae, et *esse personaliter* ejusdem (idem, é contra, dicas de Paternitate) non distinguuntur sola ratione ratiocinata. Ergo haec rationis distinctio non sufficit.

Min. patet. Nam per te, Essentia secundum *esse essentialiter* est idem realiter cum Filio; et secundum *esse personaliter*, distinguitur realiter a Filio. Atqui impossibile est esse *uno modo* aliquid realiter, et non esse *alio modo* illud idem realiter, si illi modi solum ratione nostra distinguantur: ergo praedictum argumentum ostendit, aliquid amplius requiri in hoc mysterio praeter distinctionem rationis ratiocinatae. Et quidem, non aliter constat volitionem in nobis distingui plus quam sola ratione ab intellectione, nisi quia per volitionem *realiter* volumus, non vero per intellectionem: ergo a pari, si Essentia per suum *esse essentialiter* est idem realiter cum Filiatione, non autem est idem realiter per suum *esse personaliter*, major est distinctio inter hoc *duplex esse* Essentiae, quam solae rationis.

§ V.

Distinctio virtualis.

123. Ex dictis facile intelligetur, quare plures gravissimique Doctores, omnem distinctionem realem *actualem* inter Essentiam et relationes respuentes, virtualem, quam supra descripsimus (1), defendunt. Quorum Auctorum nonnullos laudat et sequitur Oviedo (2) dicens: «Distinctionem hanc virtualem, cum summa identi»tate, in Deo constituunt doctissimi et gravissimi Theologi. Illam »expresse docet Cajetanus (1. p. q. 39. a. 1). Eamdem tradit »Valentia (1. p. disp. II, q. 2, punc. 1); P. Molina (q. 28, a. 2, »disp. 5); P. Herr.; P. Zuñiga; P. Tanner; P. Arrubal; »P. Hurtado; P. Arriaga; P. Albiz; et late Aegidius. »His subscribunt fere omnes politiores et acutiores recentes.» Deinde ait ipse Oviedo: «Conceptum objectivum distinctionis vir»tualis, sic explicatum, existimo catholice a nullo posse negari.» Eamdem virtualem distinctionem tuetur Gotti, clarus O. P. theologus, aitque (1) esse *sententiam* communem thomistarum. Eam et defendit P. Jo. Marin S. J. (2), qui dicit plurimorum esse nostrorum doctorum.

(1) N. 30. —(2) Metaph. controv. IV, p. IV, § II.

124. Ut autem magis elucescat quid virtualis ista distinctio praestet, quomodo ab Arriaga exponatur perpendas (3). «Una »est distinctio virtualis, quae et *minima* est, et communiter poni »solet in omnibus causis creatis, quantumvis in se indivisibilibus; »consistit in eo, quod res illa una indivisibilis possit efficere effec»tus, qui in aliis causis minus perfectis requirunt duas vel tres aut »plures entitates... Aliquando haec ponitur etiam ubi non est equi»valentia in ordine ad multas causas, sed praecise ubi est diversi»tas specifica effectuum... Ut eadem potentia visiva, quae sola al»bedinem aut nigredinem videre potest... Aliter potest haec dis»tinctio virtualis explicari in ordine ad diversas res, quibus una »indivisibilis est similis vel dissimilis; sic albedo est similis ni»gredini sub ratione coloris, et dissimilis sub ratione albedinis.»

125. «Altera *major* (distinctio virtualis) difficilius explicatur. Qui»dam opinantur in eo consistere, quod a parte rei, ante operationem »intellectus, dentur in eadem indivisibili entitate duae formalitates »formaliter distinctae. Quae explicatio est satis communis (omnes »Scotistae id tenent, ut diximus), et ob quam alii absolute omnem »distinctionem virtualem, praeter primam paulo ante positam, re»jiciunt. Eam ego non probo, quia omnino puto, propriam esse »distinctionis realis... Ergo duabus formalitatibus a parte rei prae»xistentibus relictis, dicendum est: distinctionem hanc virtualem »consistere praecise in eo, quod eidem indivisibili entitati et forma»liter uni reali, vere tamen et realiter conveniant duo predicata ex »se contradictoria, qualia sunt; produci et non produci, communi»cari et, etc. Dico *contradictoria ex se:* nam respectu ejus rei, in qua »datur talis distinctio virtualis, non sunt formaliter et actu contra»dictoria, hoc est, repugnantia; si enim actu illi conveniunt, ergo »actu non repugnant; at ea repugnantia, quam ex se habent ea »praedicata, hic et nunc tollitur per distinctionem virtualem rei, »supra quam cadunt: sicut enim *currere et non currere* ex se sunt »praedicata contradictoria; si autem cadant supra res distinctas »realiter...» Tandem ait: «Ex dictis hucusque concludo; re ipsa a »nullo è catholicis negari posse distinctionem virtualem maxi»mam, quam proposuimus, inter essentiam divinam et relationem.» Vide quoque Emm. Franzelin defendentem (4) hanc distinctionem virtualem, et Cajetani exponentem rationes et doctrinam.

(1) Tract. 2. *de Deo*, q. IV, § VIII. —(2) Tract. *de Trinit.* d. III, Sec. I, Matrit., 1712. — (3) In 1. p. disp. 42, S. 1.—(4) *De Deo Trino*, Thes. XXI.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

§ VI.

126. Duplici argumento breviter ostendimus, concedendam inter Essentiam et relationes virtualem distinctionem. 1.° Quae contradictorie de relationibus et Essentia dicuntur aliquam exigunt distinctionem. Sed non sufficit distinctio rationis, nec datur realis actualis: necessaria est ergo virtualis.

2.° Inter praedicata realiter identificata, de quibus verificantur duo contradictoria, est distinctio virtualis. Atqui de Essentia et Paternitate realiter identificatis, verificantur praedicata contradictoria: ergo inter illa est virtualis distinctio. *Maj.* patet ex definitione distinctionis virtualis. *Minor* etiam patet ex dictis. De Essentia verum est, esse Filium: de Patre verum est, non esse Filium. Sed esse Filium et non esse Filium sunt praedicata contradictoria: ergo de Patre et Essentia verificantur contradictoria.

3.° Seu paulo aliter; cum de subjecto realiter, virtualiter et ratione eodem, praedicantur contradictorie, seu *affirmative* et *negative*, plura realia praedicata; haec distinguuntur saltem virtualiter inter se. Atqui Essentia et Paternitas praedicantur contradictorie de subjecto realiter, virtualiter et ratione eodem, scilicet, de Filio; Filius est essentia; Filius non est Paternitas; ergo Essentia et Paternitas saltem virtualiter sunt praedicata inter se distincta.

Paucis rem Molina, in loco citato, declarat: «Quaedam re ipsa, »seclusaque operatione intellectus, conveniunt Patri ratione rela»tionis, quae non conveniunt ratione essentiae, et è contrario: ergo »relatio et essentia, quoad ea omnia, perinde se habent in Patre, ac »si formaliter distinguerentur, et quod inde fit, virtute et eminen»ter continent formalem distinctionem.»

127. Objic. 1.° Si datur distinctio virtualis inter Essentiam et Paternitatem, verum est a parte rei quod Essentia non est Paternitas: quia in se, independenter a nostra ratione seu a parte rei virtualiter distinguuntur. Ergo datur saltem distinctio formalis ex natura rei juxta Scotistas.

Resp. Nego assertum. Neque hoc deducitur ex probatione: nam illud, *a parte rei virtualiter* distinguuntur, significat, distinctionem a *parte rei* non esse *actualem;* quod tamen necessarium esset ad asserendum, Essentiam non esse Paternitatem.

128. Objic. 2.° Non tantum virtualiter, sed etiam formaliter datur a parte rei capacitas ad contradictoria: ergo non tantum virtualis, sed et formalis distinctio existit a parte rei. Resp. Nego *consequentiam.* Plus est enim formaliter distingui, quam virtualiter: illud est, unum non esse aliud; istud autem est, habere virtutem quamdam, quasi re vera unum non esset aliud.

Objic. 3.° Minor est distinctio virtualis, quam distinctio formalis ex natura rei. Sed haec non sufficit, ut dictum est, ad veritatem mysterii; ergo neque illa. Resp. Dist. *maj.* Est minor in ratione distinctionis realis actualis; conc. In ratione virtutis distinctionis realis; nego. Illa enim est formalis actualis, nec plus valet: alia habet virtutem distinctionis realis.

ARTICULUS IV.

Utrum insit personis unitas in subsistendo.

THESIS XII.

Essentia divina, vi suae existentiae absolutae et essentialis, non solum existit, sed etiam existit per se; ita ut non indigeat aliquo sustentaculo vel complemento, ut in se et per se existat: proinde essentia divina, vi suae perfectionis absolutae, non solum est *quo* aliquid existit, sed etiam *quod* existit.

129. **Praenotanda.** I. Subsistentia sumi potest in concreto, vel in abstracto: in concreto significat id quod per se existit; in abstracto vero, modum illum, quo res habet ut per se existat, qui dici potest ratio per se existendi. Illud autem *per se existere*, sumitur hic, non quatenus opponitur adhaesioni accidentis, quod est in alio tamquam in subjecto; sed quatenus opponitur termino alicui substantiali, a quo compleatur et terminetur in sua existentia substantiali. Humanitas Christi, ex. gr., est per se, primo modo; nam non est accidens: non vero secundo modo, nam terminatur et completur a Verbo ad existendum per se complete; hoc enim, quod est *esse per se*, non est in ipsa et ex se ipsa completum: è contra in divina essentia.

130. II. In hac perfectione subsistendi, seu existendi per se, duplex elucet ratio: altera positiva et directa; altera negativa et veluti consequens ex prima. Positiva et directa ratio est ille modus seu terminus vel ratio, qua res subsistens constituitur in tali perfectione subsistendi. Negativa et consequens est illa exclusio alterius termini, quo res compleatur in perfectione subsistendi. Haec ratio negativa vocatur incommunicabilitas, quae quidem ab omnibus includitur in definitione personae, in illo verbo *individua*.

131. III. Certum est talem incommunicabilitatem non oriri formaliter ab ipsa natura: nam de natura Divina fide constat, esse communicabilem et subsistere in personis; de natura humana cons-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tat, communicatam fuisse Verbo et in eo subsistere: igitur dicendum est oriri ab aliqua ratione positiva, quae aliquo modo a natura distinguatur. Cum ergo natura divina careat ea positiva ratione, vi cujus sit intrinsece incommunicabilis, quaeritur an ideo etiam careat intrinsece illo ultimo termino et complemento positivo existendi.

132. IV. Notandum est, duplici modo posse unum ens alteri communicari: vel per identitatem, vel sine identitate, id est, per unionem. Prima convenit divinae naturae propter ejus infinitam perfectionem et foecunditatem; non vero convenit divinis personis ad invicem, ut fide constat. Unde incommunicabilitas personae saltem hoc exigit, ut non communicetur alteri personae per identitatem. Altera communicatio quae fit per unionem, si generatim spectetur, non opponitur personae; constat enim Personam Verbi unitam esse humanae naturae: igitur speciatim ea solummodo unio excluditur a persona, qua communicetur alteri, tamquam ultimo termino et complemento suae existentiae.

133. V. Si natura creata habeat hujusmodi ultimum terminum et complementum existendi, eo ipso erit suppositum, vel persona, si sit rationalis; nam illa alia communicabilitas per identitatem, satis evidens est repugnare rebus creatis et finitis.

VI. Constat, ex fide, divinam naturam esse a se existentem absolute: item non dari in divina existentia essentialem aliquam rationem absolutam quae reddat illam omnino incommunicabilem; quia nihil est in Deo absolutum et essentiale quod non sit communicabile tribus personis. Quocirca, si per subsistentiam absolutam intelligamus rationem per se essendi omnino incommunicabiliter, certissimum est non esse in Deo talem absolutam subsistentiam.

134. VII. Quaestio igitur in eo versatur, an existentia divinae naturae habead illud complementum seu perfectionem ultimam per se essendi a proprietatibus relativis, vel ex se ipsa; et consequenter, an divina natura non solum sit communicabilis ut existens, sed etiam ut per se existens; vel è contra, eo ipso quod concipiatur ut per se existens, intelligatur etiam incommunicabilis, et tamquam persona.

135. Prob. 1.° Essentia divina, ut absoluta et ratione distincta a relationibus, est ipsum esse per essentiam infinite perfectum. Ergo includit in suo formali conceptu non solum existere, sed etiam modum per se existendi. *Ant.* patet; nam infinitatem et plenitudinem essendi habent personae ab essentia; relationes autem, vel non sunt perfectiones, ut aliqui dicunt, vel non addunt perfectionem essentiae, utpote eminenter illas continenti.

Prob. igitur *consequentia*. Primo: quia ens infinite perfectum nequit concipi ut incompletum in ratione existendi; nec substantia infinite perfecta ut incompleta in ratione per se existendi. Ergo essentia divina includit existere per se.

Secundo: quia Ens per essentiam infinitum est Deus, et non tantum deitas: ergo est per se perfecte existens; alias non posset nisi abstractum de ea praedicari, sicut de humanitate Christi.

Tertio: quia ille modus in se et per se existendi est perfectio simpliciter simplex; quod concedunt adversarii, et videtur evidens: ergo debet includi formaliter in conceptu entis simpliciter infiniti.

136. Prob. 2.° Concilium Rhemense ait: «Credimus et »confitemur simplicem naturam Divinitatis esse Deum, neque ali»quo sensu catholico posse negari, quin divinitas sit Deus, et Deus »divinitas:» sed in opposita sententia posset aliquo sensu negari quod divinitas sit Deus, sicut quod humanitas Christi sit homo.

Prob. 3.° *Quod dedit mihi Pater majus omnibus est*, ait Dominus. Atqui natura cum personalitate esset quid majus quam ipsa natura, nisi haec perfecte esset per se. Ergo divina natura est per se existens.

137. Objc. 1.° Divina essentia necessario affert secum personalitates: ergo licet ab intrinseco non sit per se, tamen est infinite perfecta.

Resp. Neg. *Conseq.*: nam involveret ab intrinseco aliquam potentialitatem, nec esset actus purus per essentiam.

Objc. 2.° Licet essentia non sit per se, tamen esse per se est commune omnibus personis: ergo haec perfectio dici potest essentialis.

Resp. Neg. *conseq.*: nam essentialia sunt idem numero et re: si autem esse per se convenit tantum personis, haec perfectio erit communis et eadem *ratione* tantum.

138. Objc. 3.° Inde sequetur essentiam esse personam, et dari personam unam essentialem et tres relativas.

Resp. Nego sequelam: nam persona dicit, in primis, modum per se essendi; et hoc, cum significet independentiam et sufficientiam ad existendum, est perfectio simpliciter simplex: dicit etiam talem modum esse incommunicabilem, et hoc non est perfectio simpliciter simplex, nec includitur in essentia divina, imo excluditur ab ejus infinita perfectione et foecunditate.

139. Objc. 4.° Repugnat essentiam subsistentem subsistere iterum personalitatibus; ergo vel illa non est subsistens, vel hae non subsistunt.

Respondent 1.° aliqui. Negatur id repugnare divinae naturae: si namque ei non repugnat terminari duplici personalitate relativa realiter inter se distincta, non est quod ei repugnet terminari duplici subsistentia indistincta.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. 2.° cum P. Suarez: relationes intelliguntur addi tamquam rationes subsistendi, non ipsius naturae primo et per se, sed constituti. Ita concipitur divina persona non quasi constituta ex actu et potentia, ex essentia et subsistentia; sed ut tota actuata et subsistens per se.

140. Obj. 5.° Nusquam actum est apud Patres de illa speciali naturae divinae perfectione *in existendo per se:* ergo inutiliter fingitur.

Resp. 1.° Dist. Nusquam actum est *implicite;* nego. Nam cum naturam perfectissimam, plenam, infinitam praedicabant, et eam perfectionem consequenter ei concedebant, ait Suarez. *Explicite;* subd. Idque urgebat praestare; nego. Quia nemo unquam perfectioni divinae naturae derogare ausus fuerat; concedo.

Resp. 2.° Unde constat talem perfectionem Patres non laudavisse? Quare innumeri PP. graeci naturam dicebant hypostasim? Quare nunc personas, nunc essentiam hypostasim appellabant? Quare latinis substantia et subsistentia synonime personabant? Num quia vim vocis non callebant? Certius et verius judicabis, si existimes perfectionem subsistendi tum in natura, tum in personis Patres perspexisse, et quod inde ambiguitas vocis ortum duxerit. Quis audeat dicere Conc. gen. Nicaen., Sardicense, S. Athanasium, Conc. Alex., non satis perspectam habuisse vocem hypostasis, cum eam naturae vindicabant?

THESIS XIII.

Existentia absoluta et essentialis Dei, quatenus ex plenitudine perfectionis ejus essentia per se existit, dici potest subsistentia, et deitas proinde subsistens.

141. **Nota.** Non esse unam solam, sed tres subsistentias relativas in Trinitate, ex supra dictis patet: utrum autem divinae Personae in una subsistentia essentiali et absoluta conveniant, disputatur ab Auctoribus. Cum D. Thoma, Suarezio, Cajetano, etc. adversus Vazquezium, Ruizium et alios, affirmamus. Posita autem theseos praecedentis veritate, quam quo pacto quis negare possit non video, praesens quaestio nonnisi *de voce* est disputatio, non tamen inanis; multum enim refert in doctrina fidei, maxime in Trinitatis mysterio, quibus utaris terminis.

142. Prob. Ad significandam perfectionem divinae existentiae et essentiae, licet uti eo nomine latino, quo Patres et Doctores latini eadem de causa usi sunt. Atqui usi sunt nomine subsistentiae

ad eam perfectionem significandam: ergo existentia divina est subsistentia, et essentia dici potest subsistens.

Maj. patet: nam de usu vocis latinae circa res dogmaticas non alii, quam Patres et Doctores latini consulendi sunt.

Prob. *min.* S. Hilarius (in Fracm. hist. 2, n. 32), ait: »Essentia enim ex eo quod semper est nuncupatur: quae, quia ex»trinsecus opis ad continendum se nunquam eguerit, et substantia »dicitur; quod intra se, id quod semper est, et in aeternitatis suae »virtute subsistat.» Ac etiam (*de Synod.* n. 12): «Proprie autem »essentia idcirco est dicta, quia semper est. Quae idcirco etiam subs»tantia est; quia res, quae est, necesse est subsistat in sese.»

143. Item Augustinus (de *Trinitate* l. 7, c. 4): «Absurdum »est autem ut substantia relative dicatur: omnis enim res ad se ip»sam subsistit; quanto magis Deus?» Et cap. 6. «Ad se quippe dici»tur persona, non ad Filium vel Sp. Sanctum; sicut ad se dicitur »Deus et magnus et bonus et justus, et si quid aliud hujusmodi.» Jam vero in eo quod persona ad se dicatur, subsistere intelligitur: ergo et Deus subsistit.

S. Hieronymus (in Ep. ad Damasum XIV, alias 57); «Interrogemus, quid tres hypostases posse arbitrentur intelligi? »Tres personas subsistentes ajunt: respondemus nos ita credere. »Non sufficit sensus, ipsum nomen efflagitant: quia nescio quid »veneni in syllabis latet... Tota saecularium literarum schola nihil »aliud hypostasin nisi usian novit. Et quisquam, rogo, ore sacrile»go tres substantias praedicabit? Una est Dei et sola natura, quae »vere est. Id enim quod subsistit non habet aliunde, sed suum est... »Sed quia illa sola natura est perfecta, et in tribus personis Deitas »una subsistit.»

Ex dictis testimoniis elucet, quod plane falsus sit P. Vazquez asserendo, Augustinum et Hieronymum noluisse subsistentiam personarum admittere, atque sensum vocis ignoravisse.

144. S. Isidorus, (*De differentiis rerum*, l. 2, dif. IV) ait: «Inter substantiam et essentiam Dei hoc quidam definierunt: quod »substantia est hoc quod non est ab alio, sed semper ex sese est, »hoc est, propria intra se virtute subsistit. Essentia vero, quia sem»per est, nec incipiens aliquando, nec desinens est.»

Anastasius Bibliot., vir, omnium consensu, apprime eruditus, et utriusque linguae graecae et latinae gnarus, utitur voce *subsistere* ad naturae perfectionem significandam. In translatione Conc. Nicaeni II. ea verba: φυσιν δε πραγμα ανθύπαρκτον... vertit. «Porro »autem naturam fatemur rem per se subsistentem, non indigentem »alio ad sui stabilitatem.»

Anselmus pariter (*in Monologio:* c. 6): «Ergo summa essen–

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»tia, et summe esse, et summe ens, id est, summe existens, sive »summe subsistens, non dissimiliter sibi convenient, quam lux, et »lucere, et lucens.»

Pro coronide sufficiat unum ex innumeris S. Thomae testimoniis (1): «Proprietates absolutae in divinis, ut bonitas et sapien»tia, non opponuntur ad invicem, unde neque realiter distinguun»tur. Quamvis ergo eis conveniat subsistere, non tamen sunt plu»res res subsistentes, quod est esse plures personas.»

145. Objic. 1.° Hieronymus et Augustinus ignorabant vim vocis hypostasis et subsistentiae: unde sicut asserebant naturam subsistere, ita negabant tres subsistentes: Resp. ex dictis constat falso haec asseri, nec sine temeritatis specie tantis Doctoribus ignorantiam imputari.

Objic. 2.° Postquam convenerunt Patres in vocis hypostasis significatione, nunquam subsistentia est de natura dicta. Resp. Iterum falsum est assertum, ut ex laudatis patet testimoniis.

Objic. 3.° Apud graecos jam non licet naturam hypostasim dicere. Resp. Dist. Si vox hypostasis non fuerit plus restricta quam vox subsistentia, nego. Si fuerit plus restricta, permitto. Verum quid de graecis, cum agitur de usu vocis latinae?

146. Objic. 4.° In Conc. Lateranensi, sub Martino V, et ab Imp. Justiniano sumpta est vox subsistentia ad significandas personas; ergo non licet essentiam subsistentem dicere.

Resp. 1.° Etiam Hieronymus dixit personas subsistentes, etiam Anastasius, etiam D. Thomas, etc. Tamen essentiam subsistere non negarunt. Ergo nihil exempla praedicta evincunt.

Resp. 2.° Et prohibuit Concilium essentiam subsistentem dicere; nego. Aliter, concedo.

147. **Nota**: Lateran. Gener. minime adhibuit vocem subsistentiae ad significandas personas: sed tantum vocem apud latinos semper usitatam, personam nempe, et proprietatem personalem. Idem praestiterunt plura Toletana Concilia tum in professionibus fidei, tum in tradenda de *Trinitate* catholica doctrina: eodem modo loquitur Pontifex Leo in suis litteris ad Flavianum Patriarch. Constant., toto acclamante Conc. Chalcedonensi, laudatis. Unde sicut apud graecos vox hypostasis, ita apud latinos vox persona ea, quae in Trinitate plura sunt, proprie significant. Inaniter ergo timent adversarii parituram confusionem subsistentiae vocem, si de natura etiam dicatur: quod si talis subsistentia absoluta esse significetur, ac proinde communicabilis, tunc, neque remotissime, confusionis umbra apparet.

(1) P. 1, q. 30, a 1, ad 2.

CAPUT III.

De iis quae communia sunt divinis Personis.

ARTICULUS I.

De personarum divinarum constitutione.

THESIS XIV.

In Deo sunt verae proprietates constitutivae Personarum.

148. **Nota**. Doctrina haec certa est ac communis adversus paucos theologos, qui eam negarunt, putantes imperfectionem et compositionem significare, quod constituatur aliquid per proprietates.

Prob. 1.° Lateran. IV. (c. *Firmiter)* ait: «Haec sancta Trini»tas secundum communem essentiam una, et secundum persona»les proprietates discreta.»

2.° Ex. PP. vide Athanasium supra (1); Basilius autem ait (2): Cum una sit Deitas, fieri non potest ut propriam Patris aut »Filii notionem assequamur, nisi mentis cogitatu proprietatum ac»cessione distinguantur... Nec ii modi, quibus ejus proprietates in»dicantur, simplicitatis laedent rationem.» Cyrillus etiam (3): «Nihil proprium uni est, quod alteri non insit, excepta solummodo »Patris et Filii appellatione ac re.»

149. 3.° Personae, quae realiter distinguuntur, debent aliquid sibi proprium habere, quod aliis non sit commune. Sed tres personae divinae sunt inter se realiter distinctae: ergo proprietate aliqua gaudent.

Confirm. Habent divinae Personae unam individuam essentiam: ergo ut vere sint plures et realiter distinctae, in singulis aliquid proprium inveniri debet; scil. forma illa, seu quasi forma, qua Pater est Pater, simul cum essentia, constituit Patrem; et similiter aliquid proprium Filium et Spiritum Sanctum constituere oportet.

150. Objic. 1.° Forma constituens est actus rei constitutae: ergo ut realiter constituat, debet forma esse actus realis. Atqui actus realis dari nequit sine compositione reali, quae Deo repugnat: ergo non sunt in Deo verae proprietates constitutivae, sed solum apparenter.

(1) N. 18.—(2) *Adv. Eunom.* l. 2, n. 29.– (3) *Thesaur.* l. 2. c. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»tia, et summe esse, et summe ens, id est, summe existens, sive »summe subsistens, non dissimiliter sibi convenient, quam lux, et »lucere, et lucens.»

Pro coronide sufficiat unum ex innumeris S. Thomae testimoniis (1): «Proprietates absolutae in divinis, ut bonitas et sapien»tia, non opponuntur ad invicem, unde neque realiter distinguun»tur. Quamvis ergo eis conveniat subsistere, non tamen sunt plu»res res subsistentes, quod est esse plures personas.»

145. Objic. 1.° Hieronymus et Augustinus ignorabant vim vocis hypostasis et subsistentiae: unde sicut asserebant naturam subsistere, ita negabant tres subsistentes: Resp. ex dictis constat falso haec asseri, nec sine temeritatis specie tantis Doctoribus ignorantiam imputari.

Objic. 2.° Postquam convenerunt Patres in vocis hypostasis significatione, nunquam subsistentia est de natura dicta. Resp. Iterum falsum est assertum, ut ex laudatis patet testimoniis.

Objic. 3.° Apud graecos jam non licet naturam hypostasim dicere. Resp. Dist. Si vox hypostasis non fuerit plus restricta quam vox subsistentia, nego. Si fuerit plus restricta, permitto. Verum quid de graecis, cum agitur de usu vocis latinae?

146. Objic. 4.° In Conc. Lateranensi, sub Martino V, et ab Imp. Justiniano sumpta est vox subsistentia ad significandas personas; ergo non licet essentiam subsistentem dicere.

Resp. 1.° Etiam Hieronymus dixit personas subsistentes, etiam Anastasius, etiam D. Thomas, etc. Tamen essentiam subsistere non negarunt. Ergo nihil exempla praedicta evincunt.

Resp. 2.° Et prohibuit Concilium essentiam subsistentem dicere; nego. Aliter, concedo.

147. **Nota**: Lateran. Gener. minime adhibuit vocem subsistentiae ad significandas personas: sed tantum vocem apud latinos semper usitatam, personam nempe, et proprietatem personalem. Idem praestiterunt plura Toletana Concilia tum in professionibus fidei, tum in tradenda de *Trinitate* catholica doctrina: eodem modo loquitur Pontifex Leo in suis litteris ad Flavianum Patriarch. Constant., toto acclamante Conc. Chalcedonensi, laudatis. Unde sicut apud graecos vox hypostasis, ita apud latinos vox persona ea, quae in Trinitate plura sunt, proprie significant. Inaniter ergo timent adversarii parituram confusionem subsistentiae vocem, si de natura etiam dicatur: quod si talis subsistentia absoluta esse significetur, ac proinde communicabilis, tunc, neque remotissime, confusionis umbra apparet.

(1) P. 1, q. 30, a 1, ad 2.

CAPUT III.

De iis quae communia sunt divinis Personis.

ARTICULUS I.

De personarum divinarum constitutione.

THESIS XIV.

In Deo sunt verae proprietates constitutivae Personarum.

148. **Nota**. Doctrina haec certa est ac communis adversus paucos theologos, qui eam negarunt, putantes imperfectionem et compositionem significare, quod constituatur aliquid per proprietates.

Prob. 1.° Lateran. IV. (c. *Firmiter)* ait: «Haec sancta Trini»tas secundum communem essentiam una, et secundum persona»les proprietates discreta.»

2.° Ex. PP. vide Athanasium supra (1); Basilius autem ait (2): Cum una sit Deitas, fieri non potest ut propriam Patris aut »Filii notionem assequamur, nisi mentis cogitatu proprietatum ac»cessione distinguantur... Nec ii modi, quibus ejus proprietates in»dicantur, simplicitatis laedent rationem.» Cyrillus etiam (3): «Nihil proprium uni est, quod alteri non insit, excepta solummodo »Patris et Filii appellatione ac re.»

149. 3.° Personae, quae realiter distinguuntur, debent aliquid sibi proprium habere, quod aliis non sit commune. Sed tres personae divinae sunt inter se realiter distinctae: ergo proprietate aliqua gaudent.

Confirm. Habent divinae Personae unam individuam essentiam: ergo ut vere sint plures et realiter distinctae, in singulis aliquid proprium inveniri debet; scil. forma illa, seu quasi forma, qua Pater est Pater, simul cum essentia, constituit Patrem; et similiter aliquid proprium Filium et Spiritum Sanctum constituere oportet.

150. Objic. 1.° Forma constituens est actus rei constitutae: ergo ut realiter constituat, debet forma esse actus realis. Atqui actus realis dari nequit sine compositione reali, quae Deo repugnat: ergo non sunt in Deo verae proprietates constitutivae, sed solum apparenter.

(1) N. 18.—(2) *Adv. Eunom.* l. 2, n. 29.– (3) *Thesaur.* l. 2. c. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. nego *min.* subsump. Nam compositio realis exigit actualiter distinctionem realem; ut autem Persona ex essentia et proprietate realiter constituatur, sufficit ut haec distinctio sit virtualis. «Haec enim distinctio, ait Suarez (1), sufficit ad multa alia, quae »realiter conveniunt ipsis Personis: sicut enim Pater realiter com»municat Filio suam naturam et non communicat Paternitatem; »ergo etiam in re ipsa potest Paternitate constitui, et distingui, et »non natura.»

151. Objic. 2.° Constitutio hominis ex animalitate et rationalitate, est rationis tantum; non quod utrumque non sit quid reale in homine, sed quia ratione tantum distinguuntur, non re. Atqui Paternitas ab essentia distinguitur etiam ratione tantum: ergo reapse Personae divinae non constituuntur proprietatibus, sed ratione tantum.

Resp. Dist. *min.* Distinguitur ratione tantum *actualiter;* concedo *min. Virtualiter;* nego *min.* Ideoque, nego *consequentiam* et paritatem: ut enim ait Suarez (supra); «Haec distinctio virtualis »sufficit ad multa alia, quae realiter conveniunt ipsis Personis.» Si autem distinctio foret rationis tantum, non nisi effectus secundum rationem haberet, non autem reales et objectivos; esse namque cujusvis effectus nequit, perfectione, esse causae superare.

152. Instabis. Qualis est distinctio, talis est constitutio inter proprietatem et Naturam: si ergo distinctio non est actualis, sed virtualis tantum; constitutio etiam solum est virtualis, ideoque actualis constitutio erit per rationem.

Resp. Dist. *antec.* Talis est constitutio quoad modum concipiendi nostrum, id est, ad modum compositionis; conc. Talis est constitutio quoad rem significatam per nostrum concipiendi modum; nego. Deinde dist. *consequens:* Si ergo distinctio est virtualis tantum, id est, si distinctio inter Naturam et proprietatem habet tantum virtutem actualis distinctionis rationis, constitutio erit per rationem; conc. Si habet virtutem distinctionis realis, id est, ad eos effectus, quos haberet distinctio realis, actualis constitutio erit per rationem; nego. Ideo, ait Suarez (2). «Unde fit (quod est maxi»me notandum pro his, quae disputanda sunt) ex vi hujus consti»tutionis convenire divinis Personis, ratione proprietatum, quid»quid convenire solet rei vere ac realiter constitutae, ratione for«mae seu proprietatis constituentis, seclusa tantum distinctione »*actuali in re*, et quacumque alia simili imperfectione. Nam hoc »requiritur, ut vere ac simpliciter dici possint Personae ita consti»tutae; et hoc significant Patres, cum dicunt Personas significari

(1) L. 7, c. 3 n. 7, *de Trinit.*—(2) Ibid. n. 9.

»et constare proprietatibus, et hac etiam ratione tam solliciti sunt »Theologi in declaranda ac defendenda hac constitutione.»

SCHOLIA.

153. I. Ex dictis patet, Personas divinas constitui essentia et proprietate. Quatenus constituuntur proprietatibus, dicuntur et sunt Personae plures, oppositae et distinctae, et ut ait Later. Conc. IV. (c. *Damnamus*), «alius Pater, alius »Filius, alius Spiritus S.» Quatenus vero essentia constituuntur, sunt *unum, idem,* seu, ut idem Concilium dicit: «Non sunt aliud... sed eadem res est Pater et Filius, nec non et Spiritus Sanctus.» Quod patet etiam ex Personae definitione ad quam et natura pertinet.

154. II. Deducimus etiam, adversus Cajetanum et alios, Personas ab invicem distingui formaliter per suas Proprietates: ita Suarez, Scotus, Ruizius, etc. Nam quaelibet res per id distinguitur ab aliis, per quod constituitur: distingui enim nihil aliud est, quam unum non esse aliud: atqui quaelibet res per ipsum suum, quo constituitur, esse, non est aliud esse; quodlibet enim esse est *unum*, seu indistinctum a se et distinctum a quolibet alio. Sic et Nazianzenus (1): «Quid di»citis, qui tres hypostases affertis? An hoc eo dicitis, quod tres es»sentias existimetis?... Quid igitur vobis hypostases volunt, aut »vobis personae? Nimirum tria esse, quae dividuntur, non naturis, »sed proprietatibus. Optime.» Et Nyssenus (2) ait: «Hiposta»seon ratio per eas, quae in unoquoque considerantur, proprietates »dispersionem admittit.»

ARTICULUS II.

De natura Proprietatum, Originum et Notionum.

THESIS XV.

Non constituuntur et distinguuntur divinae Personae proprietatibus absolutis, sed relativis tantum.

155. **Nota**: oppositam doctrinam aliqui AA. erroneam appellant: «Satis est, ait Suarez (3), esse improbabilem et contrariam con»sensui theologorum.»

(1) Orat. 42, n. 16. (Migne).—(2) Ad Abladium, lib. *Quod non tres dii.*—(3) L. 7, c. 5, n. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

1.° Si constituerentur Personae proprietatibus absolutis, in his numerus inveniretur. Atqui hoc falsum est; vide supra (n. 41, prob. 1.°): ergo nequeunt proprietatibus absolutis constitui.

2.° Augustinus (1): «In Deo, ait, non esse nisi substantiam »et relationem; et quidquid ad se et non ad aliud dicitur ad essen»tiam pertinere.» Damascenus (2): «Nos unum agnoscimus »Deum, in solis quidem proprietatibus Paternitatis, Filiationis et »Processionis differentiam intelligentes.» Boetius (3) etiam: «Sola relatio multiplicat Trinitatem.» Illud denique rem confirmat commune effatum ab Eugenio IV confirmatum (4): «Tres Per»sonae sunt unus Deus... omniaque sunt unum, ubi non obviat re»lationis oppositio.» Atqui inter proprietates absolutas non obviat ejusmodi oppositio; ergo solis proprietatibus relativis distinguuntur Personae.

156. 3.° Quod est in Deo et non est relativum, est perfectio simpliciter simplex: ergo proprietates omnes absolutae in Deo sunt essentiales, non personales.

Denique, SS. Litterae divinas Personas nonnisi sub nominibus relativis nobis ostendunt. Sed in tanto mysterio nihil, praeter id quod ex fide elucet, debemus affirmare: ergo relativis tantum constituuntur proprietatibus.

157. Objic. Relatio resultat ex subjecto, fundamento et termino. Ergo relatio Paternitatis supponit Patrem constitutum, similiter et relatio Filii, etc. Resp. dist. *ant.* Relatio accidentalis et creata; conc. Relatio subsistens, ut sunt increatae; nego. «Has relationes, ait »Suarez (4), non supponere extrema, quae referant, nec distinctio»nem eorum, ut resultent; sed ipsas esse, quae referuntur secun»dum rem, ac proinde easdem constituere Personas relatas nostro »modo concipiendi, et consequenter etiam illas distinguere. Et ob »eamdem causam non oportet ut pro termino habeant aliquid abso»lutum, sed se invicem per se primo respicere possunt.»

THESIS XVI.

Proprietates constitutivae Personarum non sunt origines, sed relationes secundum propriam rationem relationis.

158. **Nota** I.° Idem omnino sunt origo et relatio, verum, quia ratione distinguuntur, dubitatur sub qua ratione, originis vel relationis, concipiatur Personarum constitutio. S. Bonaventura putat originibus constitui: S. Thomas, è contra, relationibus.

(1) L. 5, *de Trin.* c. 5.—(2) *De Fide* l. 1, c. 10.—(3) L. 1, *de Trinit.*—(4) Bulla *Cantate Domino*, pro Jacobitis.—(5) L. 7, c. 5, n. 12.

159. II.° Relatio est simul cum termino quem respicit; è contra persona producens est prior termino producto: ergo videtur sequi absurdum, nempe quod persona sit etiam prior propria relatione qua constituitur. Ideo in relatione duas distinguit D. Thomas rationes, unam proprietatis, seu constitutivam, et aliam relationis, seu respectivam. In qua distinctione capienda multam laborant et dissentiunt scholae thomisticae AA.

160. III.° Personas per aliquid constitui et distingui duobus modis dici potest; primo, intrinsece et formaliter; secundo extrinsece et dispositive. Sic voces, seu verba, per se intrinsece et formaliter distinguuntur: a prolatione autem diversa loquentis, seu distincta origine, extrinsece et dispositive. De priori formali constitutione est quaestio: nam quoad posteriorem, fatemur personas distingui originibus.

161. Pars I.ª prob. Generari, spirari, se habent ut via et dispositio ad genitum et spiratum, seu Filium et Spiritum Sanctum; sicut loqui, proferri, est via ad verbum. Atqui personae non sunt aliquid in fieri, in via, et in dispositione, sed aliquid constitutum et in facto esse: ergo non constituuntur per origines. Conf. Id quod supponitur ad personam, nequit esse ejusdem constitutivum formale: atqui origo passiva, generari, spirari, supponitur ad esse geniti et spirati; ergo origo non potest esse constitutivum.

Quoad origines activas, spirare, generare, in primis: a) patet spirare non constituere Patrem et Filium; nam cum sit proprietas communis utrique, sequeretur duas illas Personas intrinsece et formaliter non distingui. Unde neque actus spirandi, neque ipsa relatio spirationis potest constituere quod jam supponitur constitutum per distinctas et personales proprietates. b) Generare autem licet a Paternitate non distinguatur, tamen illam significat per modum actualis influxus, seu viae ad genitum: atqui prior est ratione constitutio seu proprietas influentis, quam ipse influxus; et prior est terminus a quo, quam via ad terminum ad quem; ergo generare non constituit Paternitatem juxta conceptum nostrum.

162. Objic. Illud constituit personam, quod est prius in illa: atqui prius est generare, et gigni, quam referri ad genitum, vel generantem; ergo originibus Personae constituuntur.

Resp. dist. *maj.* Quod est prius in illa complete et permanenter; conc. Per modum viae et influxus; nego.

163. Pars II.ª prob. 1.ª Cum dicitur *relatio*, proprie et per se significatur propria ratio relationis; sicut cum dicitur Christus *homo*, significatur propria et formalis ratio hominis. Atqui ex doctrina certa Patrum et Theologorum, personae divinae constituuntur relationibus: ergo proprietates constitutivae sunt relationes secundum propriam relationis rationem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

2.° Personae divinae constituuntur per id, quod est proprium et reale in ipsarum constitutivis. Atqui relationes constitutivae Personarum sunt reales, secundum ultimam formalem suam rationem (supra. 45); ergo constituunt Personas secundum propriam artionem relationis.

164. 3.° Arguimus cum D. Eximio (1): id quod Personas constituit non habens (ut supponunt) propriam rationem relationis (*esse ad*), vel est quid absolutum, vel relativum, vel praescindens ab utraque. *Relativum* esse nequit, cum careat formali ratione ejus: si est *absolutum*, transeunt ad Scotum, et deserunt Divum Thomam saepe dicentem, personam esse *ipsam relationem* subsistentem (2); si autem est *praescindens*, ergo est quid fictum mente et abstractum, et carent Personae constitutivo reali; repugnat enim ens reale, quod non sit absolutum, nec relativum.

165. Objic. Persona producens, quoad suam personalem constitutionem, est prior origine et ratione, quam persona ab illa procedens. Atqui relatio nequit esse prior sua mutua correlatione, sed debent esse simul: ergo proprietates constituentes Personas nequeunt esse ipsa formalis ratio relationis.

Resp. 1.° Concedo *maj.* quoad prioritatem originis; et nego *minorem*, vel distinguo: relatio subsistens nequit esse origine prior sua mutua correlatione; nego *min.* Relatio accidentalis et affixa: conc. Nam relatio subsistens origine prior, seu producens, non inducit actionem et dependentiam ullam in relationem productam, ita ut debeat inde impediri mutua et simultanea correlatio; non enim est prioritas naturae et multo minus temporis.

Resp. 2.° Nego *majorem*, quoad prioritatem rationis, vel distinguo; est prior ratione persona producens, si confuse et negative tantum concipiatur; conc. *maj.* Si proprio et distincto conceptu; nego.

166. Inst. D. Thomas ait (ibid. a. 4): «Proprietas personalis, »ut est relatio, praesupponit actum notionalem. Secundum quod est »constitutiva Personae, praeintelligitur relatio actui notionali. Er»go relatio non constituit personam ut est relatio.»

Nota: Cajetanus, cum pluribus è schola thomistica, solvit suo modo hanc difficultatem; alii ejusdem scholae cum Ferrariensi jure impugnant solutionem Cajetani, sed non feliciori marte, ut notat Suarez.

Resp. et explico mentem D. Thomae. Proprietas personalis, seu relatio constitutiva, duplici modo concipi potest; vel confuse et praecisive, ad modum creatae relationis; puta, humanae paternitatis; vel secundun suum formalem et distinctum conceptum. Si ergo Paternitas primo modo concipiatur, tunc est prior actu notionali, ideoque non constituit Patrem secundum formalem rationem relationis: si autem secundo modo proprietatem concipias, id est, uti se habet, tunc relatio ipsa concipitur formaliter constituens Personam, et simul ipsa correlatio seu Persona opposita.

(1) L. 7, c. 7, n. 7.—(2) Q. 40, a. 2 et 4.

Unde ad verba D. Thomae: Proprietas personalis *ut relatio* praesupponit actum notionalem, et ut *constitutiva Personae* praeintelligitur actui notionali: a parte rei; nego. Secundum confusum et praecisivum nostrum concipiendi modum; conc. Ita acute explicat Suarez, et nulla manet contradictio in illa sancti Doctoris sententia.

THESIS XVII.

Proprietates in divinis sunt tres, Origenes quatuor, Notiones autem quinque.

167. I.° Praenotare oportet, non sumi nunc proprietatem illo sensu logico, pro re, quae semper et ab intrinseco alicui convenit; sed in sensu stricto, quatenus proprium convenit uni tantum, seu opponitur communi. Deinde, agitur de proprietatibus positivis, quatenus, scilicet, personae illis intrinsece constituuntur.

Pars I.ª prob. His ergo positis, patet tres esse Proprietates et non plures: nam Paternitas soli Patri, Filiatio soli Filio, Spiratio passiva soli convenit Spiritui Sancto. Dicitur enim proprietas constitutiva Personae, illa forma, seu quasi forma, qua persona est Persona, seu ipsa personalitas. Licet autem detur quarta relatio realis, ut diximus (1), cum illa sit communis, nec constituat Personam, non est stricto sensu proprietas. Similiter alia praedicata, licet propria sunt singularum Personarum, non tamen sunt praedicata constitutiva: vel quia sunt quid negativum, ut Ingenitum; vel quia significantur ad modum *viae* seu tendentiae, ut *genitus, genitor, spiratus;* debet enim proprietas constitutiva esse quid positivum et ut forma permanens se habere, cum permanentes sint et plenissime ac positive constitutae Personae. Vide Nazianzenum, (Or. 42, habita ad centum quinquaginta episcopos et ad populum; n. 15), praeclare disserentem hac de re.

168. H.ª Pars prob. Pater gignit Filium: ergo in Patre est Origo activa per modum generationis, et in Filio, ut genito, passiva. Item Pater et Filius spirant Spiritum Sanctum; ergo est spirationis

(1) Supra, n. 53.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Origo activa in Patre et Filio, et passiva in Spiritu Sancto: quatuor igitur Origines numerantur.

169. III.ª Pars prob. I.° Tamen **nota**: aliquos theologos cum Durando docere; Notiones potius in nobis, quam in Personis divinis, inveniri; nam, ajunt, nihil illae aliud sunt, quam nostri Personarum conceptus. Quod si ita definiantur Notiones, planum est in nobis tantum existere. Verum si res ita se habet, adjiciant oportet, inveniri Notiones, pari ratione, in Angelis et in Deo, cum proprios magisque adaequatos habeant divinarum Personarum conceptus. Notio ergo, ut optime declarat S. Basilius (1), «est proprium »et discretivum signum quo unam Personam ab alia discernimus.» Unde nihil obstat, quod divinae Notiones, licet nomen a nostris cognitionibus desumptum sit, in Deo esse dicantur.

170. His positis facile patebit, quinque esse Notiones. In primis tres relationes personales sunt verae Notiones; nam Paternitate discernimus Patrem, Filiatione Filium, Spiratione passiva Spiritum Sanctum: ut ait enim Eugenius IV (2). «Pater tan»tum est Pater, Filius tantum est Filius, Spiritus S. tantum est »Spiritus S.»

Deinde Spiratio activa, licet non aequali proprietate, tamen, communi Theologorum sensu, inter Notiones computatur. Est enim propria Patris et Filii, et per illam eos dignoscimus, tamquam unum principium, seu Spiratorem Spiritus Sancti. Deinde per hanc Notionem ipsum etiam Spiritum Sanctum cognoscimus, cum non possit ejus propria relatio, sine opposita et correlativa relatione, dignosci.

Denique Innascibilitas, seu *Improducibilitas*, jure a Theologis inter Notiones computatur. Cum enim sit ordo originis inter divinas Personas, nequeunt perfecte cognosci, nisi aliqua ut prima et improducta significetur. Hanc peculiarem Patris dignitatem Notio Innascibilitatis refert.

171. **Corollar.** Ex dictis concludes, Notiones non distingui realiter a relationibus vel Personis, quas discernunt, sed ratione tantum. Eaedem enim relationes, quatenus nobis notas suppeditant ad dignoscendas positive vel negative Personas, Notiones vocantur.

(1) Epist. 43.—(2) Supra, c. I, Thes. I.

ARTICULUS III.

De virtute et perfectione Proprietatum.

THESIS XVIII.

In sola proprietate personali non intelligitur virtus seu principium *quo* actuum notionalium, id est, generandi et spirandi.

172. **Nota** I.° *Actus notionales* nihil aliud sunt, quam Origenes, de quibus in Thes. praec. egimus: generare, nasci, spirare, spirari. Dicuntur *notionales*, quatenus Notionibus identificantur; *actus* autem ut sunt via ad terminum, seu actuatio termini. Licet hujusmodi actuatio ad modum actionis et passionis significetur, *generare, generari;* non intercedit tamen quid similis mutationis et imperfectionis. Ex parte enim producentis non est alia actuatio praeter ipsius esse relativum, ut actuale principium cogitatum: ex parte vero producti, non datur alia passio quam ipsius personalis relatio veluti in fieri concepta.

Nota II.° In omni generante intelligere oportet potentiam generandi, et in spirante virtutem spirandi: potentia enim significat id *quo* producens producit, generans generat.

Nota III.° In persona producente est natura et proprietas personalis. Disputant propterea Theologi utrum in natura, an in proprietate, vel potius in utraque intelligere oporteat virtutem generandi et spirandi.

173. Prob. 1.° argumento, quo utitur Eximius D. (1). Ex communi Patrum et Doctorum sensu, Filius procedit per intellectum, Spiritus Sanctus per voluntatem. Sed intellectus et voluntas non sunt proprietates personales: ergo in sola proprietate personali non intelligitur virtus actuum nationalium.

Ut vim hujus eludant argumenti, inducunt adversae sententiae Auctores quémdam intellectum, et consequenter voluntatem quamdam personalem. Verum tales facultates personales et sunt fictae occasione opinionis, quam impugnamus, et fuerunt Patribus ignotae; insuper rejiciuntur ab Agathone in Fidei Instructione, ad Imperatores et Concil. Constantinopolitanum missa, quam PP. unanimi consensu susceperunt. «Nam, ait Pontifex, si «personalem quisque intelligat voluntatem, dum tres Personae in

(1) L. 7, c. 5, n. 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»S. Trinitate dicuntur, necesse est ut tres voluntates personales, et »tres personales operationes, quod absurdum est et nimis profa»num, dicerentur. Sin autem, quod fidei christianae veritas conti»net, naturalis voluntas est, ubi una haec natura dicitur sanctae et »inseparabilis Trinitatis; consequenter et una naturalis voluntas, et »una naturalis operatio intelligenda est.»

174. 2.° Prob. ratione è D. Thoma deprompta (1). Paternitas est proprietas personalis habens se ad Personam Patris, sicut forma individualis ad aliquod individuum creatum. Sed forma individualis in rebus creatis constituit personam generantem, non autem est, quo generans generat; alioquin Socrates generaret Socratem. Ergo neque Paternitas potest intelligi ut *quo* Pater generat, sed est constituens Personam generantem; alioquin Pater generaret Patrem.

175. 3.° Probat Scotus ex absurdo. Si Paternitate, tamquam potentia, Filius produceretur, esset quaedam generatio aequivoca et imperfecta. Quod potest ita declarari: cum Paternitas sit dissimilis et opposita Filiationi, Paternitas producens tenderet directe ad dissimile: jam vero id opponitur naturae generationis.

THESIS XIX.

Potentia, seu principium formale producendi est sola essentia; postulat autem in Persona producente relationem propriam, seu quod habeat ipsam naturam sine tali productione.

176. 1.ª Pars elucet ex dictis: nam rationes allatae evincunt actionem Paternitatis, personaliter sumptae, non posse habere perfectam rationem generationis, neque esse actionem intellectivam: si ergo productio Filii penderet partialiter a Paternitate tamquam a principio formali, non esset adaequate talis productio generatio, nec Filius adaequate Filius et Verbum.

Id quoque confirmant Hilarius et Damascenus, apud D. Thomam (ibid.). Basilius autem (2) passim docet Patrem natura genuisse Filium: «Deum ex se ipso, natura divinâ mo»doque Deum decente, genuisse genuinum Filium...» Cyrillus (3) ait: «essentiam esse virtutem generativam Dei: creandi »virtutem et generandi in una esse natura.» Anselmus autem (4): «Non ex relationibus suis, quae plures sunt... sed ex ipsa »essentia sua... emittunt Pater et Filius tantum pariter bonum.» Vide alios PP. apud Ruiz (5), praesertim Damascenum (6).

(1) P. 1, q. 41, a. 5.—(2) L. 5, *contr. Eunom.* — (3) *Thesauri* l. 1, c. 7 et 8. — (4) *Monol.* c. 52. —(5) Disp. 100, Sec. II. — (6) *De fide* l. 3, c. 14.

177. II.ª Pars patet. Nam generare et spirare sunt actus notionales seu personales, ut dictum est: ergo opus est ut includant aliquatenus Personalitatem et cum ea connectantur. Deinde principium a principiato distingui realiter debet, producens a producto: non potest autem in divinis distingui ut principium *quo;* ergo ut principium *quod,* seu ut includens Personalitatem.

178. Objic. 1.° Plures Patres ita loquuntur, ut ad Personam Patris pertinere generationem doceant. Resp. pertinere ut ad principium *quod,* sicut ex II.ª parte Theseos constat; conc.: ut principium *quo;* nego.

Inst. Damascen. (1) ait: «Omnia, quae habet Pater, sunt Fi»lii, sola gignendi vi excepta.» Ergo ipsa virtus, seu potentia, est personalis.

Resp. Nego assertum. Nam Damascenus ait: «Excepta *inge»niti* proprietate,» quibus nostram confirmat thesim.

179. Objic. 2.° Distinctio fundatur in productione: ergo vis producendi debet esse distincta a re producta. Nam si eatenus vis producendi distinguit quatenus producit; ergo si immediate producit, immediate distinguit, seu est per se distincta.

Resp. Dist. *ant.* Distinctio fundatur in productione, *formaliter;* nego *ant.* Tamquam conditione; conc. (Vide supra n. 160). Deinde dist. ultimum *consequens:* si immediate producit, immediate distinguit *formaliter;* nego. *Consequenter;* subd. A principio *quod;* conc. A principio *quo;* nego. Vide sanctum Thomam (2).

180. Objic. 3.° Essentia non distinguitur a Persona producta: ergo si Essentia est virtus seu potentia, qua Persona producitur, Essentia producit se ipsam.

Resp. Quemadmodum Essentia non producitur, licet Persona, cum qua idem realiter est, producatur; a fortiori dicendum, quod neque se ipsam producit, licet virtute illius Persona producat Personam. Unde negatur consequentia; quod enim non est productum multo minus poterit esse a se productum. Potes etiam distinguere *ant.* Non distinguitur actu; conc. Virtute; nego *antecedens.*

THESIS XX.

Relationes, ut virtualiter distinctae ab essentia et secundum conceptum *ad*, dicunt perfectionem.

181. **Nota I.°** Perfectio est integritas praedicatorum asserentium suo constituto rationem boni, amabilitatem et exclusionem mali. Ita Izquierdo (3), cum aliis Theologis.

(1) Lib. 2, de Christi volunt. n. 11.— (2) P. 1, q. 41 a. 5, ad 1.—(3) D. 13, de Deo, q. 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nota II.° Prima opinio negat relationes indicare perfectionem: ita communiter Scotistae et Thomistae, Salmant. Gonet, etc.

Secunda affirmat: ita nostri Doctores communiter, cum Suarez, etc.

182. Prob. 1.° Vel relatio divina consideratur in se; et sic, cum nihil illi desit in ratione relationis divinae, debet dici perfecta, imo infinite perfecta: vel perspicitur in ordine ad ipsum Deum; et hoc modo est Deo convenientissima et sufficientissima ad se multo melius et perfectius communicandum, quam per Incarnationis mysterium; quod quam sit excellens et perfectum et Deo conveniens, in tract. de *Deo Incarnato* dicendum, Deo favente: vel, denique, perpenditur ejus excellentia; et haec tanta est, ut sit identificata cum Essentia omnipotenti, sapientissima, infinita.

Confirm. Quoad participandam divinam Naturam, superant Relationes divinae gratiam, visionem beatificam, unionem hypostaticam: ergo majorem dicunt perfectionem.

183. 2.° S. Epiphanius ait (1): «Honoratur Pater, secundum »quod est Pater; honoratur Filius, prout est Filius; honoratur Spi»ritus S., prout est Sp. Sanctus.» Et in praefatione de *Trinitate* ait Ecclesia: «Ut in personis proprietas, in Essentia unitas, et in ma»jestate adoretur aequalitas.» Sed nequit honorari quod non habet perfectionem et quidem excellentem: ergo relationes dicunt perfectionem. Gregor. Naz. (2): «Deo quidnam majus ac praestabi»lius erit, quam Filii Patrem esse..., quemadmodum et Spiritus pro»ductorem esse?» Cyrill. Alex. (3): «Perfectus est, non solum »quia Deus, sed etiam quia Pater.» Numquid poterant Patres isti thesim nostram lucidius tradere? Item S. Thomas (4): «Non potest »Patri esse plenum gaudium de se ipso nisi in Filio.» Synodi Constant. Patres dixerunt (epist. ad Damasum): «Credimus »aequalem honorem ac Divinitatem in tribus perfectissimis subsistentiis.» Ecce, non solum perfectae, sed etiam perfectissimae!

184. 3.° Relationes, formaliter secundum *esse ad*, sunt modus existendi in divinis: vide Damascenum (5). Sed modus existendi in rebus creatis apponit perfectionem ultra essentiam: ergo a fortiori in Divinis. *Major* ex dictis patet: nam per relationes constituuntur Personae et distinguuntur; Deus est realiter trinus; natura communicatur, etc.

4.° Subsistentia Verbi, quatenus virtualiter ab Essentia distinguitur, terminat et complet naturam humanam Christi, et supplet eminenter creatam subsistentiam. Sed nihil potest compleri, termi-

(1) *Anchorat* n. X.—(2) Orat. 23, 3, *de pace* n. VII.—(3) *Thesaur.* l. 1, c. 6.—(4) Q. 9, *de Potent.* a. 5, ad 24.—(5) L. 1, c. 9, 10 et 11, *de Fide.*

nari et suppleri per id, quod nihil habet perfectionis: ergo Verbi divini subsistentia perfectione non caret.

185. Objic. 1.° Si Relationes sint perfectiones, complexum illarum erit quid perfectius quam una tantum. Sed hoc dici nequit; ergo perfectione carent.

Resp. nego *maj.* Nam quaelibet divinarum Relationum formaliter identificatur cum essentia infinita, ideoque nihil illa majus esse potest.

Objic. 2.° Perfectio Paternitatis repugnat Filiationi; ergo perfectio relativa Filii erit necessario finita.

Resp. Dist. *maj.* Perfectio formalis repugnat; conc. Perfectio aequivalens; nego. Dein nego *consequentiam;* quia tota illa Paternitatis perfectio habetur aequivalenter in Filiatione. Unde Nazianzenus ait: (1). «Si magnum Patri est, a nullo profectum »esse; non minus illustre Filio est ex tali Patre prodivisse.» Quaelibet, scil. Relatio est summa perfectio relativa in se, et quodlibet incrementum in eo ordine est chimaericum. Deinde quaelibet Relatio est formaliter identitas cum essentia, ideoque incrementi in perfectione est prorsus incapax.

Objic. 3.° Si sunt perfectiones Relationes divinae, erunt in Deo tres perfecti, tres boni, tres immensi, tres aeterni, etc. Atqui ait Athanasius in Symb.» Non tres aeterni... non tres immensi... »non tres increati;» ergo perfectiones non sunt.

Resp. Dist. *maj.* Erunt in Deo tres perfecti, aeterni, etc. *absolute;* nego *maj. Relative;* conc., sicque intelliges Athanasii dictum.

SCHOLIA.

186. I. Cum Proprietates personales sint tres perfectiones relativae, quaerunt Auctores utrum dici possit esse *tres res?* Sane, quatenus *res* est quid absolutum, tres Personae sunt *una summa res*, ut ait Later. IV. c. *Damnamus*. Quia vero *res* de trascendentibus est praedicatis, et ideo ad relationes quoque pertinet. possunt Personae *tres res* dici. Ita Anselmus (2), D. Thomas, Suarez, Vazquez, etc. Eadem ratione dicentur *tres veritates, tria bona*, scilicet *relative;* quidquid alii sentiant.

187. II. In questionem magis vertitur, utrum Proprietates *tres existentiae* etiam dici valeant. *Absolute* quidem, nullum est dubium, tres Personas unum habere *esse*, seu unam *existentiam:* tres autem esse existentias *relativas* negant communiter thomistae:

(1) Orat. 3, theol. n. XI.—(2) De *Incarn. Verbi*, c. 1.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

affirmant autem cum Bonaventura, Scotus, Suarez, etc. Granadus, et Ruizius a Montoya ajunt esse de *nomine* quaestionem. Ex dictis autem sat clarum videtur: si enim *tres res* sunt et tres reales *perfectiones*, tres quoque reales *existentiae relativae* dicendae: existentia enim nihil est aliud quam esse reale, ut supra, cum S. Thoma, diximus (1).

Item tres *formas* relativas dici posse, apertum videtur, cum sint tres proprietates constitutivae in esse Personae. Ita loquuntur Divus Thomas, Ruizius, etc.

188. III. Ne in singulis immoremur perpendendis praedicatis, nonnullae Regulae generales lucem praebebunt ad caste de tanto loquendum mysterio.

I.ª Ab iis abstinendum praedicatis, quae proprietates absolutas seu Naturam in Deo multiplicant; vel è contra, quae numerum excludunt proprietatum relativarum seu Personarum. Unde non dices, *aliud* esse Patrem, *aliud* esse Filium; non negabis *alium* esse, etc.

189. II.ª Abstracta, quemadmodum et concreta, relativa nequeunt ad invicem praedicari; ut *Paternitas est Filiatio*, vel *Pater est Filius:* at quaevis proprietas abstracta (sive absoluta, sive relativa) potest de se ipsa in concreto dicta praedicari: ut *Deus est Deitas*, *Pater est Paternitas*, *tres Personae sunt tres Personalitates*, *Pater est Deitas*. Ratio est, quia in posterioribus datur identitas realis; è contra in prioribus.

190. III.ª Concreta essentialia substantiva non possunt de Personis praedicari pluraliter; ut *tres Personae sunt Dii:* è contra, si adjective essentialia sumantur; ut *Personae sunt divinae*, *omnipotentes*, etc. Si tamen adjectivum in sensu accipiatur substantivi, neque dici pluraliter licebit: sic ait Athanasius: «non tres aeternі, sed unus aeternus; non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.»

191. IV.ª Concreta relativa substantive affirmantur de essentialibus, sive concretis, sive abstractis; ut *Deus est Pater*, *Deitas est Filius:* at relativa adjective non praedicantur de abstractis essentialibus, ut *Deitas*, vel *Essentia gignit:* nam requiritur distinctio realis inter generantem et genitum, quae falso tribuitur Deitati simpliciter dictae; sic enim abstrahitur a personis, in quibus solis est realis distinctio.

192. V.ª Actus notionales propriissime praedicantur de respectivis Personis, propriis nominibus, in concreto sumptis; ut *Pater gignit:* non autem in abstracto sumptis; ut *Paternitas gignit:* quia

(1) Disq. V, n. 20 et 25.

cum actiones tribuuntur formis abstractis, innuitur influxus formalis talis formae in actionem; hic autem influxus non spectat ad proprietates relativas, sed ad essentiam, ut dictum est (1).

193. VI.ª Actus notionales recte praedicantur de Deo significato per essentialia in concreto sumpta, ut fides ipsa docet: sic dicitur: *Deus de Deo*, *Filius Dei*, *Spiritus Dei*, etc. Ratio est, quia essentialia in concreto significant suppositum; et ideo pro qualibet Persona supponunt, secundum exigentiam praedicati.

CAPUT IV.

De singulis Personis particulariter.

ARTICULUS I.

De Patre.

THESIS XXI.

Patris proprium primum est esse Patrem; esse Ingenitum, seu carere Origine; et esse Principium Divinitatis.

194. I.ª pars prob. 1.° Ex dictis supra (2).

2.° Esse Ingenitum est quid negativum; ergo praesupponit aliquid positivum, ideoque prius esse Patrem, quam esse Ingenitum. Deinde eatenus est Pater divinitatis Principium, quatenus gignit et cum Filio spirat: ergo illi primum est proprium esse Patrem. Unde Basilius, quid Patris proprium sit evolvens, ait (3): «Dei»tas communis est, proprietates vero sunt Paternitas et Filiatio. Ex »utriusque autem complexu, tum communis, tum proprii, innas»citur nobis comprehensio veritatis.» Et Athanasius (4): «Pie»tati et veritati magis consentaneum, Deum ex Filio nominari, »Patremque appellare, quam..... non factum dicere..... Vox Patris »simplex est atque in divinis Scripturis usitata, magisque veritati »congruit, et Filium dumtaxat significat,» (id est, ad Filium refertur). «In sola divinitate Pater proprie Pater est, et Filius proprie

(1) Thes. XVIII, n. 172.— (2) Nn. 148, 158. — (3) *Adv. Eunom.* l. 2, n. 28.— (4) Or. 1, *contr. Arian.* n. 34.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

affirmant autem cum Bonaventura, Scotus, Suarez, etc. Granadus, et Ruizius a Montoya ajunt esse de *nomine* quaestionem. Ex dictis autem sat clarum videtur: si enim *tres res* sunt et tres reales *perfectiones*, tres quoque reales *existentiae relativae* dicendae: existentia enim nihil est aliud quam esse reale, ut supra, cum S. Thoma, diximus (1).

Item tres *formas* relativas dici posse, apertum videtur, cum sint tres proprietates constitutivae in esse Personae. Ita loquuntur Divus Thomas, Ruizius, etc.

188. III. Ne in singulis immoremur perpendendis praedicatis, nonnullae Regulae generales lucem praebebunt ad caste de tanto loquendum mysterio.

I.ª Ab iis abstinendum praedicatis, quae proprietates absolutas seu Naturam in Deo multiplicant; vel è contra, quae numerum excludunt proprietatum relativarum seu Personarum. Unde non dices, *aliud* esse Patrem, *aliud* esse Filium; non negabis *alium* esse, etc.

189. II.ª Abstracta, quemadmodum et concreta, relativa nequeunt ad invicem praedicari; ut *Paternitas est Filiatio*, vel *Pater est Filius:* at quaevis proprietas abstracta (sive absoluta, sive relativa) potest de se ipsa in concreto dicta praedicari: ut *Deus est Deitas*, *Pater est Paternitas*, *tres Personae sunt tres Personalitates*, *Pater est Deitas*. Ratio est, quia in posterioribus datur identitas realis; è contra in prioribus.

190. III.ª Concreta essentialia substantiva non possunt de Personis praedicari pluraliter; ut *tres Personae sunt Dii:* è contra, si adjective essentialia sumantur; ut *Personae sunt divinae*, *omnipotentes*, etc. Si tamen adjectivum in sensu accipiatur substantivi, neque dici pluraliter licebit: sic ait Athanasius: «non tres aeternі, sed unus aeternus; non tres omnipotentes, sed unus omnipotens.»

191. IV.ª Concreta relativa substantive affirmantur de essentialibus, sive concretis, sive abstractis; ut *Deus est Pater*, *Deitas est Filius:* at relativa adjective non praedicantur de abstractis essentialibus, ut *Deitas*, vel *Essentia gignit:* nam requiritur distinctio realis inter generantem et genitum, quae falso tribuitur Deitati simpliciter dictae; sic enim abstrahitur a personis, in quibus solis est realis distinctio.

192. V.ª Actus notionales propriissime praedicantur de respectivis Personis, propriis nominibus, in concreto sumptis; ut *Pater gignit:* non autem in abstracto sumptis; ut *Paternitas gignit:* quia

(1) Disq. V, n. 20 et 25.

cum actiones tribuuntur formis abstractis, innuitur influxus formalis talis formae in actionem; hic autem influxus non spectat ad proprietates relativas, sed ad essentiam, ut dictum est (1).

193. VI.ª Actus notionales recte praedicantur de Deo significato per essentialia in concreto sumpta, ut fides ipsa docet: sic dicitur: *Deus de Deo*, *Filius Dei*, *Spiritus Dei*, etc. Ratio est, quia essentialia in concreto significant suppositum; et ideo pro qualibet Persona supponunt, secundum exigentiam praedicati.

CAPUT IV.

De singulis Personis particulariter.

ARTICULUS I.

De Patre.

THESIS XXI.

Patris proprium primum est esse Patrem; esse Ingenitum, seu carere Origine; et esse Principium Divinitatis.

194. I.ª pars prob. 1.° Ex dictis supra (2).

2.° Esse Ingenitum est quid negativum; ergo praesupponit aliquid positivum, ideoque prius esse Patrem, quam esse Ingenitum. Deinde eatenus est Pater divinitatis Principium, quatenus gignit et cum Filio spirat: ergo illi primum est proprium esse Patrem. Unde Basilius, quid Patris proprium sit evolvens, ait (3): «Dei»tas communis est, proprietates vero sunt Paternitas et Filiatio. Ex »utriusque autem complexu, tum communis, tum proprii, innas»citur nobis comprehensio veritatis.» Et Athanasius (4): «Pie»tati et veritati magis consentaneum, Deum ex Filio nominari, »Patremque appellare, quam..... non factum dicere..... Vox Patris »simplex est atque in divinis Scripturis usitata, magisque veritati »congruit, et Filium dumtaxat significat,» (id est, ad Filium refertur). «In sola divinitate Pater proprie Pater est, et Filius proprie

(1) Thes. XVIII, n. 172.— (2) Nn. 148, 158. — (3) *Adv. Eunom.* l. 2, n. 28.— (4) Or. 1, *contr. Arian.* n. 34.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»Filius, atque in his solis constans, firmaque est Patris et Filii »conditio» (1).

195. II.ª pars prob.

Primum **nota**: *ingenitum* posse intelligi; vel quasi non factum; et sic passim sumebant Ariani, ut ex Patris proprietate innuerent Filium et Spiritum Sanctum creaturas esse: vel quasi non natum; et in hoc sensu, ingenitus quoque est Sp. Sanctus: vel ut ab alio nullo modo realiter productum; hoc sensu dicitur Pater *ingenitus*.

1.º Conc. Tolet. XI (2): «Patrem quidem ingenitum profi»temur; ipse enim a nullo originem ducit.» Athanasius (3): «Si velint (Ariani) illa voce, non factum, significari id, quod exis»tat quidem, non sit autem ex aliquo ortum... respondebimus eum, »quem hoc modo significant, unum ac solum esse non factum Pa»trem.» Basilius etiam (ibid.): «Cum ingenitam lucem audimus, »Patrem intelligimus: cum vero genitam lucem, Filii accipimus »notionem: nam quatenus lux et lux sunt, nulla est in eis contra»rietas; quatenus vero genitum et ingenitum, apparet oppositio... »genitum et ingenitum, indices quaedam proprietates sunt.»

196. III.ª Pars prob.

Nota. Prius notare oportet. Non dicitur Pater principium Deitatis, quasi ab illa Deitas ortum ducat, sed quatenus est principium, quod Divinitatem *communicat*.

1.º Tolet. conc. (ibid.), et Wormat. etiam, ajunt: «Fons ergo ipse et origo est totius divinitatis.» Et Augustinus (4): «Quemadmodum dixit: quem ego *mittam vobis a Patre*. »Videlicet ostendens, quod totius divinitatis, vel, si melius dicitur, »deitatis principium est.» Et S. Hippolytus (5): «Cum »alium dico, non duos Deos dico; sed tamquam lumen ex lumine... »Una enim est virtus quae ex toto est: totum vero Pater.»

SCHOLIA.

§ I.

Paternitatis fundamentum.

197. Cum Filiatio et Spiratió passiva principium et originem habeant, facile patet, quodnam sit illarum fundamentum; Paternitas autem improducta est, et prior omnium Proprietatum relativarum, et virtute tantum ab essentia distincta. Non ergo reale, sed virtuale et secundum rationem, fundamentum Paternitatis inquirunt Doctores. Praetermissis aliis opinionibus, dicendum: in divina natura, quatenus fecunda ad intra per productionem, inveniri exigentiam et fundamentum immediatum, absque ulla vera productione, paternae proprietatis. Nam personalitas sequitur et comitatur naturam, ut ex illius patet definitione: in natura ergo fundamentum hujusce proprietatis esse debent. Unde, quemadmodum quae produci debent Personalitates in Deo, principium *quo* talis productionis in natura habent; ita Personalitas illa improducta, quae praerequiritur, ut distincta et opposita, ad alias producendas, in ipsa natura immediate et absque productione fundatur: est enim necessaria ad fecundam naturam, ut possit generando et aspirando communicari. Eadem de causa debuit prima hac Personalitas esse relativa; sine oppositione enim producentis ad productum non potuisset vera existere generatio.

(1) Ibid. n. 22.—(2) In *Symb. fidei*. — (3) Or. 1, contr. Arian. n. 31.—(4) *De Trin.* l. 4, c. 20.—(5) *Contr. haer.* Nöet n. IX.

§ II.

De attributo Ingenitus.

198. De alio Patris attributo, quod est *Ingenitum* esse, inquiritur, utrum sit mere negativum, vel aliqualiter positivum. Verius dicitur, formaliter privationem Originis significare cum fundamento in re, id est, in ipsa Paternitate. Cum enim Persona divina, ut talis, Originem non excludat, et haec tamen origine careat, aliqua peculiaris inest in illa ratio. Haec autem ratio est ei intrinseca: nam, ut dictum est, communicatio ad intra praerequirit Personam improductam et oppositam relative Personis producendis; manifestum igitur est repugnare illi productionem, et quamlibet secum ipsa oppositionem. Hoc clare innuit S. Nazianzenus, Or. XXV, «Patris proprietas haec est, quod ingenitus sit; Filii, quod »genitus; Spiritus S. quod procedat.»

§ III.

De aliis Patris attributis.

199. Ex dictis facile intelligetur, quo sensu dicatur a nonnullis Patribus graecis, Patrem esse *Auctorem* et *Causam* aliarum Personarum: scilicet rationem principii et originis activae in Patre notare intendunt, non autem quod Personae aliae per veram effectionem et causalitatem ab illo procedant.

Item, propter analogiam aliquam ad proprietates Patris, non-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nulla eidem tribuuntur, seu, ut dici solet, *appropriantur* attributa: ut *aeternitas*, quia est prima quoad originem Persona; *omnipotentia*, quia prima in eo splendet virtus et fecunditas, et est ratione prior quam sapientia et amor; *unitas*, quia prima est Personarum, sicut unitas numerorum, etc. Verum satis apertum est ex dictis, omne attributum absolutum esse omnibus Personis commune.

ARTICULUS II.

De Filio.

THESIS XXII.

Secunda Persona Trinitatis, seu Verbum, est vere et proprie Patris Filius, et vere ac proprie ejus Verbum.

200. **Nota.** Eamdem esse Personam, quae et Verbum et Filius dicitur, adversus aliquos antiquos supponimus haereticos.

Nam 1.° S. Joannes in Evangelio (c. 1) dicit de eodem Verbo, quod *caro factum est*, et *Unigenitus est Patris*. 2.° Conc. Rom. sub Damaso (1), explicite docet, quod «Ipse Filius sit »Verbum Dei:» Etiam Conc. gen. III. Ephes. can. 5, docet, *Filium per naturam* esse ipsum Verbum. Hanc defenderunt fidei doctrinam, Irenaeus (2) passim: «Blasphemant, ait (3) »abscindentes et dividentes Verbum ab Unigenito.» Athanasius pariter (4), nec non S. Ambrosius (5).

201. I.ª pars prob. 1.° Ex Symbol. «Credo... Filium Dei Unige»nitum, ex Patre natum ante omnia secula.» Ex con. Rom. sub Damaso: «Si quis non dixerit Filium natum de Patre, id »est, de divina substantia ipsius. A. S.»

2.° S. Joannes ait (6): *Scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus.* Paulus ostendit divinitatem Christi ex ejusdem generatione et Filiatione (7): *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

202. 3.° Vide supra (8) rationes, quibus proprietatem Paternitatis ostendimus: si enim Pater vere est Pater, Filius quoque vere Filius et genitus erit. Hinc Nazianzenus (9) ait: «Patrem vere «Patrem, ac multo quidem verius, quam qui apud nos id nomen

(1) Can. 7 et 12.—(2) In libr. *contr. haeres.*—(3) Ibid. l. 4, in praef.—(4) Or. 2. *contr. Arian.* — (5) L, 1, *de fid.* c. 2, n. 16, etc. — (6) Ep. 1, c. V, 20. — (7) Hebr. I, 5.— (8) Nn. 155, 194. — (9) Orat. 25.

»obtinent... Filium vere esse Filium, et in totum Filius, et totius, »et a principio.» Hilarius autem (1): «Hic est verus proprius »Filius origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nati»vitate, non creatione.» Et Phebadius, (2): «Quis autem catho»licorum ignorat Patrem vere esse Patrem, Filium vere esse Fi»lium, Spiritum S. vere esse Spiritum Sanctum?» Ambrosius (3): «Principium fidei nostrae est, scire quod genitus est Dei Filius; »si genitus non est, nec Filius est.»

203. II.ª Pars prob.

Primum vero **nota**: Arianos, aliosque haereticos, qui Verbum vel creaturam, vel a Patre indistinctum excogitaverunt, consequenter errantes verum esse Verbum negarunt: at, ex alio capite, Durandus Verbi divini proprietatem negavit, quod putaret non procedere per intellectum: hoc tamen supra rejectum est (4). Vere autem et proprie Filium esse etiam *Verbum*, et non metaphorice solum, ita est certum et cum fide nexum, ut sine errore negari non possit, asserant Suarez et Ruizius.

204. Prob. 1.° *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum*, (Jo. I). Jam vero, ex consensu omnium Patrum et Doctorum, voluit Joannes declarare, a sui Evangelii exordio, divinam Christi Personam: cum ergo absolute dicat illam esse, ut a Patre distinctam, Verbum Dei, id proprie et simpliciter intelligendum: metaphoricus enim sensus, necessitate tantum cogente, est sumendus. Ideo arguebat Cyrillus (5): «Si »Filius, inquiunt, Verbum Patris est... in nullo a Patre differre »poterit... Qui haec dicunt, Joannis omnino obliti sunt. Verbum »enim ipse Filium appellat, ut hoc nomen, quasi proprium, et ip»sius esse Filii maxime significativum, elegisse videatur. *In prin»cipio*, inquit, *erat Verbum*... Vides quomodo ipsum esse Filii se»cundum naturam hoc nomen significat... Suffecit enim sibi ad »significandum ipsum esse Filii, Verbum dixisse. Verum igitur »Patris Verbum Filius est, nec est aliud Patris Verbum, quam Fi»lius.»

Confirm. Ait Joannes etiam (6): *Tres sunt qui testimonium dant in coelo Pater, Verbum et Sp. Sanctus.* Si ergo Pater dicitur Pater, et Sp. S. dicitur Spiritus S. et ita altera Persona Verbum, et quidem in coelo; non minori proprietate Verbum est Verbum, quam Pater est Pater, et Spiritus S. est Spiritus Sanctus.

205. 2.° Athanasius (7): «Filius verus natura et genuinus

(1) L. 3, *de Trin.* (Migne, t. 20). — (2) Lib. de *Fide orthod.* (Migne, t. 20.) — (3) *De Fide*, l. 2, Prolog. — (4) Thes. III, n. 23. — (5) *Thesaur.* l. 7, c. 1. — (6) 1 Jo. V, 7.— (7) Or. I, *contr. Arian.* 9.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»est Patris, Sapientia unigenita, Verbum verum ac unicum Dei ipse »est.» Testatur S. Alexander (1), errorem fuisse Arianorum dicentium: «Filius neque verum, neque naturale Verbum est Pa»tris... abusive autem Verbum dicitur... Haec Arianos loquentes, »haec impudentissime affirmantes, nos cum episcopis prope cen»tum... anathemate percussimus.»

3.° Essentialiter Verbum in hoc consistit, quod sit terminus productus per intellectionem, repraesentans objectum suum. Atqui Filius procedit per intellectionem, et perfecte repraesentat objectum; uti supra probatum est (n. 23, 88); ergo proprie Verbum est.

206. Objic. in 1am. partem. 1.° Generatio est productio substantialis. Atqui Verbum, utpote consubstantiale Patri, non potest quoad substantiam produci: ergo neque generari. Resp. dist. *maj.* In rebus creatis; conc. In divinis: subd. Quoad Personam genitam; conc. Quoad naturam Personae genitae; nego. Nam in creatis non potest pater nisi naturam specie similem communicare, ideoque productam: in divinis autem Pater, perfectissima generatione, suam individuam naturam communicat, ideoque improductam.

207. Objic. 2.° Per generationem mutari debet filius genitus. Sed in divinis mutatio repugnat: ergo et generatio est impossibilis. *Maj.* prob. Quod gignitur accipit esse ab alio, ideoque non erat. Sed quod transit a non esse ad esse mutatur; ergo generatio mutationem inducit.

Resp. nego *maj.* et ad prob. dist. *maj.* Quod gignitur... non erat, si ipsum accipiat esse gignentis: nego *maj.* Si accipiat esse diversum; conc. *majorem* et nego *consequentiam.*

Inst. Saltem esse relativum et personale geniti est productum; ergo est diversum a gignente, et transit ex non esse, et mutatur.

Resp. dist. *ant.* Est productum *origine;* conc. *Effective;* subd. Si distinguatur ab essentia gignentis; conc. Aliter; nego. Nam Persona genita, cum identificetur essentiae increatae Patris, *effectionis* et causalitatis est incapax, non vero originis.

208. Objic. 3.° Generatio est in similitudinem naturae inter generantem et genitum. Sed in his, quae idem sunt, similitudo repugnat: ergo et generatio. Resp. dist. *min.* Quae idem sunt, ut *quo* et ut *quod*, similia esse nequeunt; conc. In his, quae sunt idem, ut *quo* tantum, nequit similitudo inesse: nego *minorem.*

209. Objic. in secundam p. 1.° Per verbum assimilatur intelligens rei intellectae, eamque intelligit. Atqui Pater nulli rei assimilatur per Filium, sed potius generando sibi illum similem reddit, neque quicquam per Filium intelligit: ergo Filius nequit esse Verbum Patris.

(1) Epist. de *Arian. haeres.* ad Alex. Constant. n. III.

Resp. Dist. *maj.* Intelligens *creatus* assimilatur et intelligit per verbum; conc. *maj.* Increatus; nego. Non enim id accidit per se et ex intrinseca verbi ratione; sed per accidens, et quatenus intelligens, ut actuetur et perficiatur seu ex indigentia, verbum suum producit. Hoc ergo tantum est de ratione verbi, ut ex intellectu oriatur et sit rei intellectae similitudo, quod Verbo divino perfectissime convenit: recipit enim ipsum intelligere Patris, ideoque repraesentat adaequate objectum illius intellectionis. Illae ergo, quae in verbo creato notantur, imperfectiones, ut quod sit accidens, quod perficiat intelligentem, etc. non sunt in divino Verbo; ut enim ait Athanasius (1). «Nec quaerenda est ratio cur Dei Verbum »non tale sit, quale nostrum: quandoquidem non talis est Deus, »quales nos.»

SCHOLIA.

§ I.

Quae Verbi, quae Filii ratio?

210. Ex dictis patet, eamdem Personam et esse Filium et esse Verbum, ita ut, ex sententia Augustini: «Eo Filius, quo Verbum; »et eo Verbum, quo Filius.» Ratione tamen aliud esse Filium et aliud esse Verbum, perspicuum est. Utrumque sane est quid relativum; Verbum quidem ad mentem dicentem seu concipientem, et ad rem dictam seu conceptam: Filium autem ad Patrem gignentem et ad naturam Patris susceptam.

§ II.

E divinorum cognitione procedit Verbum.

211. Verbum divinum procedit ex cognitione infinite perfecta divini intellectus; scientia autem divina multa tum intra Deum, tum extra attingit: hinc quaestio inter Auctores vertitur, ex quarum rerum cognitione Verbum divinum procedat? Quoad ea, quae ad divinam spectant essentiam, conveniunt omnes, repraesentari in divino Verbo et ab eorum cognitione procedere. Scotistae autem cum Magistro suo, negant Verbum gigni ex cognitione perfectionum relativarum. At cum Augustino (2), D. Thoma (3), Suarezio (4) tenendum, procedere Verbum ex cognitione totius

(1) Orat. 2, *contr. Arian.* n. 36. — (2) *De Trinit.* l. 7, c. 1 et 3. — (3) Q. 34, a. 1, ad 3.—(4) L. 9, c. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Trinitatis, omniumque sive absolutorum, sive relativorum. Ratio est, quia cognitio Patris est essentialiter comprehensiva, ideoque attingens omnia, quae cum divina essentia connectuntur: ergo Verbum, qui, vi suae processionis, est eadem essentia et sapientia Patris, ut ait Augustinus (ibid.), procedit ex cognitione omnium etiam relativorum.

Confirm. Si cognitio, qua Pater gignit Verbum, non attingeret ipsum Verbum et Spiritum S., neque ipsum Patrem comprehenderet, neque virtutem gignendi et spirandi: unde esset imperfecta cognitio, et Filius etiam imago imperfecta Patris.

212. Objic. Si ex cognitione Personarum procedit Verbum, prius sunt Personae quam ipsum Verbum; quod repugnat.

Resp. Alius est ordo originis, alius autem cognitionis: Personae ergo omnes sunt prius cognitione quam ipsum Verbum, non vero origine, nisi solus Pater.

§ III.

E possibilium cognitione procedit Verbum.

213. Dicendum etiam contra Scotum, procedere Verbum ex cognitione omnium possibilium; quod tenet etiam, cum S. Thoma, Suarez (ibid.). Scientia enim illa Patris est comprehensiva essentiae, ideoque et possibilium, ut diximus supra (1): Verbum ergo omnium possibilium debet esse imago et Verbum. Unde Augustinus (2): «Tamquam se ipsum dicens, Pater genuit Verbum »sibi aequale per omnia. Non enim se ipsum integre perfecteque »dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in ejus Verbo quam »in ipso.»

214. Dices: inde sequi videtur, debere Verbum creaturis possibilibus suum esse personale, vel, saltem, perfectionem ab iis suscipere.

Resp. Nego *consequentiam*. Sicut enim divinus intellectus non perficitur ex creaturarum cognitione, ut supra expendimus (3); ita neque Verbum a solo Patre, virtute divinae essentiae, procedens: verum sicut intellectus Patris, ex intrinseca actuatione debet omnia repraesentare possibilia; ita et Verbum, ut perfecta Patris imago existat.

Aliter tamen repraesentat Verbum essentiam Patris, quam creaturas possibiles; intellectus enim divinus, ex quo est Verbum divinum, ab essentia divina actuatur, tamquam objecto formale *quasi physice* determinativo: creaturae autem omnes, sive necessariae, sive contingentes, se habent erga divinam essentiam ut objectum *intentionaliter* tantum determinativum. Consequenter et Verbum est proprie et perfecte *imago* divinae essentiae, cui secundum naturam simile est, et cujus virtute procedit: possibilium autem creaturarum est imago late et improprie dicta.

(1) Disq. IV, n. 158. — (2) *De Trinit.* l. 15, c. 14. — (3) Disq. IV, n. 149 et seqq.

§ IV.

E contingentium cognitione utrum procedat Verbum.

215. Quoad autem creaturas contingentes major est inter Auctores dissensio. Multorum opinio est, non procedere divinum Verbum a scientia illarum, quae in Patre existit: tum quia videtur absonum, quod procedat a contingentibus id quod est in Deo necessarium: tum quia omnis creatura contingens supponit aliquod Dei liberum decretum, ideoque et Personas, quarum sunt omnia opera ad extra, plene constitutas. Ita censent communiter Thomistae, et ex NN. Suarez, Vazquez, Molina, etc.

216. Secunda tamen sententia tenet, procedere Verbum divinum etiam ex scientia creaturarum, ut existentium, ideoque contingentium: ita Valentia, qui plures antiquos laudat Doctores, et dicit (1) priorem opinionem adversari doctrinae D. Thomae; Ruiz a Montoya, Arriaga, Marin, etc. Favet Augustinus (2), qui postquam asserit, «futura omnia temporalia, at»que in eis etiam quid et quando ab illo petituri fueramus... Pater, »sine initio, ante praescivit;» deinde addit: «Proinde, tamquam se »ipsum dicens, Pater genuit Verbum sibi aequale per omnia. Non »enim se ipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut »amplius esset in ejus Verbo quam in ipso... Et ideo Verbum hoc »vere veritas est: quoniam quidquid est in ea scientia de qua geni»tum est, et in ipso est: quod autem in ea non est, nec in ipso »est.»

217. Ad rationes autem 1.ae sententiae, dicitur: sicut absonum non est, scientiam Dei necessariam et immutabilem terminari posse ad veritates contingentes, ita neque absurdum existit, Verbum ab iisdem procedere; non plus enim exinde mutari debet, quam ipsa scientia Patris, quae realiter eadem est, et solum virtualiter distincta, quatenus ad contingentia terminatur. Deinde, libera Dei decreta et veritates omnes contingentes supponunt, quidem, Perso-

(1) *De Trin.* q. 8, p. 2, ad 4. — (2) *De Trin.* l. 15. c. 13 et 14.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nas *realiter* constitutas, quemadmodum et necessariam Dei scientiam; non autem *virtualiter*. Unde Verbum divinum *realiter* est prius qualibet veritate objectiva creata; *virtualiter* autem procedit, origine posterius, a scientia Paterna omnium veritatum contingentium.

§ V.

Quae Filio per appropriationem conveniunt.

218. Praeterea dicuntur de Filio vel proprie, vel per *appropriationem*, alia quaedam nomina.

In primis in SS. Literis, et apud SS. Patres, *Imago* dicitur *Dei invisibilis*, et quidem non metaphorice, ut vult Durandus, sed proprie: est enim Filius perfecte Patri similis, et ab ipso Patre desumpta seu expressa est talis similitudo.

Est Filius *Sapientia* Patris, Dei *Sapientia*: non tantum quia est Deus, et habet divinam Sapientiam; sed praecipue quia procedit per intellectum, et vi propriae et formalis processionis Sapientiam Patris suscipit, ideo illi hoc nomen *appropriatur*.

Dicitur etiam *Species*, *Figura*, *Character*, *Speculum* et alia, quae ad nomen *Imaginis* revocari videntur. Item *Via*, *Veritas*, *Virtus*, et similia, apud SS. Literas et SS. Patres, quae Verbo, ex analogia aliqua, *appropriative* conveniunt.

ARTICULUS III.

De Spiritu Sancto.

THESIS XXIII.

Spiritus Sanctus non est Filius seu Genitus, sed a Patre, Filioque procedens.

219. Thesis est de fide quoad utramque partem.

1.ª Pars, prob. 1.° Ex Symb. Athan. «Spiritus S. a Patre et »Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.» Et in Conc. Hispaniarum, jussu Leonis Pp. habito: «Non ge»nitus Paraclitus, sed a Patre, Filioque procedens.» Ita Toletan. XI et Leo IX in Symb. fidei, proposito Petro ep.: «Spiritum Sanctum nec genitum, nec ingenitum, sed a Patre Filioque procedentem.»

2.° Si Spiritus S. esset genitus seu Filius, sequeretur Verbum

divinum non esse Unigenitum Patris: sed hoc est prorsus fidei contrarium. *Unigenitus*, ait Joannes., *qui est in sinu Patris* (1); et iterum: *Ut Filium suum Unigenitum daret*. Quod patet et ex Symb. Apost. «Filium ejus unicum;» et Nicaen. «Filium Dei Unigenitum.»

220. 3.° S. Basilius docet (2): «Spiritus S. nec ingenitus, »nec genitus, quia unus Unigenitus.» Athanasius autem (3) ait: «Nomen Unigeniti proprie Verbo convenire, quandoquidem »nullum aliud est Verbum, nulla alia Sapientia, sed solus ipse verus est Patris Filius.» Nazianzenus etiam (4). «Spiritus S. qui »a Patre procedit, quatenus ab illo procedit, creatura non est: qua»tenus genitus non est, Filius non est... Quid ergo est, inquiunt, »quod Spiritui deest ad hoc ut sit Filius?... Deesse nihil dicimus. »Non enim Deo quidquam deest. Verum manifestationis, ut ita di»cam, mutuaeque eorum relationis differentia, diversa quoque ip»sis nomina procreavit.»

Ita Patrum communis sensus, quorum plurimos apud Petavium et Ruizium videbis.

221. Objic. 1.° Nonnulli PP. dicunt, *natum* quoque esse Spiritum S., et Verbum esse Filii.

Resp. dist. Patres ita loquuntur per quamdam similitudinem; conc. In proprio sensu; nego.

Objic. 2.° S. Basilius respondet ad Eunomium (l. 5), ideo Spiritum Sanctum non dici Filium, ne putemus et alium quoque dari Filium Spiritus Sancti, et exinde multitudinem Filiorum: ergo *solo nomine* non est Spiritus Sanctus verus Filius.

Resp. explico. Id dicit Basilius ut declaret, non ideo Spiritum Sanctum Filium non appellari, quod careat eadem natura Patris et Filii; conc. Quod putet nihil differre a filiatione processionem Sp. Sancti; nego, Nam id contendebat Eunomius, non esse Sp. Sanctum ejusdem naturae cum Patre, quia non est Filius.

222. II.ª Pars prob. 1.° Ex Florent. Conc. in Decret. *Union*. «Definimus, ut haec fidei veritas ab omnibus Christianis »credatur... quod Spiritus S. ex Patre et Filio aeternaliter est, et »essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul et »Filio, et ex utroque aeternaliter, tamquam ab uno principio et »unica spiratione, procedit.»

Vide et prioris partis theseos probationem 1.ª

223. 2.° Quod Sp. Sanctus a Patre procedat expresse legitur in SS. Lit. Vide supra (n. 17); et quidem numquam Graeci, cum qui-

(1) Jo. I, 18; III, 16.— (2) L. 3. *cont. Eunom.*— (3) Or. 2, *adv. Arian.* n. 62.— (4) Orat. 5. Theol. IX.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bus haec versatur quaestio, negarunt Processionem Sp. Sancti a Patre. Procedere etiam a Filio clare patet; ait enim Christus D. (1): *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet, loquetur. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis.* Quid autem accipiet de Christo, et quare? *Omnia quaecumque habet Pater mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet.*

Ex quibus patet 1.° a Patre procedit Spiritus Sanctus, accipitque Naturam: ergo et a Filio. 2.° Simplex est Sp. Sanctus, omniaque cum Natura divina et per Naturam habet: ergo quae a Christo accipit cum Natura accipit, ideoque ab eo procedit.

224. Confirm. Qui ab alio mittitur, ordinem ad eum habet in munere suo et actibus. Sed in divinis Personis alius nequit esse ordo nisi originis: aequalitas enim naturae alium excludit ordinem; ergo a Filio originem habet Sp. Sanctus. Valet, praeterea, factum argumentum: qui mittitur, aliquid accipit a mittente; sed cum Natura et per Naturam divinam omnia habentur; ergo Naturâ Sp. Sanctus a Filio procedit.

225. 3.° Epiphanius (2): «Non genitus... sed a Patre pro»cedens et accipiens a Filio... eadem ex substantia, eademque ex »divinitate ex Patre et Filio.» Et in *Anchorato*, (n. 8): «Spiritus Pa»tris et Filii Spiritus: non compositione aliqua, quemadmodum in »nobis anima corpusque conjungitur; sed inter Patrem et Filium »medius, ex Patre Filioque procedens, et appellatione tertius.» Et Cyrillus Alex. (3): «Spiritus veritatis nominatur; Christus »autem veritas est; et proinde procedit quoque ab illo, atque a Deo »Patre procedit.» Hilarius (4): «Loqui de illo (Sp. S.) non ne»cesse est, qui Patre et Filio actoribus confitendus est.» Ambrosius (5): «Dei Spiritus et Sp. Christi et in Patre est et in Filio, »quia oris est Spiritus. Manet enim in Deo, qui ex Deo est. Et ma»net in Christo qui a Christo accepit.» Augustinus (6): «Non »possumus dicere, quod Spiritus Sanctus et a Filio non procedat: »neque enim frustra idem Spiritus et Patris et Filii Spiritus di»citur.»

226. Objic. 1.° Ambrosius (ibid.) ait: «Sicut ille (Christus) »Spiritum misit, ita Filium Dei Spiritus misit.» Ergo nihil ex missione erui potest.

Resp. Quo sensu id dicat Ambrosius, ipse explicat: «Quasi »*Filius hominis* et unctus et missus est ad Evangelium praedican»dum.» Unde non ut Deus est et Persona divina missus est a Spiritu Sancto Christus.

(1) Jo. XVI, 13-15.—(2) *Haeres.* 62.—(3) Ep. ad Nestor.—(4) *De Trin.* l. 2.—(5) *De Sp. S.* l. 3, c. 1.—(6) *De Trin.* l. 4, c. 20.

227. Objic. 2.° De processione Sp. Sancti a Patre loquitur S. Scriptura; at silet quod a Filio procedat; *Qui a Patre procedit*, ait Christus absolute.

Resp. 1.° Si nihil de hac re in SS. Literis eluceret, sufficeret traditio.

Resp. 2.° Licet non iisdem verbis, tamen aequivalentibus, ut dictum est, hoc dogma in Scriptura habetur. Deinde intendebat Christus specialiter nomen Patris edocere, et ideo omnia ad eum referebat.

Objic. 3.° In prioribus oecumenicis Conc. nihil quoque traditum fuit de Sp. Sancti processione a Filio.

Resp. Neque de pluribus aliis fidei veritatibus quicquam fuit definitum: scilicet, cum ab Ecclesia censetur opportunum, definienda est fides.

228. Objic. 3.° Ephesinum Conc. audita Nestorii epistola, in qua processionem a Filio negabat, errorem non reprobavit, ideoque tacite Nestorii doctrinam approbasse videtur.

Resp. 1.° Negatur *consequentia*. Nam Concilium explicite approbavit epistolam Cyrilli et Synodi Alexandrinae, in qua processio Spiritus Sancti aequaliter Patri Filioque tribuitur. Quod autem non fuerint damnata illa Nestorii verba, inde potuit accidere quod aliquam veram forsan prae se ferrent intelligentiam. Nonnulli enim haeretici, ut Eunomiani, creaturam esse Spiritum Sanctum deducebant, ex eo, quod, sicut res creatae, a Verbo procederet; secundum illud: *omnia per ipsum facta sunt*. Nestorius autem aliorum plures errores in sua epistola arguebat, ut suos dissimularet. Jam vero non dixit simpliciter Nestorius, Spiritum non procedere a Filio, sed non habere existentiam per Filium: è contra, ajebat Cyrillus, procedere Spiritum S. a Filio, quemadmodum a Patre; in quo nullatenus cum creaturis poterat confundi, sicut in eo quod a Nestorio negabatur.

229. Objic. 4.° Damascenus ait (1): «Spiritum per Filium esse »dicimus, sed ex Filio Spiritum Sanctum non dicimus.»

Resp. Aliqui, hac in re, Damascenum erroris accusant: tamen non in sensu, sed modo loquendi discrepat: cum enim Pater sit principium sine principio, et Filius a Patre acceperit *Spirare*, voluit differentiam hanc Damascenus, adjunctis particulis *per* et *ex*, notare. Sat clare innuit processionem a Filio, illud: «Spiritum »per Filium esse dicimus.»

230. Objic. 5.° Si Pater sufficit ad spirandum, pro priori ad Fi-

(1) L. 1, c. 11, *de Fide*.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lium spiraret, et inutilis esset Filii Spiratio; si autem non sufficit, ergo est imperfectus.

Resp. Nego exinde esse imperfectum Patrem; non enim est imperfectio, non posse praestare quod repugnat. Spiritus S. est terminus mutui amoris; ut ait Augustinus (1), et Prosper similiter (2): «Spiritus Sanctus, Spiritus est Patris et Filii, tamquam »charitas substantialis et consubstantialis amborum.» Et Hieronymus vel alius antiquus, (in ps. 17): «Spiritus S. nec Pater »est, nec Filius, sed dilectio quam habet Filius in Patre et Pater »in Filio.»

SCHOLIA.

§ I.

Generationis divinae occulta ratio.

231. Dogmatis veritatem statuimus; nempe, Filium verum ac genitum esse secundam Trinitatis Personam, minime vero tertiam. Non pauci ex Patribus stultum esse dicunt ac temerarium inquirere hujusce differentiae rationem. Sic Ambrosius (3): «Mihi im»possibile est generationis scire secretum: mens deficit, vox silet, »non mea tantum, sed et Angelorum... Tu quoque manum ori ad»move, scrutari non licet superna mysteria. Licet scire quod natus »sit: non licet discutere quemadmodum natus sit. Illud negare mi»hi non licet: hoc quaerere metus est. Incomprehensibiliter gene»ratur Filius: impassibiliter generat Pater; et tamen ex se genera»vit, et ante omnem intellectum generavit Deus verus Deum ve»rum.» Tamen communiter conantur Auctores aliquam tradere filiationis Verbi rationem, licet in una eademque probanda non consentiant: unde nullus temerarie, cum Aureolo, sibi suadeat, *demonstrative probari generationem* Verbi; sed congruam aliquam tantum rationem inquirat, ut ejusmodi rationabile obsequium valeat fidei tribuere.

§ II.

Plures et diversae sententiae.

232. Prima sententia tradit, secundam Personam esset genitam quia procedit per intellectum, qui potentia est assimilativa; è con-

(1) L. 15, *de Trin.* c. 17 et 19.—(2) L. *sent.* 371.— (3) *De fide ad Grat.* l. 1, c. 10.

tra voluntas, per quam procedit tertia Persona. Ita multi cum D. Thoma et Scoto, etc.

2.ª autem opinio aliquid adjicit. Secunda Persona, ajunt, non solum est similis in natura, ut tertia; sed est imago primae Personae, producitur enim ad illam repraesentandam, non vero Spiritus S. Ita Vazquez, Sparza, Bannez, etc.

3.ª sententia, ut illam priorem explicet, docet; essentiam divinam in actu intelligendi formaliter consistere. Hinc Verbum *vi suae processionis* assimilatur Patri in natura: quia quodlibet agens producit sibi simile in virtute, secundum quam agit: Verbum enim per actum intelligendi producitur. Ita Suarez, et aliorum nostrorum innumeri, et recentiores Thomistae jam fere omnes.

4.ª ultimam differentiam, seu rationem, constituit in eo, quod secunda Persona suscipit naturam cum omni similitudine communicabili a Patre, scilicet, cum fecunditate; secus autem tertia Persona. Sic S. Bonaventura, Major, Muniesa, Marin, etc. Praeter dictas, aliae plures sunt opiniones, quas apud Suarez, Vazquez et alios videas.

§ III.

Ex conceptu generationis desumitur ratio.

233. Lucem afferre debet, ad quaestionem hanc aliquatenus intelligendam, generationis communiter suscepta definitio: «Origo »viventis a vivente, ut a principio conjuncto, in similitudinem na»turae.» Dicitur origo *viventis* a *vivente;* quia generatio, late intellecta, dicitur etiam de productionibus substantiarum non viventium. Additur, ut a *principio conjuncto;* quia filius cum patre conjungitur de ipsius substantia recipiens. Denique in *similitudinem naturae;* quia hic debet esse terminus per se actionis seu originis, ut haec sit generatio, et terminus sit filius.

Unde incrementum ex virtute nutritiva ortum, non est nisi pars viventis, non *vivens* simpliciter. Vermis ex viventis corruptione aliqua natus, non est in similitudinem naturae partialiter corruptae, sed illius tantum principii unde fuit germinatus.

234. His positis, elucet in processione Verbi specialis ratio filiationis. Nam intellectio est actio assimilativa: si ergo sit productiva, erit productiva similis termini; si sit infinita, ut intellectio et ut productio, et terminus erit infinitae similitudinis, ideoque ejusdem naturae cum intelligente infinito, et filius illius.

Haec, pro temporis angustia, sufficiant. V. Suarez, de *Trinit.* l. 9. Ruizium, Disp. VI. de *Trinit.* et alios laudatos AA.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ARTICULUS IV.

De respectu Spiritus Sancti ad Patrem et Filium.

THESIS XXIV.

Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedit, ut ab unico principio.

235. **Nota.** Plures graeci, cum Photio, opponunt dogmati de processione Spiritus S. a Filio, quod duplex habebit Spiritus S. principium: ejusmodi *consequens* damnavit Ecclesia et fidei adversum declaravit.

Prob. 1.° In primis vide in Thes. praec. verba Florentini Conc. in *Decreto Unionis*. Prius et definiverat Lugdun. Conc. «Nos damnamus et reprobamus omnes, qui, temerario ausu, asse»runt, quod Sp. Sanctus ex Patre, et Filio, tamquam ex duobus »principiis procedat. Definimus, quod Spiritus Sanctus a Patre et »Filio aeternaliter, tamquam ab uno principio et unica Spiratione, »procedat.»

236. 2.° Athanasius (1) ait: «Unum esse principium Deita»tis, non duo... Verbum non quasi alterum principium.»

Et Augustinus (2): «Sicut Pater et Filius unus Deus, et ad »creaturam relative unus Creator, sic relative ad Spiritum Sanctum »unum principium.» Isidorus (3) ait; unitatem Spiritus S. postulare, ut sint unum illi a quibus procedit. Sic Anselmus, in *Monol.* c. 52, ut supra (156) habetur.

3.° Ratio theologica fluit ex dictis (ibid.). Nam principium, *quo* Pater et Filius spirant, est unum, essentia, scilicet. Deinde relatio, qua referuntur ad Spiritum S. est una etiam, ut probatum fuit (n. 55). Atqui nequit esse multiplex principium, et multiplex spirator, ubi una est virtus realis producendi, una realis spirandi relatio; ergo unum est Spiritus Sancti principium.

237. Objic. 1.° Pater est principium Sp. Sancti; Filius etiam, ut supponitur: sed Pater et Filius sunt duo: ergo duo principia.

Resp. 1.° Eodem argumento probares esse duos Creatores, et duos Deos.

Resp. 2.° Dist. *maj.* Pater est principium *quod,* et similiter Filius; conc. Principium *quo;* nego. Deinde negatur *consequentia.* Cum enim pluraliter dicuntur substantiva, non tantum principium

(1) Or. 5, *contr. Ar.*—(2) L. 5, *de Trin.* c. 14.—(3) L. 1, *Sent.* c. 15.

quod seu supposita multiplicantur, sed etiam formae seu principium *quo*. Vide supra (n. 169, Reg. III.ᵐ).

Objic. 2.° S. Hilarius Patrem et Filium appellat *Auctores* Spiritus Sancti: ergo plura sunt principia.

Resp. Dist. seu explico Hilarii dictum; quatenus Auctor *adjective* sumitur; conc. *Substantive* sunt Auctores; nego. Vide iterum Reg. III.ᵐ (ibid.).

238. Objic. 3.° *Per* Filium multi Patres procedere Spiritum S. a Patre dicunt, illumque immediatum, Patrem vero mediatum esse principium. Sed nequeunt esse *unum*, si alterum mediatum, alterum vero immediatum principium dixeris; ergo Pater et Filius non sunt unum Sp. Sancti principium.

Resp. Dist. et explico *majorem*. Spiritus S. procedit *per* Filium, et Filius est immediatum principium, quatenus Ipse procedit a Patre prior origine quam Sp. Sanctus; conc. Quasi Spiratio per Filium formaliter sumpta sit media inter Spirationem Patris, et non eadem realiter; nego. Scilicet Pater duplici titulo potest dici spirare; primo, quia immediate et directe simul et communiter cum Filio spirat: secundo, quia hanc spirationem virtutemque spirandi accepit Filius a Patre. Cum ergo secundus hic titulus praecise consideratur, concipitur et dicitur quod Pater est principium mediatum: quod si *exclusive* dicatur, falsum asseritur; sin vero *praecisive* tantum, concedi potest.

Nota: inde intelligi potest, quo sit sensu accipiendum quod nonnulli, cum Augustino, dicunt; «Spiritum Sunctum procedere »*principaliter* a Patre:» respiciunt, nempe, ad secundum illum spirandi titulum, de quo dictum est in hac postrema objectione.

SCHOLION.

239. Non levis existit in Scholis disceptatio ex catholico dogmate de Processione Sp. Sancti orta. Nam D. Thomas, S. Bonaventura, Molina, Suarez, aliique plures, censent quod Sp. Sanctus a Filio non distingueretur, nisi ab eo procederet. Alii cum Scoto, è contra, defendunt, distinctionem utriusque Personae extituram, licet illa non existeret processio.

240. Prior sententia omnino tenenda. Commune enim effatum est, in divinis omnia esse unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio. Atqui spiratio passiva non opponeretur Filio, si ab eo non procederet: ergo Filius et Spiritus S. essent unum. *Major* constat ex PP. Florentinis, eo utentibus fundamento adversus graecorum errorem; ex Toletanis etiam et Wormatiensibus in Professione fidei, et multorum aliorum Patrum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

testimoniis. Praeterea, id exemplo confirmatur ex eadem Trinitate desumpto. Relatio Aspirationis activae, cum realis sit et distincta realiter ab Aspiratione passiva; tamen non distinguitur a Paternitate et Filiatione, licet ab iis in natura relationis differat, non minus quam ejus correlatio opposita. Unde cum nulla alia hujusce identitatis eluceat causa, praeter illam dictam, quod non opponatur relative Aspiratio activa Patri et Filio; idem quoque accideret, si Spiratio passiva non esset a Verbo, tamquam a termino opposito, seu active spirante, orta.

241. Confirm. Si Filius et Spiritus S. invicem negarentur, seu distinguerentur, et non propter ipsius relationis formalem oppositionem, scil., quia Spiritus S. est Spiratus et Filius spirans; distinctio oriretur formaliter ex limitatione. Nam ad invicem ita se haberent Filius et Spiritus S., ac res absolutae; cum autem duo absoluta distinguuntur, vel unum, vel ambo limitibus circumscribuntur.

242. Dices cum Scoto: processio per intellectum, et processio per voluntatem, postulant ex se terminos, ideoque relationes diversas seu disparatas. Sed ut distinguantur relationes, sufficit quod habeant formaliter esse diversum seu disparatum: ergo cum Verbum procedat per intellectum, et Spiritus S. per voluntatem, hoc praecise sufficeret ut distinguerentur.

Resp. neg. *min*. Nam ex se magis disparata et formaliter diversa sunt absolutum et relativum, quam duo relativa: tamen absolutum et relativum identificantur in Deo, nempe, Essentia et Personae; ergo non sufficit sola disparitas formalis ad realem distinctionem.

243. Unde cum aliqui Patres vel Doctores ex diverso origine Filii et Spiritus Sancti inferunt eorum distinctionem, supponitur ab illis ordo, quem ad invicem naturaliter habent et exigunt tales origines. Si enim origo Sp. Sancti non esset a Filio, Spiritus Sanctus non procederet per voluntatem, aut Filius per intellectum; quod si procedit Filius per intellectum et Sp. Sanctus per voluntatem, consequenter et unus ab alio procedit et invicem distinguuntur.

244. Objic. 2.° Amor creatus non procedit a verbo creato, et tamen ab invicem distinguuntur: ergo idem accideret, etsi Spiritus S. non procederet a Verbo divino.

Resp. Nego paritatem. Nam amor creatus, et verbum creatum actus finiti sunt et habent objecta distincta, et procedunt a potentiis distinctis et finitis, quae satis superque distinguunt: at in Verbo et Amore infinitis, a virtute simplice et infinita procedentibus, et in objectum idem et infinitum versantibus, non est, praeter originem, alia distinctionis ratio.

245. Objic. 3.° Quaecumque distinguuntur, per ipsa sua constitutiva debent distingui (supra, n. 134): ergo licet ab invicem non procederent, haberent in proprietatibus suis constitutivis sufficientem et formalem distinctionis rationem.

Resp. Conc. *ant*. et nego *consequentiam*, et suppositum. Nam ipsa constitutiva Personarum involvunt formaliter vel virtualiter *respectus ad* invicem.

Inst. Filius, qua *Filius*, est realiter distinctus a Spiritu Sancto. Atqui Filiatio, ut talis, non dicit originem seu *respectum ad* Spiritum Sanctum: ergo, hoc respectu sublato, maneret distinctio.

Resp. Dist. *min*. Non dicit originem et *respectum ad* Spiritum S. virtualem; nego *min*. Formalem; subd. Per modum relationis; conc. Per modum termini; nego *min*.

246. Tales sunt, intrinsece et constitutive, singulae proprietates relativae, quales exigit fecunda Essentia, in qua fundantur. Sic Paternitas, quae est conditio requisita ad totam divinam fecunditatem, est intrinsece formalis relatio et terminatio respectu Filiationis, item virtualis relatio et formalis terminatio respectu Spiritus Sancti. Filiatio autem, quae est formalis participatio divinitatis per intellectum, et conditio requisita ad comunicationem ejusdem deitatis per voluntatem, est formalis relatio ad Patrem et virtualis relatio et formalis terminatio respectu Spiritus Sancti. Illa vero Patris et Filii virtualis relatio ad Spiritum Sanctum, evadit formalis per Spirationem activam, quam exigunt, et quae in utroque resultat spirando.

Ex quibus elucet non posse constitutivam Filii proprietatem subsistere, ideoque distingui, sublata Spiritus Sancti processione ab eodem.

THESIS XXV.

Spiritus S. est, proprietate sua, Amor et Donum.

247. **Nota**: amor et charitas generatim significant actum essentialem Dei, ut ex dictis (Disq. IV, n. 225) elucet: potest tamen et de personali proprietate tertiae Personae dici.

I.ª Pars prob. Spiritus S. procedit per voluntatem, ut supra dictum (1); ergo sicut Filius est personaliter Verbum, quia procedit per intellectum; ita Sp. Sanctus est, personali proprietate, Amor. Vide nonnulla Concil. et Patrum testimonia (ibid.) alibi laudata.

248. **Coroll. I.m** Amor notionalis supra amorem essentialem includit tertiam Proprietatem personalem, cui communicatur Essentia quatenus amor est, ut in illa subsistat.

---

(1) Thes. III, n. 23.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®

Coroll. II.m Spiritus S. respicit Patrem et Filium, non solum ut sunt unum principium et una relatio, seu aspiratio activa; sed etiam ut duae sunt Personae terminantes formaliter suam processionem. Inde a Patribus et Doctoribus theologis dicitur Sp. Sanctus, *medius* inter Patrem et Filium, Amor mutuus, quo se diligunt Pater et Filius; non quasi ipsa Proprietas Spiritus Sancti sit amor quo se amant; sed quod se amando tantum emittunt Bonum, in quo ipse amor substantialis, quo se amant, subsistit.

249. II.ª Pars prob. 1.° Augustinus passim id docet: sic (1) ait: «Spiritus S. propria significatione, qua etiam Donum Dei dici»tur, nec Pater, nec Filius est.»

2.° In ratione doni duplex respectus notatur; et boni, et ab amore procedentis tamquam radice. Sed Spiritus S. summum est bonum ab amore ortum; ergo et Donum.

250. Objic. 1.° Donum subjicitur donatori, et donatario: ergo convenire nequit hoc nomen Sp. Sancto.

Resp. Donum creatum; conc. *ant.* Increatum; nego. Hoc Donum per simplicem originem procedit in identitate essentiae; ideo abest omnis imperfectio.

Objic. 2.° Donum alicui donatur; sed Persona divina nulli necessario donatur; nomen ergo Doni, non est proprium.

Resp. Dist. *maj.* Actu vel aptitudine; conc. Actu praecise et necessario; nego.

SCHOLION.

251. Aliis nominibus metaphoricis laudari solet Sp. Sanctus, 1.° *Digitus* Dei dicitur: ut consubstantialitas ejus eluscescat; et processio etiam, quia a manu robur accipit digitus; et multiplex indicetur per Spiritum Sanctum illustratio, quasi digito nos ducens et illuminans. 2.° *Nexus. Vinculum, Signaculum:* quia in Trinitate, uti Amor, est inter Patrem et Filium medius et numerum complet Personarum; et creaturas gratia Deo conjungit; easdemque, inter Dei filios, signat et beatae aeternitatis haeredes constituit. 3.° *Unguentum, Oleum, Unctio* a SS. Patribus quoque dicitur Sp. Sanctus; quia diffundit charitatem, roborat et recreat, et signum ac fons est illius Spiritualis Sacerdotii et Regni, cujus participes fiunt, qui per Spiritum S. cum Christo copulantur. 4.° *Virtus* dicitur *Altissimi;* quia fortitudinem praebet: *Ignis;* quia a pravis purgat affectibus, illuminat superna sapientia, castis inflammat desideriis. *Aqua;* quatenus terrenam extinguit concupiscentiam, et sitim explet ve-

(1) L. 7, *de Trinit.* c. 4.

rorum bonorum; peccatorum lavat immunditiem, et, veluti mare, inundat et replet credentium corda.

Alia plura nomina, apud Patres et Theologos, divitias Spiritus Sancti significantia reperies.

THESIS XXVI.

Mittere convenit Patri et Filio; mitti autem tum Filio, tum Spiritui Sancto.

252. 1.° *Misit Deus Filium suum Unigenitum in mundum... ut salvetur mundus per ipsum* (1). *Paraclitus Spiritus S. quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia* (2). *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre* (3).

253. 2.° Duo postulat in divinis, ex communi theologorum sensu, Missio: missae Personae Processio a mittente; aliter ordo, quem dicit Missio non existit; et aliquod munus ad extra vel effectus, quo praesentia exigitur Personae quae mittitur. Atqui haec concurrunt in Filio respectu ad Patrem, cum carnem sumsit; et in Spiritu Sancto in ordine ad Patrem quoque et Filium, in sanctificatione animarum: ergo mittere Patri convenit et Filio: et mitti tum Filio tum Spiritui Sancto.

ARTICULUS V.

De Circuminsessione.

THESIS XXVII.

In qualibet divina Persona insunt aliae Personae, ita ut, earum tota fulgeat perfectione; quod Circuminsessio dicitur.

254. **Nota**: est haec doctrina certa, communis, ad fidem pertinens. Non solum inest una Persona in alia, ratione essentiae, sed totaliter, etiam quoad suam proprietatem.

1.° *Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est?... Pater in me manens ipse facit opera* (4).

2.° Athanasius (5): «Eumdem ordinem, eamdemque natu»ram habet Spiritus erga Filium, qualem Filius erga Patrem... Ut

(1) Jo. III, 17.— (2) Ibid. XIV, 26.—(3) Ibid. XV, 26.—(4) Ibid. XIV, 10. — (5) Ep. 1. ad Serap. 21.

UANL UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»Filius, qui in Patre est, in quo etiam est Pater, non est res crea»ta... Ita et Spiritum S. qui in Filio est, et in quo Filius est, inter »res creatas collocare... nefas omnino erit.»

Ambrosius (1): «Sicut Pater in Filio et Filius in Patre, ita »Dei Spiritus et Spiritus Christi et in Patre est et in Filio.» Ita passim SS. loquuntur Patres.

3.° Quaelibet Persona est idem, ejusdemque immensitatis, cum Essentia. Ergo necessario et ubique, una Persona inest et fulget in alia simul cum Essentia.

(1) *De Sp. Santo*, l. 3, c. 1.

DISQUISITIO VI.

DE DEO CREATORE

seu

Secundun emanationem ad extra.

Cum de Deo, *secundum se*, juxta christianam dixerimus doctrinam, oportet secundum respectum ad creaturas de Illo disserere: inde namque juvari debet theologus, ut in divina scientia proficiat: *a magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator eorum videri* (1). Tria in rebus universim cernimus: esse, agere seu movere, et pati seu moveri; effectus autem indicium existunt *virtutis*, qua causa operatur: in quatuor ergo capita hanc partimur disquisitionem.

DIVISIO GENERALIS.

Caput I. De Deo, ut causa existendi.
— II. De Deo, ut concausa, seu cum creaturis operante.
— III. De Deo, ut providente et creaturas movente.
— IV. De Deo, secundum ipsam ad extra operandi virtutem.

CAPUT I.

De Deo, ut causa existendi.

ARTICULUS I.

De Deo, ut est causa efficiens essendi.

THESIS I.

Deus est omnium rerum causa efficiens essendi, seu existendi.

I. Doctrina, quam hic tuemur, est fide certa: de modo autem quo est Deus causa malorum, infra dicetur.

(1) Sap. XIII, 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»Filius, qui in Patre est, in quo etiam est Pater, non est res crea»ta... Ita et Spiritum S. qui in Filio est, et in quo Filius est, inter »res creatas collocare... nefas omnino erit.»

Ambrosius (1): «Sicut Pater in Filio et Filius in Patre, ita »Dei Spiritus et Spiritus Christi et in Patre est et in Filio.» Ita passim SS. loquuntur Patres.

3.° Quaelibet Persona est idem, ejusdemque immensitatis, cum Essentia. Ergo necessario et ubique, una Persona inest et fulget in alia simul cum Essentia.

(1) *De Sp. Santo*, l. 3, c. 1.

DISQUISITIO VI.

DE DEO CREATORE

seu

Secundun emanationem ad extra.

Cum de Deo, *secundum se*, juxta christianam dixerimus doctrinam, oportet secundum respectum ad creaturas de Illo disserere: inde namque juvari debet theologus, ut in divina scientia proficiat: *a magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator eorum videri* (1). Tria in rebus universim cernimus: esse, agere seu movere, et pati seu moveri; effectus autem indicium existunt *virtutis*, qua causa operatur: in quatuor ergo capita hanc partimur disquisitionem.

DIVISIO GENERALIS.

Caput I. De Deo, ut causa existendi.
— II. De Deo, ut concausa, seu cum creaturis operante.
— III. De Deo, ut providente et creaturas movente.
— IV. De Deo, secundum ipsam ad extra operandi virtutem.

CAPUT I.

De Deo, ut causa existendi.

ARTICULUS I.

De Deo, ut est causa efficiens essendi.

THESIS I.

Deus est omnium rerum causa efficiens essendi, seu existendi.

I. Doctrina, quam hic tuemur, est fide certa: de modo autem quo est Deus causa malorum, infra dicetur.

(1) Sap. XIII, 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Prob. 1.° Vaticanum Conc. definivit (1): «Si quis non con»fiteatur, mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spiri»tuales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex »nihilo esse productas: anathema sit.» In symbolo fidei Constant. credimus in «Deum... factorem coeli et terrae, visibilium »omnium et invisibilium.»

2.° Testantur et sacrae Litterae: *Omnia per ipsum facta sunt* (2), ait sanctus Joannes; et Paulus (3): *Quoniam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia.* Et primi fideles (4) orantes ajebant, cum David propheta: *Domine, qui fecisti coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt.* Denique notum est, initio Scripturae sacrae, describi rerum omnium productionem (5): *Vidit Deus cuncta quae fecerat.*

2. 3.° Cum adeo aperta haec christiana fides eluceat, rem inanem perficere videremur, si Patrum cumularentur testimonia: sat erit solemne S. Justini laudare dictum, ex Apologia ad Imperatorem Titum Antoninum: «In omnibus oblationibus laudamus Crea»torem omnium per Filium ejus J. C. et per Spir. S.» «Quis igitur »sanae mentis homo non fateatur, atheos nequaquam nos esse, qui »opificem hujus universitatis colimus.... laudantes pro creationis »beneficio... precibus eum exorantes, ut rursum incorrupti fia»mus?» Et in Dialogo cum Triph. «Nec alius umquam erit Deus, o »Tripho, nec alius a seculo extitit, praeter eum, qui hanc uni»versitatem fecit ac disposuit.» Haec nempe semper christianorum fuit fides: «Solus Deus nullius indiget... Solus Deus non factus... »cunctarum rerum causa, est bonitas ipsius,» ait S. Ephrem (6).

4.° Perspicuam hujus, tum theologicae, tum philosophicae, doctrinae, exhibet rationem Angelicus Doctor (7). Solus Deus est ens per essentiam suam, seu a se. Atqui omne ens per participationem, seu quod non est a se, nequit actu existere nisi fiat ab alio; ergo res omnes, praeter Deum, actu existentes, et quae unquam extiterunt, aut existent, oportet ut a Deo procedant tamquam a causa efficiente. *Majorem* supra (8), solido argumento, ostendimus.

3. Obj. Id quod praesupponitur effectioni, nequit esse effectum (9). Atqui cuilibet effectioni aliquid praesupponitur: ergo non potest Deus omnium esse causa efficiens. *Min.* prob. Per quamlibet effectionem non emanat a causa nisi aliquod *esse:* «Fieri ordinatur »ad *esse* rei (10).» Atqui *esse* praesupponit aliquam essentiam: ergo

(1) C. *Dei Filius*, cap. I, de Deo, creatore, can. 5. — (2) Jo. I, 3. — (3) Rom. XI, 36. — (4) Act. IV, 24. — (5) Gen. 1, 31. — (6) *Confessio* S. Ephrem. — (7) P. 1, q. 44, a. 1. — (8) Disq. IV, thes. VI. — (9) S. Th. P. I. q. 45, a. 2. — (10) P. I. q. 45, a. 4.

cuilibet effectioni aliquid praesupponitur. *Maj.* prob. Nihil effici potest in genere, sed tantum in singulari: ergo per quamlibet effectionem non emanat nisi aliquod *esse:* «unde illis proprie convenit »fieri et creari quibus convenit *esse:* quod quidem convenit proprie »subsistentibus (1).»

Min. patet etiam. Ait enim S. Thomas (2): «Ipsum esse »comparatur ad essentiam, quae est aliud ab ipso, sicut actus ad »potentiam.» Ergo quodlibet *esse* quod fit, praesupponit essentiam, quae necessario prior est, sicut potentia est prior actu.

Nec dicas, *simul* fieri *esse* et essentiam: nam licet possis id aliquatenus intelligere, quod simul *tempore* fiant, non tamen simul *natura:* prioritate enim *naturae*, ideoque a parte rei, prior est potentia quam actus.

4. Resp. Nego *minorem* primi syllogismi. Deinde, distinguo *minorem* secundi: quodlibet *esse* praesuponit aliquam essentiam *realiter* ab eo distinctam; nego *minorem:* distinctam tantum secundum intellectum; concedo. Denique, pari modo, distinguo *minorem* tertii syllogismi: *esse* comparatur ad essentiam sicut actus ad potentiam, distinctam tantum secundum intellectum; concedo *minorem:* distinctam realiter; nego, vel si mavis, subdistinguo: si *esse* comparetur ad essentiam postquam facta est, distinguuntur *realiter:* nego: si *esse* comparetur ad essentiam, antequam haec fiat, seu cum tantum *objetive* erat in mente divina, distinguuntur realiter; concedo *minorem*, et nego *consequentiam*. At, hoc quidem modo, si essentia conferatur, postquam jam est facta, cum semetipsa antequam fiat, et est objetive tantum in Deo, distinguitur etiam realiter a semetipsa; sicut esse factum distinguitur realiter a nihilo et a Deo: haec autem *realitas* non est ex parte utriusque extremi comparationis, nisi cum Deo fiat comparatio; nam *nihil* non est quid reale. Sic ergo essentia, praecisione facta ab *esse*, seu antequam sit, distinguitur realiter ab *esse;* realitate desumpta solum ab *esse:* praeter hanc enim non habet aliam nisi *objectivam* in mente divina.

Haec est vera ac genuina S. Thomae doctrina, quam nonnulli miris obscurant cavillationibus.

5. Obj. 2.° Alio argumento metaphysico et abstractiori, e Divo Thoma (3) deprompto, ostendi videtur essentias rerum non fieri a Deo. «Unumquodque est per suum esse.» Quod igitur non est suum esse, non est *per se* nec *necesse esse*, nec *contingenter esse*. Atqui essentiae rerum a Deo factarum non sunt suum esse: ergo

(1) P. I, q. 45, a. 4. — (2) P. 1, q. 3, a. 4. — (3) *Contra Gentes*, l. 5, c. 22.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non sunt, *per se*, *contingenter esse*, adeoque fieri a Deo nequeunt; neque *necesse esse*, et consequenter non sunt.

Major, praeterquam quod est evidens, quasi principium, a *S. Thoma* traditur.

Resp. ergo, negando *min.* vel etiam distinguendo, ut inde magis eluceat nuper tradita praecedentis objectionis explicatio. Essentiae rerum a Deo factarum non sunt suum esse *objectivum:* concedo; non sunt suum esse *reale;* nego *minorem*.

Unde, nego, vel distinguo *consequens:* essentiae rerum non sunt, per se, *contingenter esse* quoad suum esse *objectivum;* concedo: quoad suum esse *reale;* nego *consequentiam*.

6. Iterum ergo elucet quae gravissima sequantur, ex ista prava doctrinae S. Thomae interpretatione, corollaria. Poteris, insuper, ex hac responsione intelligere cujusdam recentis et clari philosophi doctrinam (1): «Esse (existentia) est effectus divinae vo»luntatis; haec determinat actum primum. Verum ordo ipsorum »entium et eorum essentia provenit ex intellectu divino, ex ideis »archetypis, in quibuis objective inveniuntur rerum essentiae... In »actu creante considerare oportet potentiam, quae dat actum pri»mum essendi, et insuper ideam, quae simul determinat actum is»tum in una vel alia essentia.» Quae quidem si de rerum essentia in sua realitate intelligeres, haberes pantheismum purum; si vero ad essentias in Deo *objective* conceptas referas, intelliges veram et unicam distinctionem inter essentiam et existentiam. Quomodo, sane, potest *realis essentia* fingi a potentia et voluntate divina independens, nisi quid divinum illa sit? Quo pacto potest actum primum (existentiam) idea archetypa determinare? potest quidem remote et in mente Dei, minime autem proxime et formaliter. Distinctio ergo realis, non inter essentiam et existentiam actu creatas invenitur, sed inter essentiam existentem, seu creatam, et essentiam *objective* in Deo perpensam.

SCHOLION.

7. Vide mentem S. Thomae disserte expositam, juxta Suarezium, in ephemeride La Civiltá (2): «Necessum est asse»rere, quod per creationem assequatur essentia *esse reale*, et hoc »*unicum* habere *esse reale*, cum aliud ab aeterno non habuerit esse, »nisi *objetivum* in mente divina.» Et iterum ait (ibid. p. 702): «Per »istam existentiam *objetivam* essentiae, praecedentem ad realem »existentiam, non inconvenienter dicitur, rem accipere esse.» Vi-

(1) *La Civiltá Cattol.* Series 12, tom. 6, pag. 315.—(2) Series 12, t. 5, pag. 703.

deas ergo non oportere quod habeat essentia realitatem actualem ab *esse*, seu ab existentia, distinctam, ut comparetur ad *esse* sicut potentia ad actum: «Essentia est cujus actus est esse.» Ideo recte concluditur (ibid): «Omnis difficultas evanescit, dummodo velimus »considerare quod ipsa rerum essentia, quae in *esse objectivo* con»sideratur (in mente divina), recipit esse *reale* a causa efficiente.» Est ergo conficta ista *realitas* essentiae distincta et interposita, quae aliud sit ab essentia *objectiva* et *esse* reali.

8. Ex alio capite doctrinam S. Thomae penitus subvertunt qui istas duas actuales realitates (essentiae et existentiae) inducunt; statuit enim, tanquam primum et evidentissimum principium: «Nulla res sufficit ad hoc quod sit sibi causa essendi, si habeat esse »causatum (1).» Utique non sufficit; quia realitas ipsius *esse* non praesupponit in rebus aliam realitatem. Verum hoc S. Doctor ignorabat, quod quidam (qui appellari thomistae cupiunt) adinvenerunt; scilicet, praeter ipsius esse seu *existentiae* realitatem, dari in rebus *realitatem* essentiae, et quidem priorem prioritate naturae, nam *potentia* prior est suo *actu*. Quid ergo obstat quominus *esse* causetur «a principiis essentiae, sicut accidentia propria conse»quentia speciem» causantur (2)? Scio quid respondebit Angelicus: negabit fictionem istam dicens: «Quia esse est actualitas »omnis formae vel naturae.» Si ergo ista realitas essentiae est actualis, et extra esse *objectivum* mentis divinae, inanis et fictitia est alia realitas ipsius esse seu existentiae; ideoque si *esse* essentiae est causatum, causata quoque est ipsa essentia, nec sufficit ut sit sibi causa essendi: «Terminus ad quem creationis est tota substan»tia rei (3).»

9. Hinc, in hypothesi quod in Deo esse et essentia non essent objective idem, arguit D. Thomas (4): «Oportet quod vel esse hu»jusmodi dependeat ab essentia, vel utrumque ab alia causa, vel »essentia ab esse.» Cur autem non potest esse Dei ab essentia pendere? Ipse probat: «quia esse Dei *per se* necesse est esse.» Atqui id non obstat in esse creato, cum *per se* sit contingens; ergo ab essentia pendere poterit. Insuper ait (5): «Essentia rei vel est res ipsa, »vel se habet ad ipsam alioquo modo ut causa; cum res per suam »essentiam speciem sortiatur: sed nullo modo potest esse aliquid »causa Dei, cum sit primum ens.» Atqui esse creaturae non est ens primum; ergo ab essentia causari poterit, si distinguatur.

Nec dicas: fingere nos divisionem inter essentiam et existentiam: minime fingimus, sed cogitamus quod vos fingitis, scilicet, esse

(1) L. 2, q. 3, a. 4.— (2) Ibidem. — (3) P. I. q. 45, a. 1, ad 2.—(4) *Contra Gent.* l. 1, c. 22.—(5) *Contra Gent.* l. 1, c. 21.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

realitates, etsi unitas, tamen distinctas; et inde argumentamur, sicuti D. Thomas argumentabatur. Volebat enim excludere a Deo eam distinctionem, vi cujus esset in Deo quidquam, sive esse sive aliud, quod non intraret in *definitionem ipsius;* id est, distinctionem *objectivam:* a fortiori ergo possumus nos argumentari de essentia et existentia, quales eas fingitis, scilicet realiter distinctas, etsi unitas; unio enim non tollit mutuam dependentiam, ac distinctionem.

10. Denique, ex alio etiam S. Thomae principio perspicuum est non agere de reali, sed de *objectiva* tantum essentia cum dicit, comparari esse ad essentiam uti actus ad potentiam. Ait enim: «Illud quod est proprie effectus Dei creantis, est illud quod praesupponitur omnibus aliis, scilicet *esse* absolute (1).» Item, ut ostendat esse infinitam potentiam creandi ait: «Oportet quod virtus »agentis ex nulla praesupposita potentia, quale agens est creans, »sit infinita; quia nulla proportio est nullius potentiae ad aliquam »potentiam, quam praesupponit virtus agentis naturalis, sicut et »non entis ad ens.» Atqui haec falsa sunt, et falso nituntur supposito, si existentia seu esse quod dat creatio, in essentia recipitur et unitur realiter a se distincta: hoc enim concesso, essentia praesupponitur existentiae, et consequenter datur aliqua realis proportio potentiae ad actum, nec se habent ad invicem ut non ens ad ens. Praeterea, exinde evanescit unica, qua nititur S. Doctor, ratio ut ostendat non posse ullam causam creatam cooperari instrumentaliter ad creandum: «cum creatio non sit ex aliquo praesupposito »quod possit disponi per actionem instrumentalis agentis.» Evanescit, inquam, ratio haec, si essentia se habeat tanquam potentia realiter distincta ab existentia, seu esse, quod in illa recipitur: poterit enim actio creaturae terminari ad essentiam quae finita est, et prior prioritate naturae, et inde eam disponere ad suum actum, scilicet ad *esse*, seu existentiam.

Unde videtur haec opinatio inducta, ut doctrinam S. Thomae penitus pessumdet ac evertat.

11. Confingunt etiam isti, in eo differre Deum a creaturis, quod Deus sit *actus purus* per essentiam, creaturae autem sint actus realis seu *esse*, et potentia realis seu *essentia;* et inde non sunt actus purus. Haec illi. At falluntur: alia est magisque transcendentalis vera Dei a creaturis differentia: «Cum dicitur Dei essentia actus »purus, indicatur quod sit entitas cui repugnat omnis potentialitas, »id est, potentialitas *objectiva* et potentialitas passiva cujuscumque »generis (2).» E contra creaturae; nam cum non sunt, possunt es-

(1) I. p. q. 45, a. 5.—(2) La *Civiltà*, series 10, tom. 4, pág. 280.

sentialiter esse; en potentia *objectiva:* cum autem existunt, possunt essentialiter non esse, seu reduci eorum actus ad potentiam *objectivam:* et insuper possunt *passive* mutari sine termino.

Unde nulla mens concipere, nemo, nisi sibi contradicere velit, potest concedere, quod differentia ultima et transcendentalis inter Deum, et creaturas reponenda sit, in distinctione actuali reali inter realitatem existentiae et realitatem essentiae. Cito enim tibi cogitanti occurret: in quo ergo differt a Deo realitas *esse* creati? Et realitas *essentiae* creatae, in quo discrepat? Excogitare in ipso *esse*, et fingere in ipsa *essentia* novam compositionem ex actu et potentia, nisi desipias, non valebis. Altior ergo et intimior et magis transcendentalis est differentia: scilicet, tum *essentia*, tum *esse* rei creatae in potentia sunt objectiva ex se, seu antequam actu creentur; creata autem et in actu constituta possunt ad *potentiam* reduci *objectivam;* Deus autem est actus seu *esse, quod est per se necesse esse* (1).

THESIS II.

Rerum, quae per actionem affectae sunt creativam, solus Deus causa existit.

12. **Nota I.** Ex proxime positis et probatis constat quidem rerum universitatem a Deo procedere, tamquam a prima causa efficienti; utrum autem procedant res a Deo mediate, an vero inmediate, non inde clare patet: existimare namque quis potest, effecisse Deum causam vel causas aliquas, et per easdem dein cetera condidisse; sic, ex. gr., ferrum igne calefacum aut ignitum, cetera deinde calefacit, aut ignita reddit. Ideo hac de re exquirere opus est: nam Durandus arbitratus est, Deum potuisse res omnes mediate solum efficere: quod sic reapse evenisse, antiqui quidam docuerunt haeretici et pagani philosophi.

Nota II. Unum existere tantummodo ens ab intrinseco necessarium ac, consequenter, improductum, supponimus (2): inde colliges, non potuisse res omnes contingentes ex aliis educi et fieri, sed aliquas, vel aliquam saltem, debuisse ex nihilo, tum sui tum subjecti, effici, seu (voce propria) creari. Hac ratione saltem, fide certum est, rerum universitatem fuisse a Deo creatam; scilicet, ad primam rerum respiciendo originem.

Nota III. Quidquid censuerit Durandus, certam existimamus, imo et de fide, thesim hanc; quamlibet, nempe, rem creatam inmediate a Deo solo prodiisse, *quatenus creatam*.

(1) *Contra Gentes*, l. 5, c. 22.—(2) Disq. IV, Thes. IV.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

13. Prob. 1.° Vaticanum Conc. (1), antiquorum conciliorum et fidei symbolorum doctrinam confirmans, docet: «Hic solus »Deus omnipotenti virtute... ab initio temporis utramque de nihilo »condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videli»cet et mundanam, ac deinde humanam, quasi communem ex spi»ritu et corpore constitutam.»

Quibus verbis, sensu obvio acceptis, tribuitur Deo *exclusive* universitatis rerum creatio: primo *universitatis rerum;* «utramque »creaturam spiritualem et corporalem:» secundo, *creatio;* «de nihi»lo condidit:» denique *exclusive:* «omnipotenti virtute, et ab initio »temporis, solus.»

Eâdem fere confirmat sententia Conc. Lateran. IV. «Firmi»ter credimus et simpliciter confitemur, quod unus est verus Deus... »creator omnium visibilium et invisibilium, spiritualium et cor»poralium: qui sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis »utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corpora»lem: angelicam videlicet et mundanam: ac deinde humanam, qua»si communem ex spiritu et corpore constitutam.»

2.° Scriptura S. soli Deo rerum tribuit creationem: *In principio creavit Deus coelum et terram* (2). *Domine, tu es qui fecisti coelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt* (3). Et Isaias: *Ego sum Dominus, faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum* (4): Apostolus denique ait (5): *Qui autem omnia creavit Deus est.* Et Joannes (6): *Tu creasti omnia.*

14. 3.° SS. Patres adeo Dei propriam credunt esse creationem ut, inter attributa Dei, creatorem esse praedicent, ac consequenter. Filii Dei et Spiritus Sancti divinitatem probent, quia iisdem asseritur rerum creatio. Unde Athanasius (7) ait: «Patrem aeternum esse, »immortalem, Regem omnipotentem, Deum, Dominum, Creato»rem:» et in hoc... discerni Verbum a rebus creatis (Disq. V, n. 65, pag. 159). Sic et Chrysostomus valide contra Arianos argumentatur (8): «Cum dixisset *et Deus erat Verbum*, nequis putaret »minorem esse divinitatem Filii, subinde certa germanae ipsius di»vinitatis indicia ponit, dum et aeternitatis iterum meminit, et pro»creandi vim adjicit: *et sine ipso factum est nihil quod factum est.* »Quod quidem et ipsius Pater per prophetas, ubique substantiae »suae argumentum et indicium esse dicit: ac prophetae demonstra»tionis hoc genus assidue commemorant, neque id simpliciter, sed »adversus opinionem de idolis pugnantes. *Dii enim*, ait, *qui coelum*

(1) C. *Dei Filius*, cap. I.—(2) Genes. I, 1.—(3) Act. IV, 24.—(4) XLIV, 24.—(5) Hebr. III, 4.—(6) Apoc. IV, 11.—(7) De Decret. Nic. Synod. n. 30.—(8) Hom. 4. in Jo.

»*et terram non fecerunt, pereant.* Et rursus: *ego manu mea extendi* »*coelum;* atque hoc divinitatis signum esse demonstrans, ubique »commemorat.»

Pariter ait Hilarius (1): «Humanae intelligentiae sensus hoc »respuit, ut Creator creatura sit: quia creatio per Creatorem.» Cyrillus quoque (2): «Divina et dominatrix natura eo maxime dig»noscitur, quod faciendi et creandi vim habet: serva autem et crea»ta natura, eo quod facta sit, et ad ortum perducta.» Athanasius explicat, docetque creaturam prorsus nullam creare posse (3); alioqui non per solum Verbum creata essent omnia, sed per superiores creaturas; quod fuit Marcionis et aliorum haeresis. Unde *Apostoli* laudat sententiam (4): *Nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, et nos in illum; et unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia et nos per ipsum.* Ad rem quoque S. Ephrem; arguit enim divinae naturae scrutatores, et ait: «Home vero luteus... Dominum cunctorum Creatorem rimatur?» (5). Et alibi (6) ipse: «Se ipsum facere nemo potest... Nam is esset, priusquam fieret... Solus Deus non factus. Vultis ineffabilem potestatis ejus cernere facultatem? Coelos et quaecumque in eis sunt verbo fecit. Hieronymus (7): «Deus essentiae suae nomen atque substantiae etiam ce»teris impertit elementis, ut ipsa quoque esse dicantur; non quo »secundum naturam sint... sed ut esse dicantur, habent Dei boni»tate donatum.» Item (8): «Ex creaturis consequenter Creator in»telligitur, et in singulis operibus atque effectibus Dei manifecen»tia demonstratur.»

Et Augustinus (9): «Ars illa summa Omnipotentis Dei, per »quam ex nihilo facta sunt omnia.» Et alibi (10): «Angeli nullam »omnino possunt creare naturam: solus enim cujuslibet naturae, »seu magnae, seu minimae, creator est Deus, id est, ipsa Trinitas, »Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus... Creare naturam tam nullus »Angelus potest, quam nec se ipsum.»

15. Haec sufficiant, ut qua asseveratione tenent Patres Dei propriam esse virtutem creandi, eluceat. Quam doctrinam secutus S. Thomas (11) ait: «Oportet universaliores effectus ad univer»saliores et priores causas reducere. Inter omnes autem effectus »universalissimum est ipsum esse.» Quod et Doctor Eximius confirmat (12): «Deus solus fuit primum et proximum principium »creans hoc universum corporeum (idem, potiori ratione, docet de

(1) L. 12.—(2) L. 32 *Thesar.*—(3) Or. 3.—(4) I Cor. VIII, 6.—(5) Homil. *de incompreh. Dei natura.*—(6) *Confessio* S. Ephr.—(7) Ephes. III, 14.—(8) Dan. c. III, v. 57.—(9) Qq. 83, q. 78.—(10) *De Genes ad Litter.* l. IX, c. 15.—(11) P. I, q. 45, a. 5.—(12) De *Oper. sex. dier.* L. I, c. 1.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS PRESENTE EN EL DEPÓSITO LEGAL DE BIBLIOTECAS ®

»mundo spirituali), quoad omnia illa quae per veram creationem »fiunt: conclusio est contra omnes antiquos errores supra relatos, »estque certa de fide.»

SCHOLION.

Haec sat ostendunt, quod ad factum pertinet, per solum Deum creationem esse factam: utrum autem aliter fieri potuerit, non eadem liquet claritate. Etenim censent aliqui theologi non esse impossibile seu repugnans, quod alicui creaturae conferret Deus creandi potentiam, etiamsi de facto non concesserit. Paucis quid hac in re sit probabilius aperiam.

16. **Dico I.** De potentia ordinaria fieri non potest ut ulla existens creatura quidquam creet.

Nam si haberet creatura aliqua ejusmodi potentiam, ac actum seu usum fuisset illi a Deo collata; nihil enim inane ac inutile est in Dei operibus: *quae a Deo sunt, ordinata sunt, ait* Paulus (1). Atqui, ut probatum est, solus Deus creavit, ita ut sit creatio quasi attributum, quo a creaturis discriminatur: *qui autem omnia creavit Deus est*, ait ipse Apostolus (2): Et in Apocalypsi dicitur: *Dignus es Domine Deus noster, accipere gloriam... quia tu creasti omnia* (3). Unde Athanasius dicit: «Administrare creatura»rum est, servorum est; condere autem et creare solius Dei, ejus»que Verbi et Sapientiae» (4). Et Augustinus (5): «Omnipotentem »Deum credimus, qui, omnia faciens, factus non est; et ideo omni»potens est, quia de nihilo fecit quaecumque fecit... Hoc est enim »esse omnipotentem, ut non solum fabrica ipsa, sed etiam materies »ad illo inveniatur esse.»

17. **Dico II.** Neque de potentia absoluta fieri potest ut creatura aliquid creare valeat.

1.° Virtus creandi nobis, in sacris Litteris et apud SS. Patres, tamquam Dei attributum et cultus supremi motivum proponitur. Atqui quod ita Dei proprium existit non est creaturae communicabile; ergo neque de potentia absoluta potest virtus creandi inesse creaturis. *Maj.* ex nuper dictis patet.

2.° In creaturarum universitate supremos condidit Deus entium ordines, substantias, scilicet, spirituales et simplicissimas, ac donis ornatas supernaturalibus usque ad Dei visionem ae beatissimum fruitionem; imo et substantialem cum Deo unionem in Christo D.; tamen virtus vel minimam quamlibet rem creandi nulli fuit impertita creaturae: ergo censendum est, ita Dei propriam esse, ut absolute sit incommunicabilis.

---

(1) Rom. XIII, 1.–(2) Hebr. III, 4.—(3) Apoc. IV, 11.—(4) Orat. 3, *adv. Arian.*–(5) *De symbolo*, ser. 2, 6.

18. 3.° Ex ratione haud facile est thesim demonstrare. Primi theologorum et scholarum duces, in aliqua solida et evidenti demonstratione non consentiunt. S. Thomas, analyticis, ut solet, et abstractissimis utens argumentis, sic probat; primo. Per creationem non producitur res secundum talem vel talem essendi modum, sed absolute et simpliciter producitur *ut sit:* effectus ergo creationis est universalissimus, scilicet ipsum *esse* rerum creatarum. Atqui effectus universalissimus reducitur ad universalissimam causam, primam nempe, seu Deum; ergo ad solum Deum spectat creare.

Acutum quidem ac verisimile argumentum! At veretur mens ne obrepat ac lateat in eo fallacia, dum ab illa abstractissima ratione *essendi*, in qua omnia conveniunt entia, ad illud peculiare et proprium *esse* cujuslibet rei creatae fit transitus. Id quidem perspicue elucet, ad omne *esse* creabile solam primam causam proportionatam existere; sic ait S. Thomas (1): «Unde si consideretur »emanatio *totius entis* universalis a primo principio, impossibile »est quod aliquod ens praesupponatur huic emanationi:» in quavis autem singulari creatura, nihil producitur universale; nec accidens aliquod universale, neque substantia, neque *esse* quodcumque, sed quidquid in ea causatur est singulare et individuum. Ut quid ergo ad id sufficiens non erit causa aliqua secunda et particularis? Praesertim cum non sola operetur et independenter, sed cum prima, ut infra dicetur.

19. Secunda ratio. Cum aliquid creatur, producitur absolute ens; nihil enim praesupponitur cui applicetur ratio *essendi*. Quicumque ergo aliquid creat, quodcumque ens potest creare; nam virtus illius ad omnia creabilia pariter respicit. Quemadmodum, si quis produceret naturam humanam absolute, non posset ipse esse homo, quippe se ipsum produceret: sic nequit creatura ens aliquod creare, sed applicare tantum modum aliquem essendi huic vel illi entitati; quemadmodum et naturam humanam huic vel illi individuo humanae naturae; hoc autem non est creare, seu ex nihilo producere.

Iisdem subjicitur difficultatibus haec ratio. Nam creatio solum producit *absolute ens*, quatenus illius entis quod creatur, puta, *rosa*, nihil praesupponitur; non vero quod virtus creans adaequet totam entis latitudinem: non enim, quia Deus sub latitudine entis invenitur, posset et creare se ipsum. Sufficit ergo ut causa adaequet, virtute sua creativa, perfectionem entis quod creare valet, quemadmodum opus est ut causa prima adaequet perfectionem omnem entis creabilis; non autem oportet quod virtus illius creativa amplectatur etiam ens necessarium et increabile.

---

(1) P. 1, q. 45, a. 1, c.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

20. Tertia ratio. Ad producendum seu educendum aliquid ex potentia materiae, eo major requiritur virtus activa, quo minor est potentia passiva: ergo udi nulla est potentia, uti in creatione, quae est ex nihilo, infinita opus est potentia activa.

Resp. Dist. *Antecedens:* si productio in eodem permaneat ordine, scilicet, *eductionis;* conc. Si transcendat ad alium ordinem; nego *ant.* Nam proportiones, ut subsistant, debet in eodem ordine institui. Ex. gr. Quo sensibile est perfectior, perfectiori opus est virtute sensitiva. Sed res spiritualis perfectione transcendit rem omnem sensibilem; ergo ad percipiendam rem spiritualem opus est virtute perceptiva infinita. Non hoc consequitur; sed opus esse virtute altioris ordinis, non tamen simpliciter infinita.

21. Quarta ratio. Albertus Magnus arguit, quia inter ens et nihil est infinita distantia: ergo requiritur virtus infinita ad producendum ex nihilo.

Verum hoc argumentum duplici ex capite nutat: primum: quod *nihil* nec *prope* est, nec *distans*, cum nullibi sit: negatur ergo suppositum.

Secundo: quid de hoc censeres argumento? Omnia creabilia, puta omnes mundi, Angeli, etc. possibiles distant infinite ab uno creabili, ex. gr. ab atomo, vel musca una. Sed ad omnia creabilia sufficit virtus creativa primae causae; ergo ad unum creabile infimi ordinis, debet quaelibet infimi ordinis causa sufficere. Argumentum hoc, dices, nihil conficit; quia comparatio inter extrema constituitur quae sunt diversi ordinis. Optime. Verum illud Alberti argumentum inter extrema ponitur ficta, non diversi ordinis tantum; ideo longius a quavis invenitur verisimilitudine.

22. Aliud adjicimus argumentum. Actio creativa est actio independens in subsistendo; neque enim pendet a suo termino, nam hic potius ab ea dependet; neque a subjecto aliquo, cum creatio fiat etiam ex nihilo subjecti. Atqui nulla causa creata est independens; in esse enim et conservari dependet ab alio; ergo actio creativa est causae creatae improportionata et aliena.

Video quid possint nonnulli thomistae objicere: quod, nempe, terminus creationis est *esse;* esse autem ab essentia realiter distinguitur: unde potest actio creativa recipi in essentia, quemadmodum et ipsum recipitur *esse*. Verum, praeterquam quod undequaque vacillat ista opinatio, ideoque nihili facienda, sequeretur, essentiam non esse terminum actionis creativae ideoque esse increatam, aeternam et divinam, quo pantheismum induceres.

Tandem placet rem hanc verbis Gregorii de Valentia (1)

(1) Disp. 3 de *Deo ut Creat.* q. 2, p. 4.

absolvere: «Porro aliae quaedam rationes solent adferri, quas vide»re licet apud D. Thomam (l. 1, *Contra Gent.* c. 21), et apud »Durandum, ubi supra; sed illae facilius adhuc quam istae dis»solvi possunt, et fere solvuntur a Durando. Quare maxime »propter Scripturae et Patrum auctoritatem (ut dixi) mihi persua»deo per nullam potentiam posse creaturae convenire, ut aliquid »producat ex nihilo, quamvis rationem hujus repugnantiae a priori »nondum compertam habeam.»

23. Obj. Axioma videtur, quod antiqui aliqui dixerunt philosophi pagani, et proclamavit etiam impius Rousseau, nempe, «ex nihilo nihil fit.» Atqui creatio supponit aliquid ex nihilo factum: ergo thesis ista aliquod supponit absurdum.

Resp. Dist. *maj.* seu effatum istud explico: *ex nihilo* id est, ex nulla causa, nihil fit, concedo *majorem;* nihil fit *ex nihilo*, id est, si desit tantum causa materialis; nego. Unde cum illa particula *ex* designet causalitatem aliquam; patet evidenter non posse dari effectum ullum absque causa, quae illud in virtute sua contineat. Si autem desit tantum materia *ex qua* fiat effectum, tunc falsum dicimus effatum istud *absolute* prolatum, nam, in primis, falsum est quoad effectus simplices, qui ex materia aliqua confici nec debent, nec possunt; ex qua enim materia est efficienda spiritualis substantia, vel simplex mentis cogitatio? Deinde falsum est quoque quoad effectus compositos, ex aliquo quidem subjecto seu materia educendos; nam si causa adsit efficiens quae, non tantum effectum in virtute sua contineat, sed subjectum etiam seu materiam, ex qua est educendus; nihil tunc obstabit quominus «ex nihilo aliquid fiat.» Jam vero sic rem se habere compertum est: omnia namque ad unum et efficiens ens supremum et necessarium reducuntur, in quo rationem sufficientem habent existendi; non quoad actualitatem tantum, quae pluris, sed quoad potentialitatem etiam, quae minoris habetur, sicut statua ligno praeponitur.

Numquid ita desipies, ut actualitatem et perfectionem universi et singularium ejusdem partium è causa sapientissima et potentissima profluentem fateri cogaris; moleculae autem unius entitatem totum universum perfectione superare suspiceris et causae supremae virtutem? Numquid simplex una cogitatio, qua mirum rerum ordinem et universales apprehendimus ideas, actuatione et perfectione, superare non intelligitur moleculam materiae unam, imo et congeriem molecularum omnium? Cum ergo cogitandi potentiam a rerum acceperis conditore; ab eodem eam qualemcumque suam entitatem potuisse atomos materiales suscipere, nisi insanire velis, fatearis. Hinc, theologorum et philosophorum sapientissimi in ea re intelligenda laborant, quo pacto id evenerit, quod causae secun-

etiam consequatur quod sit *temporale* et non aeternum, ex eo quod sit causatum et mutabile.

28. Prob. 1.° Duratio non distinguitur realiter ab esse cujus est duratio. Atqui esse creatum est omni ex parte finitum, sicut esse increatum omni ex parte est infinitum: ergo et duratio entis creati est omni ex parte finita, sicut duratio entis increati, seu aeternitas, est undequaque infinita.

Confirm. Ideo nullum ens creatum potest actu aeternum esse *a parte post*, quia est *essentialiter* contingens, indeque semper defectibilis ac limitata ejus duratio, et incapax adaequandi durationem infinitam, seu aeternitatem. Sed quod rei essentiam consequitur, semper cum illa est, sive *a parte ante*, sive *a parte post;* ergo duratio rei creatae est etiam necessario limitata *a parte ante*, quin possit aeternitatem adaequare. Unde, ut quid sentiam aperiam, opinio ista de aeternitate creaturae a *parte ante* (quod Sanctus Thomas de re simili asserit) procedit ex falsa *imaginatione;* ac si aliqua entis finiti duratio categorematice, seu actu, infinite extenderetur a parte ante, adaequans aeternitatem. Non minus quidem absurdum esse censeo, imaginari quod exhauriverit Deus aeternitatem *a parte ante* ita ut nequiverit antea creare, ac quod illam evacuet *a parte post* ut ultra creare nequeat.

29. Prob. 2.° Ponamus (hypothetice) conditam creaturam aliquam fuisse ab aeterno. Cum creatura aeterna possibilis foret motus aeternus, ideoque et tempus aeternum esse posset: mutabilitas enim et contingentia essentiam creaturae comitantur, nec tempus distinguitur realiter a motu (1). Atqui repugnat motus et tempus coëxistens cum creatura aeterna; ergo tempus nequit esse aeternum, et repugnat motus aeternus, et consequenter creatura mutabilis aeterna.

Prob. *min.* Tempus est successio, sicut et motus (2), duorum terminorum: «motus est alternatio mobilis in quantum est hic et »ibi; tempus est fluxus ipsius nunc» (3): nempe, transitus a termino a *quo* ad terminum ad *quem*. Atqui terminus ad quem est posterior termino a quo: ergo est de motus et temporis essentia ut habeat aliquid prius, seu praecedens, ideoque ut non sit coëxistens creaturae eaternae.

His sane consonant quae docet Angelicus D. (4): «Nihil fit »nisi secundum quod est. Nihil autem est temporis nisi *nunc*. Unde »non potest fieri nisi secundum aliquod *nunc*. Non quia in ipso pri-

(1) V. D. Thom. P. 1, q. 46, a. 1, ad 7. Suarez, Metaph. Disp. 50.—(2) P. 1, q. 46, a. 3, ad. 3.—(3) P. 1, q. 10, a. 4, ad 2.m—(4) P. 1, q. 46, a. 3, ad 3.

»mo *nunc* sit tempus, sed quia ab eo incipit tempus.» Tempus ergo sequitur essentialiter aliquid quo est prius.

30. Duplici modo vitare et effugere conantur aliqui AA. hanc rationem, qua creatio expugnatur aeterna.

a) Primo aliqui fatentur tempus, motumque quamlibet, non posse aeternum esse, propter traditam rationem: unde ante quodlibet tempus, etiamsi longissimum, praecessit duratio aeterna. Ita Suarezius cum aliis, quibus consentire videtur sanctus Thomas: «causa efficiens quae agit per motum, de necessitate praecedit tem»pore suum effectum, quia effectus non est nisi in termino actionis (1).» Unde aperte fatetur, non contendere quod possit sucessio ulla esse aeterna, ideoque nec tempus seu motus: «Nos intendimus »universaliter, an aliqua creatura fuerit ab aeterno.»

Verum responsio haec videtur desperatae causae effugium. Non enim intelligitur, quo pacto ejusmodi immutabilitas aeterna rei creatae conciliari valeat cum rei contingentis intrinseca et essentiali mutabilitate, et cum Dei omnipotentia. Deus potest rem in tempore creatam non conservare, sed illico ab esse ad non esse reducere, vel statum illius inmutare: cur idem nequiret in creatione rei ipsius ab aeterno?

31. b) Secundo alii aliter tentarunt effugere. Fatentur de conceptu motus esse ut terminus *a quo* ad terminum *ad quem* praecedat; et tempus non esse nisi per aliquod *nunc* cui aliud *nunc* succedat: at in motu aeterno non posse, ajunt, assignari ullum terminum *a quo*, ante quem non fuerint alii; neque ullum *nunc* temporis cui non praecesserint alia priora *nunc;* et in serie acterna hominum, per generationem procedentium, non posse ullum assignari hominem, a quo ceteri omnes profluerint; sed ante quemlibet assignatum alios praeextitisse. Verum pessimam eos defendere causam, inscitiae istae demonstrare videntur. Igitur si Adamum Deus ab aeterno creasset, eum non posset, assignare! Si duo corpora mobilia condidisset, ea lege ut in oppositos moverentur terminos, nesciret Deus atque assignare non posset, in qua mutua distantia fuerit illa condita, an unius, an decem millium leucarum, vel potius in contactu!

32. Prob. 3.° Aliud subjicimus argumentum a Card. Toleto adhibitum, quo impossibilitas cujuslibet successionis aeternae ostenditur.

«Infiniti dies vel anni, vel tempus praeteritum infinitum, vel »quaecumque successio infinita actu completa, non est minus, »quam tempus futurum infinitum; nec futurum est majus quam

(1) P. 1, q. 46, a. 2, ad 1.m et 8.m

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»praeteritum. Sed impossibile est pertransiri et compleri tempus »futurum infinitum. Ergo impossibile fuit compleri tempus infini»tum praeteritum. Sane fateor hanc mihi videri demonstratio»nem» (1).

Nota. Possent hic urgeri argumenta, quibus impossibilem esse numerum infinitum actualem ostenditur; posita enim mundi (qualis nunc existit, in motu nempe et tempore) aeternitate, plures darentur actu completi numeri infiniti, dierum, annorum, individuorum, generationum, etc.

ARTICULUS II.

De Deo, ut causa exemplari et finali.

THESIS IV.

Deus est omnium entium, quae condidit, causa exemplaris.

33. **Nota.** Causa exemplaris dicitur ea, ad cujus similitudinem agens effectum suum producit. Agens enim per intellectum debet effectum praeintelligere, sicut sapiens architectus habet prius in mente ideam domus cui haec conformatur; proinde idea ipsa, vel prototypus ex quo desumitur, causant effectum sicut causat intellectus, inducendo scilicet formam in effectum, quam intelligendo agens praeconcepit. Inde patet, exemplar reduci ad causam formalem, non physicam, sed intentionalem, non intrinsecam effectui sed extrinsecam et separatam.

34. Prob. 1.° Conc. Vaticanum (2) docet: «ad manifestandam perfectionem suam» condidisse Deum omnes creaturas. Sed nisi fuissent ad similitudinem divinae perfectionis creatae, non manifestarent illam: ergo creavit Deus omnia ad similitudinem sui ipsius, adeoque causa est exemplaris.

2.° Propheta, de creatione rerum agens ait (3): *Quis adjuvit Spiritum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit et ostendit illi? Cum quo iniit consilium et instruxit eum, et erudivit eum scientiam?* Atqui exemplar adjuvat et ducit artificem ad opus perficiendum: ergo non aliud fuit Deo exemplar ad creandum praeter Ipsum. Confirmat Paulus: *Ex ipso, et per ipsum et in ipso sunt omnia: ipsi gloria* (4). Atqui perfectionis operum non parum ab exemplari di-

(1) In *lib. phys.* l. VIII, c. II, text. XX, q. 1.—(2) C. *Dei Filius*, cap. 1.—(3) Isai. XL., 13, 14.—(4) Rom. XI, 36.

manat: ergo solus Deus fuit suorum operum exemplar. Et quidem ab exemplari desumit artifex sapientiam qua opus perficit: atqui *sapientia Dei praecedit omnia: unus est altissimus Creator omnipotens. Ipse creavit illam in Spiritu Sancto, et effudit illam super omnia opera sua;* nihil ergo Deo, praeter Ipsum, exemplar et idea ad mundum creandum extitit.

35. 3.° Ad sui participationem et imitationem conditum a Deo fuisse mundum, tradit Gregorius Naz. (1). «Quoniam boni»tati nequaquam satis erat sua ipsius contemplatione moveri, sed »bonum diffundi ac propagari oportebat... secundi splendores pro»creati sunt, primi splendoris administri... Postquam autem pri»mas creationis partes praeclare constitutas vidit, alterum mun»dum materia constantem et aspectabilem cogitavit... Enim vero »mens jam et sensus, sic inter se discreta, finibus suis se contine»bant, opificisque Verbi majestatem in se ipsis ferebant, taciti lau»datores insignis opificii, et celebres praecones. Nondum autem »utriusque temperatio ulla erat, quae sublimioris sapientiae speci»men exhiberet, nec omnes bonitatis divitiae notae atque specta»tae erant. Cum igitur artifici Verbo istud ostendere placuisset, »animal unum ex utroque, hoc est, ex invisibili ac visibili natura, »hominem fabricatur... et velut alterum quemdam mundum, in »parvo magnum, in terra collocat: animal hic gubernatum, atque »alio demigrans, et, quod mysterii extremum est, per animi ad »Deum propensionem divinitatem consequens.» Haec paucis evolvunt, quo pacto se ipsum Deus per creationem effundat et imitetur.

His consentit Augustinus (2): «Non enim Deus extra se »quicquam positum intuebatur, ut secundum id constituerit quod »constituebat. Nam hoc opinari sacrilegum est.» Et alibi (3): «Nec auctor est excellentior Deo, nec ars efficacior Dei Verbo.»

36. 4.° Ratione ostendit Sanctus Thomas thesim. Deus creavit universum juxta rationes, seu ideas, rerum a sua Sapientia excogitatas. Atqui ideae non sunt realiter aliud a divina essentia, etiam si secundum respectum ad res multiplicentur; ergo Deus est causa exemplaris omnium. *Maj.* prob. In universitate invenitur ordo, in rerum distinctione juxta earum formas consistens. Atqui hunc ordinem constituit Deus juxta rationes a sua sapientia excogitatas: ergo Deus creavit universum juxta rationes a sua sapientia conceptas. *Min.* prob. Artifex producit determinatam formam in materia, propter exemplar ad quod inspicit: sive illud sit exemplar ad quod extra intuetur; sive sit exemplar interius mente con-

(1) Or. 38., *in Theoph.*—(2) L. 83, *quaest.* q. 46.—(3) *De Civ. Dei*, l. 11, c. 21.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ceptum. Sed ut crearet universum nihil extra se Deus intuebatur, cum ex nihilo omnia condiderit; ergo hunc ordinem constituit juxta rationes a sua sapientia excogitatas.

Confirm. Deus, se ipsum comprehendendo, perfectissime cognoscit res omnes possibiles, quocumque possint modo fieri (1). Atqui exemplar est, in quo opus perspicitur eo modo quo fieri oportet: ergo omnium operum divinorum est Deus causa exemplaris.

37. Obj. 1.° Oportet ut in causa exemplari similitudo contineatur effectus. Atqui, ut dicit propheta (2), *Non est similis tui Domine; magnus es tu... tuum est omne decus;* ergo non potest Deus causa esse exemplaris.

Resp. Dist. *maj.* Effectus similitudo in causa debet esse exemplari, *formaliter* vel *virtualiter;* concedo *maj.: formaliter*, subd. secundum cognitionis repraesentationem, seu *intentionaliter;* concedo: secundum ejusdem speciem; nego *majorem*.

Unde *virtualiter* et per *cognitionem* est omnium rerum in Deo similitudo, uti laudata indicant verba: *magnus es tu... tuum est omne decus:* minimam enim tantum divini decoris partem obtinet quaevis creatura.

38. Obj. 2.° Intuetur Deus possibilia non in essentia sua tantum, sed etiam directe *in se ipsis* (3): Ergo non oportuit Deum ipsum fuisse causam exemplarem. Resp. dist. *ant.* Intuetur possibilia *in se ipsis*, quasi extra Deum existentia antequam fierent; *nego;* quatenus idealiter ea intellectus divinus immediate refert; concedo *antecedens*. Jam vero infinitus divini intellectus actus est ipse Deus, cujus essentia est ipsa intellectiva actuatio, et possibilium omnium fundamentum: ab Ente enim Necessario habent possibilitatem et veritatem, sicut et *esse* habere debent si aliquando illud habitura sint. Dum ergo intuetur intellectus divinus possibilia *in se ipsis*, videt eorum esse conditionatum, nec actu habere esse nisi in divina essentia eminenter, in se ipso autem formaliter ad modum ideae seu exemplaris.

THESIS V.

Deus est omnium entium causa finalis.

39. **Nota** I. Finis, generatim, respectum indicat ad id quod est prius: cum de causa autem sermo est, ideo *finalis* appellatur, quia in illa terminatur et quiescit efficientiae processus; cum enim finem agens assecutum est, cessat quaevis operatio ipsius: unde hic finis vocatur *finis operantis*. Cum vero de ipso opere sermo est, finis

(1) Disq. IV, 158.—(2) Jer. X, 6, 7.—(3) Disq. IV, 158.

ejus dicitur id in quo opus quiescit ac completur; ideo dicitur *finis operis*. Non tamen causalitas finis est ultima in causando, sed prima potius; nam exercetur per agentia intellectualia quatenus, propter assequendum aliquem finem ea allicientem, agere aggrediuntur: ideo dicitur quod finis est «primum in intentione, ultimum in exsecutione.»

40. II. Dividitur finis in finem *qui* seu *cujus*, et finem *cui*. Quod enim intenditur, ut subjectum aliquod actuet ac perficiat desideratur: sic sanitas est finis curationis pro infirmo intenta. Subjectum igitur dicitur *finis cui;* forma autem seu actus intentus *finis cujus* vocatur, utpote pro *cujus* assecutione (sibi vel alii) agens laborat.

Partitur etiam finis in *objectivum* et *formalem:* ipsa enim assecutio finis, seu unio finis *cui* cum fine *cujus*, dicitur finis *formalis;* finis *cujus* autem, vocatur finis *objectivus*. Id facile in iis finibus, qui in aliqua operatione sistunt, intelligitur; ex. gr. contemplatio veritatis, Dei fruitio: veritas enim, et Deus dicuntur finis *objectivus;* contemplatio autem et fruitio sunt finis *formalis*.

41. Ex his intelligi potest modus efficiendi causarum finalium. Proposito bono aliquo agenti intellectuali, si hoc ab eo alliciatur ita, ut amet illud; incipit tale bonum efficientiam finalem exercere: si deinceps illud assequi prosequatur, et media seligat accommodata ad assecutionem donec in eo quiescat, continuatur causalitas seu efficientia finalis usque ad complementum, quod est fruitio finis.

42. Propositio, quae fide tenenda est, probatur.

1.° Conc. Vaticanum (1) definivit: can. 5. «Si quis mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit, anathema sit.»

Item docet: «Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur... utramque de nihilo condidit creaturam.»

Quaecumque ergo Deus condidit ad Dei gloriam respiciunt et ordinantur, seu ad manifestandam (eodem redit) perfectionem suam. Ipse est ergo supremus omnium finis.

2.° *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus* (2): quae verba obvia sunt. Item, cunctas gentes creavit, *in laudem, et nomen et gloriam suam* (3). *Sol illuminans per omnia respexit, et gloria Domini plenum est opus ejus* (4).

43. 3.° Vide, supra (n. 35), Nazianzenum, qui, divinae bonitatis diffundendae causa, Deum mundum creavisse edocet. Cum

(1) C. *Dei Filius*, De Deo. —(2) Proverb. XVI, 4. —(3) Deut. XXVI, 19.—(4) Eccli. XLII, 16.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

autem in ea bonitatis diffusione possimus vel ipsam divinam bonitatem vel illam extrinsecus diffusam et creatam perpendere, quae divinae prae se fert similitudinem; non hanc, sed illam fuisse summam causam finalem, notat Gregorius: «Quoniam bonitati »nequaquam satis erat, sui ipsius contemplatione moveri.» Item addit: «Primi splendoris (bonitatis divinae) procreati sunt *administri* »(bonitas creata).» Quemadmodum enim ministri propter Dominum non contra; sic bonitas creata propter divinam, ut finem *cui:* non sane ex indigentia, sed congruentia; quia scilicet *beatius est dare*, decebat summam bonitatem liberrime se effundere. Augustinus ait (1): «Nec Auctor est excellentior Deo, nec ars efficacior Dei Ver»bo, nec causa melior quam ut bonum crearetur a Deo bono... »Hanc tamen causam, id est, ad bona creanda bonitatem Dei; hanc »inquam, causam tam justam atque idoneam, quae, diligenter con»siderata et pie cogitata, omnes controversias quaerentium mundi »originem terminat, quidam haeretici non viderunt.»

44. 4.° Nulla creatura potest esse ultima causa finalis; ergo Deus est omnium causa finalis. *Ant.* prob. Quod essentialiter indiget determinari nequit esset primum determinans: Atqui creatura indiget essentialiter determinari, ultima autem causa finalis est primum determinans; ergo nulla creatura potest esse ultima causa finalis. *Major* est evidens ex terminis. *Minor* facillime cuivis patebit. Nam creatura ex semetipsa est nihil, ideoque determinari indiget, ut quidquam sit et valeat; in statu autem objectivo, est aeque indifferens ad esse vel non esse, nec plus allicit Deum ut sit quam ut non sit, donec libere Deus in altero placeat extremo, cum sit actus infinite perfectus in amando: ergo nulla creatura Deum determinare potest, sed ab eodem determinari tantum.

5.° Agens intellectuale et liberum determinatur voluntate, ideoque ratione aliqua boni tamquam fine (2). Atqui ratio boni creati nequit ultimo determinare Dei voluntatem: ergo sola Dei bonitas potest esse omnium entium causa finalis. *Major* ex eo constat, quod libertas est voluntatis proprietas, objectum autem voluntatis est bonum. *Minor* prob. Dei voluntas est, ex semetipsa, infinite perfecta. Sed talis non foret, si ratio aliqua boni creati eam ultimo determinaret: ergo bonum nullum creatum potest Dei voluntatem ultimo determinare. *Min.* patet: determinatio illa ortum haberet a causa finita.

45. 6.° Ut res haec, si fieri potest, clariori in luce ponatur, creaturarum bonitas è conspectu bonitatis divinae quid praestet perpendamus.

(1) *De Civit. Dei*, l. 11, c. 21, 22.—(2) S. Th. l. 2, q. 1, a. 1, 2.

a) Bonitas creata Divinae bonitatis est participata similitudo, orta nempe ab hujus virtute tamquam causa efficienti et exemplari. Atqui pars ex natura sua est propter totum, similitudo autem propter exemplar: ergo nequit Deus velle creaturam nisi cum ordine ad bonitatem divinam et propter eamdem repraesentandam. Ad rem Sanctus Thomas:

«Unum et idem est quod agens intendit imprimere, et quod pa»tiens intendit recipere. Sunt autem quaedam quae simul agunt et »patiuntur, quae sunt agentia imperfecta: et his convenit quod »etiam in agendo intendant aliquid acquirere. Sed primo agenti, »qui est agens tantum, non convenit agere propter acquisitionem »alicujus finis; sed intendit solum communicare suam perfectio»nem quae est ejus bonitas. Et unaquaeque creatura intendit con»sequi suam perfectionem quae est similitudo perfectionis et boni»tatis divinae. Sic ergo divina bonitas est finis rerum omnium.» Et Augustinus ait (1): «Inest Deo benignitas summa et sanc»ta et justa; et quidem non ex indigentia, sed ex beneficentia, ve»niens amor in opera sua.» Et alibi (2): «Iste, qui tibi praestitit »omnia: iste, qui fecit ut esses... servat tibi aliquid, quod non det »nisi tibi. Quid est autem quod tibi servat, nisi se? Pete aliud si »melius inveneris; se tibi servat Deus... Possidet ergo et possidetur »et totum propter nos. Ut enim nos ex illo beati simus possidetur »a nobis, non ob aliud nisi ut beati simus.» Angelicus iterum (3): «Homo et aliae rationales creaturae consequuntur ulti»mum finem cognoscendo et amando Deum.»

46. **Nota.** Haec ratio clare ostendit Deum esse finem *qui* seu *cujus* creaturarum rationalium, cum harum voluntas in plenitudine boni, et intellectus in plenitudine veri possint tantum perfectionem suam consequi. In ceteris autem creaturis non elucet tendentia in Deum ut finem *qui;* nam perficitur earum capacitas bonitate aliqua creata et limitata juxta cujusque naturam.

Praeterea neque ostendit ratio ista Deo inesse *causalitatem* finalem. Causalitas enim finis non est directa et inmediata in ea quae ad finem ordinantur; sed indirecta et mediante intellectuali agente, qui a fine illectus movet et causat ea quae sunt ad finem: scilicet, finis causat *moraliter* seu intentionaliter; unde ait Angelicus (4): «Bonum, cum habeat rationem appetibilis, importat ha»bitudinem causae finalis.» Atqui quod Deum allicit, quod Deus intendit, juxta rationem istam, est quaedam *similitudo creata* Bonitatis divinae, non autem Bonitas ipsa divina: «Unum et idem est »quod agens intendit imprimere, et quod patiens intendit recipere;»

(1) *De Genes. ad litt.* l. 1, c. 5. – (2) Tract. in ps. 32. — (3) 1, 2, q. 1, a. 8.— (4) P. 1, q. 5, a. 2, ad 1m.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quod sane non est ipsa *Bonitas divina*. Verbo: ejusmodi explicant finem *operis*, potiusquam finem *operantis*.

Item, videtur non esse Deum finem *cui* creaturarum; primum namque agens «intendit tantum communicare suam perfectionem.» Jam vero juxta Nazianzenum (supra n. 43), est etiam Deus finis *cui* creationis; quod et indicat Scriptura (n. 42). Complenda igitur ratio ista.

47. b.) Finis omnium creaturarum ille est, propter quem vult Deus eas creare. Atqui vult illas creare propter Bonitatem suam, seu propter semetipsum: ergo Deus est omnium rerum causa finalis. *Min.* prob. Actus determinatus seu imperatus tendit ad finem actus determinantis seu imperantis. Atqui voluntas creandi determinatur et imperatur a Bonitatis divinae amore; ergo vult Deus creare propter Bonitatem divinam, quam *sibi* velle et amare ¿quis non videat?

Majorem supponimus ex tract. de *actibus humanis*, vide etiam S. Thomam (1): «Unde patet quod imperium et actus impe»ratus sunt unus actus humanus.» *Min.* prob. Voluntas creandi est actus liber voluntatis divinae, non quasi in potentia, sed in actu purissimo et perfectissimo constitutae; ita ut, absque novo et distincto actu, liberrime se determinet ad objecta. Atqui voluntas divina est in actu purissimo et perfectissimo amandi constituta, propter ipsam Bonitatem divinam necessario amatam; ergo voluntas creandi determinatur et imperatur ab amore Bonitatis divinae.

Hanc quidem rationem elucidant quae S. Thomas de voluntate humana edocet (2). «Manifestum est quod omnes actiones »quae procedunt ab aliqua potentia, causantur ab ea secundum ra»tionem sui objecti. Objectum autem voluntatis est finis et bonum. »Unde oportet, quod omnes actiones humanae propter finem sint.» Haec transferas ad divinam voluntatem: et loco *potentiae* dicas *actum* purissimum, et pro *objecto* ponas Bonitatem divinam, et inde concludes: «unde oportet quod omnes volitiones divinae propter Bonitatem divinam sint.»

48. Rem proinde notatu dignam perpendas; quo pacto, scilicet, in idem omnino recidant Dei gloria et hominis felicitas; finis operantis et finis operis. Nam cognitio Dei et amor (quae in praesenti vita inchoantur et in futura consummantur) constituunt simul Dei gloriam hominisque beatitudinem. Atqui decernens Deus creaturam condere rationalem et ad perfectionem usque perducere providit; «non enim convenit summae Dei bonitati quod res productas

(1) 1. 2, q. 17, a. 4.—(2) 1. 2, q. 1, a. 1.

»ad perfectionem non perducat» (1): proinde voluit etiam Deus illam gloriam suam extrinsecam, in qua completur suae bonitatis communicatio et beneficentiae culmen. In hoc autem, quia divinam decet bonitatem, liberrime divina complacuit voluntas, et propterea fuit divina bonitas ultimus finis *cui* creationis rerum omnium.

Rationalis, item, creatura, Deum noscens et amans, finem suum *qui* attingit; volens autem illum noscere et amare uti suum summum bonum, Dei ipsius ope attingendum, spe erigitur, et ad se ipsam, tamquam finem *cui*, respicit: denique, cum reflectere mens valeat, et perspiciat summe Dei Bonitatem decere quod cognoscatur et super omnia ametur, charitatis affectu Deum propter ipsum, et tamquam finem *cui*, diligit, et voluntati divinae perfectissimo amore adhaerescit.

49. Obj. 1.° Eatenus aliquid habet efficientiam tamquam finis, quatenus movet agentem (2). Sed Deus se ipsum non potest movere; est enim perfectus et in actu per essentiam (3): ergo non potest esse causa finalis rerum. Unde improprie tantum potest Deus finis dici: «Ipse ad nihil aliud ordinatur sicut ad finem, sed ipse est »ultimus finis omnium rerum» (ibid.)

Resp. Dist. *maj.* Quatenus movet agentem *actualiter* vel *virtualiter;* concedo; *actualiter* tantum; nego *maj.* Deinde distinguo *min.* Deus non potest se ipsum movere actualiter; concedo: virtualiter; nego. Agitur de actu Dei libero. De constitutivo autem actuum liberorum, vida supra (Disq. IV, n. 239, et seq.), ubi, adversus Aureolum et *Connotatores*, illorum in Deo existentiam vindicavimus. Quod si insunt Deo actus liberi, facile intelliges, quo pacto ab actu distinguantur necessario, juxta triplex distinctionis genus alibi expositum (Disq. V, n. 118, et seq.) Sic ergo, etiamsi Deus sit idem cum sua Bonitate infinita, movetur *virtualiter* ab ea, et inde omnia creata ad eamdem tamquam finem dirigit: unde verba laudata S. Thomae perpende: «Ipse ad *nihil aliud* ordinatur si»cut ad finem.»

Obj. 2.° Explicite negat Deo S. Thomas quamlibet causae finalis rationem: ergo nequit dici causa finalis rerum. *Ant.* prob. «Sicut in Deo intelligere causam non est causa intelligendi effec»tus, sed intelligit effectus in causa; ita velle finem non est ei cau»sa volendi ea quae sunt ad finem; sed tamen vult ea quae sunt ad »finem, ordinari ad finem. Vult ergo hoc esse propter hoc, sed non »propter hoc vult hoc (4):» non potest ergo ulla dari causalitas finalis, cum desit fundamentum causandi, scilicet; «finis, qui movet »efficientem:» ut ipse docet sanctus *Doctor* (5).

(1) P. 1, q. 103, a. 1. — (2) P. 1, q. 3, a. 4.— (3) P. 1, q, 6, a. 3.— (4) P. 1, q. 19, a. 5.—(5) P. 1, q. 5, a. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. 1.° S. Thomas agit ibi de efficientia proveniente ex causa aliqua creata; nos vero agimus de ea quae ex Bonitate divina, tamquam fine, oritur; proinde nego paritatem.

Resp. 2.° Loquitur de efficientia *actuali* et entitativa, quae sane repugnat in Deo simplicissimo et immutabili: nos agimus de efficientia *virtuali:* quatenus actus liber, qui indifferens est ac posset in Deo non esse, determinatur ut sit, a divina Bonitate, et exinde haec influit tamquam finis in res creatas.

Propterea distinguo illa: «Non propter hoc vult hoc.» Quatenus *propter* indicat causalitatem *actualem* et *entitativam;* conc. Si *propter* designet tantum *virtualem* causalitatem; nego. Optime sic Angelici Doctoris conciliantur dicta, nec ulla exurgit contradictio.

ARTICULUS III.

De rerum distinctione, praesertim de bono et malo.

THESIS VI.

Deus est rerum omnium, etiam quatenus sunt inter se distinctae et inaequales, causa.

50. Propositio est ex fide certa.

1.° Patet ex Symb. Constant. «Credo in Deum... factorem »coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium.»

Item; testatur sacra Scriptura (1), sex diebus mundum a Deo fuisse conditum, juxta rerum genera. Vide supra (n. 1); praeterea ipsum rerum ordinem et distinctionem sibi Deus vindicat (2): *Ubi eras quando ponebam fundamenta terrae? Quis posuit mensuras ejus, vel quis posuit super eam lineam? Quis conclusit ostiis mare, cum ponerem nubem vestimentum ejus?* etc. Singillatim opera sua Deus enumerat, et quam longe ab hominum captu sint posita et divinae tantum patere sapientiae, docet Salomon (3): *Tecum sapientia tua quae novit opera tua, quae et affuit tunc cum orbem terrarum faceres.*

51. 2.° Vide supra (n. 3) Justinum de fide christiana disserentem, circa rerum creationem. S. Ephrem ait (4): «Cuncta»rum rerum causa est Bonitas ipsius: Sapientia autem ipsius varie»tate rerum demonstratur.» Sanctus Augustinus (5) etiam:

(1) Genes. I.— (2) Job. XXXVIII, 4, 5, 8, 9.— (3) Sap. IX, 9.—(4) *Confessio.* —(5) *De vera Relig.* c. 7.

«Omnis intellectualis et animalis et corporalis creatura ab eadem »Trinitate creatice esse, in quantum est, et speciem habere, et ordi»natissime administrari, sine ulla dubitatione perspicitur.» Nazianzenus autem (1): «Quid tandem illud est, quod coelestia et »terrestria, quaeque vel per aërem, vel per terram, vel per aquam »feruntur... certo ordine collocavit? Quis haec miscuit ac sejun»xit?... An non eorum Artifex et qui rebus omnibus rationem eam »indidit, qua universum fertur et gubernatur? Quis porro horum »artifex? An non is, qui haec procreavit atque in rerum naturam »produxit?

52. 3.° Quod alicujus rei est causa, etiam eorum est causa quae rem necessario consequuntur. Atqui rerum distinctio ac varietas ipsum earum esse consequuntur; ergo Deus est omnium causa, etiam quatenus distinguuntur et diversificantur. *Min.* patet: non enim per aliquid extra se positum res distinguuntur proprie, sed per propriam ipsarum entitatem.

4.° Sic Deus est causa rerum, ut convenienter eum referant. Atqui per distinctionem et inaequalitem convenientius Deum repraesentant; ergo a Deo esse constitutam est dicendum. *Maj.* ex dictis patet; cum Deus sit causa exemplaris rerum omnium. *Minor* etiam: res enim nulla creata potest adaequate Deo assimilari; et perfectio Dei infinita, in plures et inaequales repraesentata similitudines, facilius a mente attingitur limitata, ut supra notat Nazianzenus (n. 35). Praeterea, quo plures sunt partes apte ad invicem dispositae, eo magis in opere emicat causae efficientis et exemplaris sapientia: sicut in magna militum copia ordinanda plus ducis effulget ars militaris, quam in decem militibus ducendis. Oportebat igitur interminatam quamdam rerum multitudinem, tum quoad species, tum quoad numerum individuorum, in rerum conspici universitate, ut creatoris infinitam indicaret sapientiam.

5.° Deus est causa rerum quatenus suam eis communicet bonitatem. Sed communicatio divinae bonitatis inducit distinctionem rerum et inaequalitatem: ergo est etiam Deus causa distinctionis rerum. *Maj.* ex dictis constat: nam est Deus causa finalis rerum, non ut augeant ejus bonitatem, sed ut participent. *Min.* exinde elucet, quod finite tantum, et inde multimode et inaequaliter, est participabilis divina Bonitas, quin possit unquam exhauriri et totaliter communicari.

53. Obj. 1.° Eadem causa eosdem producit effectus, cum similis est ad illos dispositio. Sed Deus semper idem existit, et omnium quae fiunt ex nihilo similis est dispositio: ergo non est Deus causa

(1) Or. 2, theol.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

distinctionis et inaequalitatis eorum quae ab eodem creata sunt.

Resp. Dist. *Maj.* Eadem causa, si per suam naturam et necessario agat, eosdem producit effectus; conc. Si juxta diversa exemplaria libere operetur; nego *maj.*

Inst. Exemplar divinum est ipsa Dei simplicissima essentia: ergo non operatur Deus juxta diversa exemplaria.

Resp. *Dist. ant.* Est ipsa divina essentia ideis virtualiter diversis repraesentata; conc. Est ipsa essentia per eamdem concepta ideam; nego *ant.* et *consequentiam.*

54. Obj. 2.° Quod finxit Democritus, et nos excogitare possumus; atomis, nempe, materiae vertiginose agitatis, distinctas et diversas fuisse casualiter constitutas rerum formas: Dei igitur causalitas non videtur ad id necessaria.

Resp. Nego *ant.* vel distinguo: excogitare possumus absurde et ficte; permitto: rationali cogitatione; nego.

Nam in primis, materia repugnat ex se aeterna, uti eam fingebat Democritus; nam evidens est eam esse contingentem, utpote nullum a se habentem necessarium essendi statum. Deinde, materia motum vimque omnem ab alio accepit, quemadmodum et existentiam: atqui in motu materiae, qui ei est extrinsecus, utpote transiens, ipsa permanente; et in ejusdem vi, quae motibus ostenditur, ordo effulget multiplex, constans et mirabilis, sapientiam proinde supponens et casualitatis conceptui repugnans: ergo stulta demensque est cogitatio, ordinem rerum fuisse, casu, ex atomorum concursu, exortum.

55. Praeterea, universa protestatur natura adversus amentiam istam, quod nempe fuerit casu exorta rerum distinctio et diversitas. In singulis namque rerum materialium formis seu speciebus, constans viget lex dependentiae mutuae duplicis principii, activi et passivi, juxta cujusvis speciei naturam. Item, utriusque principii evolutio et praeparatio, prius quam inter se conveniant, iisdem ac propriis semper perficitur elementis, et constanti eodemque processu, pro quavis specie; pariterque postquam convenerunt, donec suum attingat quaeque species complementum, eodem semper ordine singulae evolvuntur et perficiuntur species. Ubi, quaeso, casualitatis et fortuiti eventus signum aliquod in his adinvenies? Si quis dictitaret, non oportere homines sibi necessaria providere, sed illis sat esse expectare quae, fortuito casu, auri et argenti in marsupio suo invenient subsidia: nonne ejusmodi irrideres stultitiam? Non minor, imo longe major, est materialistarum insania, dicentium; ex sola materia, et casualiter ortum duxisse hanc universitatis rerum distinctionem, varietatem, mirabilemque ordinem. Si enim in re praesenti materialia omnia sunt ordinatissima et constantia,

repugnat a fortuito casu haec ortum duxisse; quemadmodum quod ab actuali ordinatissima dispositione universalis mane exoriatur confusio; quam sane si quis expectaret vel timeret, is amens jure ab omnibus reputaretur. Atqui non minus repugnat, ab universali et necessaria confusione materiae universalem et necessarium ordinem casu parturiri, quam ab ordine necessario et universali universalem casu gigni confusionem: ergo pariter amentes sunt qui alterutrum istorum accidere posse sibi fingunt. Eo tandem tota res spectat; non posse effectum ullum, perfectione, virtutem causae superare, seu non posse uvas edere rubum.

THESIS VII.

a) Mali, sive physici, sive moralis, non est Deus causa effectiva, sed permissiva: b) neque est causa directa seu intentiva mali moralis; c) sed potest physica mala intendere; d) et mala poenae, solum consequenter seu hypothetice.

PRAENOTANDA.

I. Quaedam rerum generalis distinctio et differentia ex earum bonitate vel malitia exurgit; quae quidem peculiarem prae se fert difficultatem, a theologo minime praetermittendam.

56. Ex conceptu *boni* oportet quid sit *malum* intelligere; «oppo»sitorum enim; ut fert effatum, eadem est ratio.» Quemadmodum ens dicitur *verum*, quia aptum est intellectui conformari; sic et vocatur *bonum* quatenus alicui conveniens, seu appetibile: «bonum »est quod omnia appetunt,» ut ait Angelicus (1). Licet pluribus entibus non insit appetitus, omnibus tamen plura ita conveniunt, ut, si vim haberent appetitivam, ea *formaliter* appeterent, non interpretative tantum. Sicut ergo id quod alicui convenit dicitur *bonum* et appetibile, ita quod bono opponitur, seu inconveniens est, dicitur *malum*, seu odibile. Dupliciter autem potest aliquid non esse bonum, seu inconveniens existere; *positive* aut *negative;* est *positive* inconveniens, cum defectum inducit, seu bono *debito* privat; quemadmodum est homini inconveniens non uti ratione: est *negative* inconveniens, seu non bonum, cum limites tantum indicat, seu boni *indebiti* carentiam; uti natura humana quatenus non attingens perfectionem Angelicam.

57. **Dicimus** ergo, cum omnium catholicorum consensu, malum

---

(1) P. 1, q. 5, a. 1.

formaliter in privatione boni debiti, non in simplici reponi alicujus boni carentia. Ratio theologica in promptu est: Deus namque auctor est distinctionis et inaequalitatis rerum; quod limites, seu perfectionis negationem, in ipsis exigit. Atqui, eo non obstante, *omnis creatura Dei bona est* (1); *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona* (2); ergo in privatione boni, non in sola carentia, malum formaliter consistit. Confirmat Augustinus adversus Manichaeos (3): «Quid est aliud quod malum dicitur, nisi privatio »boni?» Quod sensus confirmat communis; nemo enim malum seu odibilem censet esse hominem, ex eo quod perfectione caret angelica; vel malam dicit aquam, quia bonis caret vini qualitatibus.

58. II. Oportet quoque ex conceptu *boni* honesti et moralis, quid sit *malum* inhonestum et morale eruere.

Igitur, cum de natura sermo est rationali, *bonum* ejus proprio et speciali insignitur nomine; dicitur enim bonum *honestum*, seu rationi conveniens mediate aut immediate. Res autem seu bona ad rationalem naturam pertinentia in duplex genus dividuntur: ad primum genus spectant actiones omnes liberae; ad alterum autem cetera omnia. Bona honesta prioris generis in eo maxime differunt a ceteris; quod illa esse accipiunt ab ipsa rationali natura cui bona sunt, et quidem per liberam dependentiam, unde specialem habent honestatem, qua carent honesta bona secundi generis, uti valetudo, ingenium, bona fortunae, etc.: bonum enim cuique est, quae sibi bona sunt efficere; quamdam enim id fert independentiam. Praeterea, cum proprium sit naturae rationalis per rationem duci; si actiones secundum dictamen rationis procedant, id illi conveniens est, ac inde bonum et honestum stricte proprieque dictum: «Bo»num cujuslibet mensurati et regulati consistit in hoc, quod con»formetur suae regulae» (4). Igitur cum naturae rationalis actiones hisce vestiuntur ornamentis, ut libere fiant et cum debito respectu ad dictamen rationis, morales seu moraliter bonae vel honestae dicuntur. «Bonum morale idem est quod bonum honestum magis »stricte sumptum.... quod est consentaneum rei ut libere operatur; »mos enim in libera operatione consistit» (5), ait D. Eximius.

Hinc quid sit malum morale et inhonestum facile deduces, cum nihil aliud sit malum quam privatio boni. Quodcumque enim naturae rationali inconveniens est, ut indigentia, stoliditas, diffamatio, etc. malum, seu inhonestum dicetur: quod si ipsius naturae rationalis actiones eidem fuerint inconvenientes, puta, bona sua dilapidet, stulta proferat vel efficiat; propriori sensu haec mala et

(1) 1 Timot. IV, 4.—(2) Genes. I, 31.—(3) *Enchir.* l. 1, n. 3.— (4) S. Th. 1, 2, q. 19, 9; q. 54, 1, 3. — (5) Suarez, *Metaph. disp.* X, sec. 2, n. 30.

inhonesta erunt: tandem, si contra rationis dictamina libere operetur, id malum morale et stricte inhonestum dicere oportebit.

59. Verum privatio nonnumquam per aliquid positivum efficitur; uti per catenas fit libertatis privatio: aliquando vero per formam negativam; uti caecitas visu privat. Unde etiamsi fateantur omnes, peccatum, utpote malum morale, in privatione reponi; tamen non conveniunt Auctores universim in hoc, an peccati commissionis malitia formalis in aliqua forma positiva, vel negativa, compleatur. S. Augustinus, S. Thomas, Suarez, Molina, Valentia, Scotus, etc. in forma negativa, id est, in privatione rectitudinis debitae actui vel potentiae, constitui malitiam censent. Alii autem, in forma positiva peccatorum malitiam formalem reponunt: at parum firmae mihi eorum rationes videntur.

Praecipue ex peccato odii in Deum argumentantur, quod a) ab intrinseco et totum in se esse malum, asserunt. Item, ajunt b); si in privatione alicujus honestatis malitia odii reponenda foret, privatio esset charitatis. Atqui potest evenire, ut, ante odium elicitum, aliquis statuerit non elicere amoris actum: quo posito, nequit charitatis privatio dari vel concipi. Insuper c) non repugnat Deum auferre libertatem ad actum charitatis: inde, si quis odium Dei haberet, non privaretur honestate virtutis illius, cujus supponitur incapax; tamen malum et peccatum odium illud futurum quis dubitet? d) Denique ex sola intensitate actus, major potest ei inesse malitia, eadem stante honestate objecti oppositi.

Nonne subtilia, potiusquam solida, dicenda ejusmodi argumenta?

Ad 1.^{m} a) Negare licet, ab intrinseco et totum esse malum odii in Deum actum, sed moraliter tantum, quatenus aversio voluntatis, libera intentione in Deum dirigitur. Cum enim quis Deum veluti malum et odibilem apprehendit, et aversionis persentit affectum insurgere; si illum in Deum ipsum referat, Dei odium habebit: sin vero in talem complexum, Deo injuriosum et indignum, aversionem inflectat; actum honestum et laudabilem eliciet. Ad 2.^{m} b) Odium in Deum, non solius charitatis privationem inducit, sed spei etiam. Illa autem hypothesis, quod quis ante statuerit nec actum amoris nec spei tunc elicere, non impedit quominus odium, si forsan concipiatur, sit utriusque actus privatio: nam multiplici ratione, seu titulo, potest ejusdem rei privatio induci: sicut visu privari aliquis potest caecitate, carentia lucis, etc.

Ad 3.^{m} c) Similis potest aptari responsio.

Ad 4.^{m} d) Quo intensior est actus malus, magis recedit a regula; ideoque privatio moraliter major.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS ESCUELA TEOLOGÍA SECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

Verum ejusmodi, et aliae similes, difficultates, a gravitate rationum prioris sententiae multum, ni fallor superantur. In praesentiarum autem, eas omnes latius expendere non vacat.

60. a) Pars. I. prob. 1.° Sententiis supra laudatis (n. 57.) 2.° Malum, formaliter sumptum, non est natura aliqua vel ens reale, sed privatio alicujus entitatis. Sed efficientia ad aliquam entitatem fertur et terminatur; *nihil* enim nec indiget, nec potest effici: ergo nullius mali potest esse Deus causa efficiens. Apposite Augustinus (1): «Cum dicitur: natura corruptibilis; non unum, sed »duo nomina dicuntur. Item cum dicitur: Deus fecit de nihilo: »non unum, sed duo nomina audimus. Redde ergo istis singulis »illa singula, ut cum audis naturam, ad Deum pertineat; cum audis »corruptibilem (malum), ad nihilum; ita tamen ut ipsae corruptio»nes, quamvis non sint ex Dei arte, in ejus tamen potestate sint disponendae.»

61. Concedimus autem omnium malorum esse Deum causam permissivam, cum sit omnipotens ad rem quamlibet in sua integritate conservandam. Unde ait ipse Augustinus (ibid): «Cur »ergo, inquis, quod naturae Deus dedit tollit corruptio? Non tollit, »nisi ubi permittit Deus: ibi autem permittit, ubi ordinatissimum »et justissimum judicat, pro rerum gradibus et pro meritis anima»rum... Cujus pulchritudinis ordinem et modos, si posset capere »sensus noster atque memoria, ita nobis placeret ut defectus, qui»bus distinguitur, nec corruptiones vocare auderemus.»

62. b) Prob. II pars; nempe, non esse Deum causam intentivam mali moralis, quod est fide catholica certum.

Nota. Malum, etiamsi non sit formaliter factibile, quia non est aliquid positivum sed privativum, consequitur bonum seu naturam aliquam corruptibilem ac defectibilem; quaerere ergo oportet, utrum Deus non tantum permittat mala, sed etiam ea aliquando velit et intendat, saltem tamquam media ad finem aliquem assequendum.

1.° Trident. Synodus (2) definivit: «Si quis dixerit, non »esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, »ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam pro»prie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio »Judae, quam vocatio Pauli; anathema sit.»

Concilium etiam Arausicanum a Bonifacio II confirmatum, docuerat: «Aliquos ad malum divina potestate praedes»tinatos esse, non solum non credimus, sed etiam, si sunt qui tan»tum malum credere velint, cum omni detestatione, illis anathema »dicimus.»

(1) *Contra epist. Manich* l. 1, n. 44, 47.—(2) Sess. VI, can. 6.

2.° Perspicue idem docet Scriptura (1): *Altissimus odio habet peccatores, et impiis reddet vindictam.* Paulus tradit etiam quo pacto male agentes Deus respiciat (2): *Sustinuit in multa patientia vasa irae, apta in interitum.* S. Jacobus ait (3): *Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tentatur: ipse neminem tentat.* Item: *Justus Dominus, et justitias dilexit, aequitatem vidit vultus ejus* (4). *Non Deus volens iniquitatem tu es* (5).

63. 3.° Si Deus esset causa intentiva mali moralis, non foret ejus bonitas causa finalis omnium, quod supra ostendimus (Thes. V): ergo non potest Deus malum morale intendere. *Ant.* prob. Bonitas divina movet et causat, quatenus allicit et inducit ad sui communicationem et imitationem. Atqui malitia moralis opponitur bonitatis divinae communicationi et imitationi; ergo si Deus intenderet malum morale, non esset divina bonitas causa finalis omnium. *Min.* patet: nam malitia moralis, ut praenotatum est, est privatio bonitatis seu honestatis actibus rationalis naturae debitae, ac proinde a bonitate divina profluentis.

Confirm. Quod dictamini rationis opponitur, quae est proxima moralis honestatis regula, adversatur quoque Legi aeternae Dei et summae ejusdem bonitati, quae est suprema et ultima honestatis moralis regula et mensura. Atqui adversum suam bonitatem et aeternam legem nihil potest Deus intendere vel efficere; ergo nullum malum morale potest Deus inducere aut intendere. *Majorem* ex tract. de *Actibus humanis* supponimus: *Minorem* etiam alibi (6) demonstravimus; etenim necessario suam bonitatem Deus amat, eaque tamquam fine ultimo et supremo ducitur.

64. c) Pars III prob.

Nota. Bonum et malum physicum dicitur secundum respectum ad naturam cujuscumque rei, etiam rationalem, uti sanitas, caecitas, etc.

1.° Concil. Valentinum decrevit, excepta hominum malitia, cetera a Deo fuisse praedestinata: can. 3. «Fidenter fatemur... »praedestinatione Deum ea tantum statuisse, quae ipse vel gratuita »misericordia, vel justo judicio facturus erat, secundum Scriptu»ram dicentem; *qui fecit quae futura sunt:* in malis vero ipsorum malitiam praesciisse, quia ex ipsis est; non praedestinasse, quia »justus est; apud quem est, ut S. Augustinus ait, de omni»bus omnino rebus tam fixa sententia, quam certa praescientia. Ad

(1) Eccli. XII, 7.—(2) Rom. IX, 22.—(3) I, 13.—(4) Ps. X, 8.—(5) Ps. V, 5. – (6) Supra, n. 47: et Disq. IV, thes. XXXVI, n. 225.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»hoc siquidem fecit Sapientis dictum: parata sunt derisoribus judi»cia, et mallei percutientes stultorum corporibus.»

Benedictus XII (1) docet: «Definimus insuper, quod, secun»dum Dei ordinationem communem, animae decedentium in ac»tuali peccato mortali mox post mortem suam ad inferna descen»dunt, ubi poenis infernalibus cruciantur:» mala ergo physica potest Deus velle et causare.

65. 2.° Ex sacris Litteris aperte constat. In primis ordinavit Deus tum plantas, tum animantia in cibum hominum et aliorum animalium, quod sine malo physico non efficitur. Item, totum orbem aquis demersit; quod ingens fuisse physicum malum, quis dubitet? Job ajebat (2): *Quis det, ut quod expecto tribuat mihi Deus? et qui coepit ipse me conterat, solvat manum suam et succidat, et haec mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat, nec contradicam sermonibus Sancti?* De Jesu autem Salvatore dixit Isaias (3): *Dominus voluit conterere eum in infirmitate.*

66. 3.° Hieronymus (4) ait: «Perspicuum est divitias et eges»tatem, sanitatem et languorem, voluptatem atque cruciatus, nec »bona esse nec mala; sed pro sustinentium diversitate bona et mala »fieri.» Ergo potest Deus mala physica intendere, bonis quidem in bonum ipsorum, malis autem in poenam et correctionem. Item, Augustinus ad pulchritudinem spectare universi et hominum utilitatem mala ejusmodi physica docet: «Ita sese habet etiam tem»poralium naturarum infima pulchritudo, ut rerum transitu pera»gatur et distinguatur morte nascentium... Quod autem in ejus »pulchritudinis parte laboramus, cum nos fluentia deserunt tempo»ralia quae diligimus; et peccatorum poenas luimus, et sempiterna »diligere commonemur» (5).

67. d) Pars IV, prob. quae doctrina est certa et catholica.

1.° Concil. Carisiacum I decrevit (cap. I.): «Deus peri»turos praescivit, sed non praedestinavit: poenam autem illis, quia »justus est, praedestinavit aeternam. Ac per hoc unam Dei praedes»tinationem tantummodo dicimus, quae ad donum pertinet gratiae »aut ad retributionem justitiae.» Conc. etiam vide Arausicam. II, Supra (n. 62): si enim aliquibus Deus poenas et damnationem intenderet, exinde non solum ad malum poenae ab aeterno eos praedestinasset, sed etiam ad malum culpae; absque culpa enim poena esse non potest. Hoc autem quam detestabile sit, et divinae repugnans bonitati, Synodus testatur Arausicana.

68. 2.° Testantur quoque Scripturae (6): *Nolo mortem impii, sed*

(1) Constit. *Benedictus Deus.* – (2) VI, 8-10.—(3) LIII, 10.–(4) In Isai. LV, 2. —(5) *Cont. epist. Manich.* n. 47.—(6) Ezech. XXXIII, 11.

ut convertatur et vivat: et rursus: *Non tardat Dominus..., sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti* (1). *Et miserationes ejus super omnia opera ejus* (2): punire ergo non intendit directe Deus, sed, consequenter ad culpas praevisas, poenas vult irrogare.

69. 3.° Ad rem Augustinus (3): «Omnis poena, si justa est, »peccati poena est, et supplicium nominatur: si autem injusta est »poena, quoniam poenam esse nemo ambigit, injusto aliquo domi»nante homini imposita est. Porro quia de omnipotentia Dei et jus»titia dubitare dementis est, justa haec poena est, et pro peccato »aliquo penditur.» Hieronymus autem ait (4). «Inimicum non »ut crudelis suscitat Deus, qui eum quasi punire desiderat.» Ad hanc siquidem amentiam nonnulli pervenerunt, ut putarent cupere Deum punitiones ad justitiam ostendendam.

Denique, si ex ratione arguere velis, optimam tibi exhibet Augustinus nuper laudatus.

70. Obj. in I.^{m} partem. Mala, quae a causis fiunt necessariis, a Deo etiam efficiuntur. Sed plurima efficiunt mala causae necessario operantes; quaedam enim animalia aliis pascuntur; aegritudines etiam, terremotus, tempestates innumera occidunt viventia; ergo Deus plurimorum malorum est causa efficiens.

Resp. Dist. maj. A Deo efficiuntur, id est; *disponuntur;* ut supra loquitur Augustinus (n. 60); conc. *maj.* Efficiuntur *proprie;* nego.

Scilicet, causae naturales *directe* aliquid efficiunt in rebus, unde praeexistentis alicujus formae defectio consequitur: quod autem deficit non *fit*, sed desinit esse.

Obj. 2.° Cogitationes turpes et inductivae ad peccandum sunt malae et inhonestae. Atqui plurimae fiunt necessario: ergo a Deo efficiuntur plurima mala et inhonesta.

Resp. Dist. *maj.* Cogitationes... sunt malae, cum evadunt voluntariae; conc. Cum constituunt tantum libertatem in actu primo, ut illis voluntas libere resistat; nego *maj.* vel subd.; Sunt malae *denominative* ex consequenti abusu, vel tentantis prava intentione; conc...: sunt malae in se et absolute; nego *majorem*.. Dein dist. *consequens:* a Deo efficiuntur, ut libere et meritorie resistat voluntas; conc. Ut turpia sunt et mala; nego *consequentiam:* aliud enim est cogitatio mali, aliud cogitatio mala: illa potest ex honesto fine intendi; haec autem numquam.

71. Obj. in II.^{m} partem 1.° Christus *ductus est a Spiritu in de-*

(1) II Petr. III, 9. — (2) Ps. CXLIV, 9. — (3) *De liber Arbitr.* l. I, n. 51. — (4) In Job. XLI, 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sertum, ut tentaretur a diabolo (1). Atqui diabolica tentatio futura erat moraliter mala; ergo potest Deus mala moralia intendere.

Resp. dist. *antec.* et explico: *ut tentaretur*, id est, ut ibi *permitteret* Christum a diabolo tentari; conc. *majorem:* quasi vellet positive diabolicam tentationem; nego *maj.* et *consequentiam.*

72. Obj. 2.° Daemoni suggerenti cogitationes ad peccandum, sunt voluntaria hominum peccata; ergo et Deo sunt voluntaria, cum cogitationes et motus pravi a natura necessario procedunt.

Resp. Nego paritatem et *consequentiam*. Etenim daemon ex peccati intentione cogitationes causat, et malum suadendo; Deus autem ex boni desiderio, unde et gratiam confert ut meritum è probatione desumamus.

Inst. Non minus saepe alliciunt ad malum cogitationes pravae, quam consilium vel mandatum de malo efficiendo: atqui consulenti vel praecipienti, etiamsi ficte praeciperet, fiunt voluntariae actiones praeceptae; ergo et *inducenti* cogitationes pravas, fiunt voluntaria peccata.

Resp. Dist. *maj.* Non minus alliciunt, at *alio modo;* concedo *maj.:* non minus et *eodem modo* alliciunt; nego. Nam consilia et mandata ducunt morali modo et inducunt contemptum regulae moralis honestatis, utpote ad malum moraliter determinata: motus et cogitationes alliciunt physice.

73. Obj. 2.° Qui vult actum, et vult quod eidem est necessario et intrinsece connexum. Sed Deus vult efficaciter actum malum *quoad entitatem*, cui *hic et nunc* est malitia necessario et intrinsece connexa; ergo vult Deus malum morale. *Majorem* evidentem supponimus: *minor* autem est thomistarum communis sententia.

Resp. Concessa *majori*, nego *minorem* quoad primam partem, nempe, velle Deum efficaciter *entitatem* actus mali; vult enim tantum eam permissive, quemadmodum et ipsius malitiam. Sane, dum actus elicitur sub malitiae ipsius cognitione et libere, est intrinsece et necessario moraliter pravus; ideoque si quis entitatem velit actus, vult quoque malitiam ejusdem.

74. Obj. in III.ª partem 1.° *Deus mortem non fecit. Per peccatum mors* (2); ergo ubi non sit peccatum, dedecet Deum mala irrogare physica.

Resp. Nego *consequentiam:* loquitur enim Scriptura respectu justitiae originalis gratis a Deo concessae.

Inst. Bona omnia naturalia et physica, simul cum natura, a Deo singulis entibus donata fuere, et quidem propter suam Bonitatem (supra n.° 47): ergo sibi et suae opponitur Bonitati, si mala physica intendat Deus; quod nefas est cogitare, juxta Apostolum (1): *Sine poenitentia enim sunt dona Dei.*

(1) Matth. IV, 1.—(2) Sap. I, 13; Rom. V, 12.

Resp. Dist. *antec.* Donata sunt singulis entibus bona omnia physica, *cum ordine* tamen ad rerum universitatem et finem ultimum; concedo *antec.* Bona omnia donata sunt singulis entibus *absolute* perspectis; nego.

75. Etenim divinam sapientiam causam extitisse distinctionis et inaequalitatis rerum creatarum ostensum est (Thes. VI, n.° 50); hoc autem posito ordine, sensus omnium gentium, imo animantium quoque instinctus, testatur; partes toti, inferiora superioribus, minora mala majoribus vitandis subservire debere. Sic plantae minus utiles utilioribus locum cedunt apud agricolas; inferiora animalia superiorum sunt esca, quisque partem sui, minus nobilem, ad nobiliorem tutandam libens contemnit: igitur mala ejusmodi physica minime adversantur, sed commendant potius Dei bonitatem. Praeterea corruptibilium et terrenarum rerum deficientia et morte, aeternarum et incorruptibilium, praesertim primae Causae et summi Boni, dignoscit homo perfectionem, indeque ad ea prosequenda inardescit; in quo extremum invenitur divinae sapientae et Bonitatis, ut supra docet Nazianzenus (n. 35), mysterium.

76. Obj. 2.° In malis plurimis physicis minime ejusmodi splendet Dei Bonitas: ergo a Deo intendi non possunt, et a malo orta fuere principio, ut Manichaeus contendebat. *Ant. prob.* Inter mala physica dolores plurimi, et quidem acerbissimi, adnumerantur. Atqui mala ista, etiamsi ordini morali, dum crimina vindicantur, utiliter subserviant; tamen in ordine physico, cui soli bestiae subjiciuntur, nihil bonitatis inducunt; ergo crudelitatem non vero bonitatem in causa indicant, ideoque Deo adjudicari non possunt.

Resp. Nego *antec.* et ab probationem, nego *minorem*. Dolor enim facultatem consequitur sentiendi, quae animantium constituit naturam: dum enim sibi convenientia sentiunt objecta, delectantur; dum vero adversa percipiunt, torquentur; inde consequitur, ut bona sibi convenientia avide prosequantur, mala vero diligenter caveant; dolor ergo ad bonum etiam ipsorum animantium refertur. Ast, cum superioribus naturis, ex nuper dictis, debeant animalia subservire; exinde quoque bonitas doloris est perpendenda, quae multimodis elucet: a) doloris enim aculeo adigit homo bestias ut sibi subjiciantur: b) discimus etiam dolorem sensilem effectum esse connaturalem naturae nostrae, non autem mutilationem aut monstruositatem; cum animantia, etiamsi non deliquerint, eidem sint adstricta: c) deinde cum videant homines animantia, non tantum

(1) Rom. XI, 29.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sensuum illecebris, sed doloribus quoque ordini rerum subjici et inservire; monentur et ipsi, tum delectamenta tum aerumnas ordinis physici ad moralem ordinem, longe excellentiorem, referre, nec non ad supremi Conditoris obsequium et subjectionem.

77. Obj. in IV partem. 1.° Poenae seu aerumnae in vindictam inflictae delictorum, ostendunt Dei sanctitatem et justitiam. Atqui ad mundi spectat perfectionem quod divinam referat justitiam, cum Deus sit ipsius causa exemplaris; nec non ad hominum utilitatem, quod visis poenis, a peccatis avertantur; et humilitatem, cum inde addiscant, quorsum possit malitia eorum et infirmitas descendere; et ad Dei gloriam, cum exinde ejus eluceant perfectiones; ergo propter tot emolumenta potest Deus poenas intendere.

Resp. Disting. *consequens:* potest Deus poenas intendere *consequenter* ad peccatorum absolute praevisam existentiam; concedo: *antecedenter;* nego *consequentiam.* Hoc enim concesso, et concedendum esset Deum velle et procurare delicta, in quae poenas intentas dictare valeat; quod absit cogitare. Imo, ipsis etiam positis et praevisis peccatis, mavult Deus parcere quam punire: *¿Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* (1)

Apage ergo, Calvinistae insani, qui, cum haeresiarcha vestro dicitis, Deum reprobos creasse ad damnationem, ideoque ad peccatum.

CAPUT II.

De Deo cum creaturis operante.

ARTICULUS I.

De Concursu Dei in actu secundo.

THESIS VIII.

Effectuum causarum secundarum est etiam Deus principium efficiens; non tantum quatenus eis virtutem agendi indidit, sed etiam quia immediate ad omnem cujuscumque causae actionem concurrit.

(1) Ezech. XVIII, 23.

78. **Nota** 1.° Prima pars est de fide, et Manichaeorum deliramento, de duplici rerum principio, opponitur. Secunda autem adversus Durandum, quem omnes fere AA. temeritatis arguunt quod eam negaverit, est etiam certa; imo juxta Valentiam, Suarezium, etc. est doctrina fidei.

79. **Nota** 2.° Causa, generatim sumpta, est principium per se influens esse in aliud. Causa autem efficiens ea dicitur, a qua proprie actio oritur seu rei effectio: ceterae siquidem causae, ut formalis, finalis etc. non influunt in effectum per ipsam actionem. Unde causalitas, cum ad causam refertur efficientem, nihil aliud est quam ipsa actio: quae formaliter ipsum agendi seu causandi exercitium significat.

80. **Nota** 3.° Perspicuum est, actionem esse quippiam medium inter causam et effectum; ita ut impossibile sit actionem concipere, quin hinc cogites causam, inde effectum, et quidem formaliter; id est, sub ratione causae et effectus. Eadem ergo res, actio nempe, duplicem habet intrinsecum respectum: alterum ad suum principium, cui est in efficiendo ultimum et formale exercitium; dum enim non est actio, nihil influit, nihil agit, nihil efficit causa: alterum vero ad effectum, cui est in dependendo, seu exeundo a non esse, ultimum et formale determinativum. Pari enim omnino modo formaliter repugnat, *esse actionem* et causam non influere, seu causare; *ac esse actionem* et effectum non fluere, seu causari.

Ex quibus intelliges, respectum actionis, tum ad causam, tum ad effectum, esse transcendentalem, non vero praedicamentalem. Unde plane repugnat, quod *eadem actio* possit respicere nunc ad istam causam, nunc ad aliam; nunc ad unum effectum, nunc ad alterum. Etiam deduces, actionem transeuntem non perficere causam (1), sed potius illam supponit perfectam.

81. I.ª Pars patet 1.° Ex Constant. Symb. «Credo in »unum Deum... factorem coeli et terrae, visibilium omnium et in»visibilium.»

2.° Joan. (2). *Omnia per ipsum facta sunt.* Et Apostolus (3): *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula; amen.*

3.° Ita omnes Patres, unanimi consensu. Sic Concil. plenarium Hispan.ae et Lusitaniae (a. 447): «Credimus in »unum verum Deum... visibilium et invisibilium factorem, per

(1) D. Thom. 1, p. q. 18, ad 1.m—(2) Jo. I, 3.—(3) Rom. XI, 36.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sensuum illecebris, sed doloribus quoque ordini rerum subjici et inservire; monentur et ipsi, tum delectamenta tum aerumnas ordinis physici ad moralem ordinem, longe excellentiorem, referre, nec non ad supremi Conditoris obsequium et subjectionem.

77. Obj. in IV partem. 1.° Poenae seu aerumnae in vindictam inflictae delictorum, ostendunt Dei sanctitatem et justitiam. Atqui ad mundi spectat perfectionem quod divinam referat justitiam, cum Deus sit ipsius causa exemplaris; nec non ad hominum utilitatem, quod visis poenis, a peccatis avertantur; et humilitatem, cum inde addiscant, quorsum possit malitia eorum et infirmitas descendere; et ad Dei gloriam, cum exinde ejus eluceant perfectiones; ergo propter tot emolumenta potest Deus poenas intendere.

Resp. Disting. *consequens:* potest Deus poenas intendere *consequenter* ad peccatorum absolute praevisam existentiam; concedo: *antecedenter;* nego *consequentiam.* Hoc enim concesso, et concedendum esset Deum velle et procurare delicta, in quae poenas intentas dictare valeat; quod absit cogitare. Imo, ipsis etiam positis et praevisis peccatis, mavult Deus parcere quam punire: *¿Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis suis, et vivat?* (1)

Apage ergo, Calvinistae insani, qui, cum haeresiarcha vestro dicitis, Deum reprobos creasse ad damnationem, ideoque ad peccatum.

CAPUT II.

De Deo cum creaturis operante.

ARTICULUS I.

De Concursu Dei in actu secundo.

THESIS VIII.

Effectuum causarum secundarum est etiam Deus principium efficiens; non tantum quatenus eis virtutem agendi indidit, sed etiam quia immediate ad omnem cujuscumque causae actionem concurrit.

(1) Ezech. XVIII, 23.

78. **Nota** 1.° Prima pars est de fide, et Manichaeorum deliramento, de duplici rerum principio, opponitur. Secunda autem adversus Durandum, quem omnes fere AA. temeritatis arguunt quod eam negaverit, est etiam certa; imo juxta Valentiam, Suarezium, etc. est doctrina fidei.

79. **Nota** 2.° Causa, generatim sumpta, est principium per se influens esse in aliud. Causa autem efficiens ea dicitur, a qua proprie actio oritur seu rei effectio: ceterae siquidem causae, ut formalis, finalis etc. non influunt in effectum per ipsam actionem. Unde causalitas, cum ad causam refertur efficientem, nihil aliud est quam ipsa actio: quae formaliter ipsum agendi seu causandi exercitium significat.

80. **Nota** 3.° Perspicuum est, actionem esse quippiam medium inter causam et effectum; ita ut impossibile sit actionem concipere, quin hinc cogites causam, inde effectum, et quidem formaliter; id est, sub ratione causae et effectus. Eadem ergo res, actio nempe, duplicem habet intrinsecum respectum: alterum ad suum principium, cui est in efficiendo ultimum et formale exercitium; dum enim non est actio, nihil influit, nihil agit, nihil efficit causa: alterum vero ad effectum, cui est in dependendo, seu exeundo a non esse, ultimum et formale determinativum. Pari enim omnino modo formaliter repugnat, *esse actionem* et causam non influere, seu causare; *ac esse actionem* et effectum non fluere, seu causari.

Ex quibus intelliges, respectum actionis, tum ad causam, tum ad effectum, esse transcendentalem, non vero praedicamentalem. Unde plane repugnat, quod *eadem actio* possit respicere nunc ad istam causam, nunc ad aliam; nunc ad unum effectum, nunc ad alterum. Etiam deduces, actionem transeuntem non perficere causam (1), sed potius illam supponit perfectam.

81. I.ª Pars patet 1.° Ex Constant. Symb. «Credo in »unum Deum... factorem coeli et terrae, visibilium omnium et in»visibilium.»

2.° Joan. (2). *Omnia per ipsum facta sunt.* Et Apostolus (3): *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in secula; amen.*

3.° Ita omnes Patres, unanimi consensu. Sic Concil. plenarium Hispan.ae et Lusitaniae (a. 447): «Credimus in »unum verum Deum... visibilium et invisibilium factorem, per

(1) D. Thom. 1, p. q. 18, ad 1.m—(2) Jo. I, 3.—(3) Rom. XI, 36.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»quem omnia facta sunt in coelo et in terra.» Verum, hac de re, vide quae retro dicta sunt (Thes. I, n. 1).

82. II. Pars prob. 1.° Ex obvio sensu testimoniorum quae pro prima parte adhibita sunt. Cum enim aequaliter omnia a Deo facta dicantur, et effectio mediata non sit propria et formalis, oportet ut immediate omnia Deum facere dicamus.

2.° *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (1): ex quibus arguit Augustinus (2): «Sunt qui arbitrantur, tantummodo »mundum ipsum factum a Deo, cetera jam fieri ab ipso mundo, »sicut ille ordinavit et jussit, Deum autem ipsum nihil operari. »Contra quos profertur illa sententia Domini. *Pater meus...*» Et S. Jo. Chrysost. (3): «Quod si perconteris, et quomodo Pater »operatur... Cum solem orientem, lunae cursum... fontes, flu»vios... caetera omnia, quibus hoc totum constat, vides; intellige »perpetuam Patris operationem.»

Ita Theophylactus in Jo. c. V.

Isaias ait (4): *Omnia opera nostra operatus es nobis.* Et Paulus (5): *Qui operatur omnia in omnibus.*

83. 3.° Hieronymus ad Ctesiphont: «Fraudulenter praeten»dis, ut Dei gratia ad conditionem hominis referas, et non in sin»gulis operibus auxilium Dei requiras... Audite, quaeso, audite sa»crilegium. Si, inquit, voluero curvare digitum, movere manum, »ambulare, etc. Semper mihi auxilium Dei necessarium erit.» Item dialogo 1, *advers Pelag.*: «Si in singulis rebus, quas gerimus, Dei »utendum est adjutorio: ergo et calamum temperare... loqui... et »cetera hujusmodi nisi Deus juverit non poterimus? Juxta meum »sensum non posse, perspicuum est.»

Gregorius (6): «Numquidnam haec quae inanimata, vel quae »viventia diximus, suis instinctionibus et non magis divinis im»pulsionibus agitantur?

84. 4.° Confirm. rationibus. a) Summum, et quo majus cogitari nequit, est Dei dominium *in omnia*. Atqui subjectio et dependentia multo major erit et strictior, tum ex parte effectuum, si Deo immediate debeant suum esse; tum ex parte causarum, si pendeant non tantum immediate in essendo, sed etiam in causando: ergo Deus immediate omnia efficit.

b) Omnis effectus immediate a Deo pendet in conservari: ergo et in fieri, seu primo produci et esse. Nam non est difficilius, sed facilius, retinere praehabitam existentiam, quam illam primo accipere.»

---

(1) Jo. V, 17.—(2) De Gen. ad lit. l. 5, c. 20. — (3) In Jo. hom. 37.— (4) Is. XXVI, 12.—(5) 1.ª Cor. XII, 6.—(6) *Mor.* l. 16, c. 16.

c) Ideo omne ens a Deo conservari cognoscimus, quia habet esse participatum, ac essentialiter per se a Deo pendens; et quia in nihilum actione positiva, reduci nequit. Atqui in ipso fieri effectuum utraque subsistit ratio: ergo et actio, qua fiunt, pendet a Deo.

85. Objic. 1.° Quidquid potest Deus agere cum alio, potest et ipse solus. Atqui solus nequit facere actionem illam ignis, quae est calefactio, et actionem illam intellectus, quae est intelligere, etc. Ergo nequit Deus concurrere ad omnem causarum actionem, seu efficientiam. *Min.* patet: ut enim dictum est in Praenot., quaelibet actio transcendentalem habet respectum ad *suum* principium.

Resp. Dist. *maj.* Quidquid potest Deus... id est, potest Deus se solo actionem ponere, qua suppleatur actio causae secundae in ordine ad effectus, quos respicit; conc. *maj.* Potest Deus ipsas actiones seu causalitates aliarum causarum solus efficere; nego.

Item, dist. *min.* Solus Deus nequit facere terminum actionis ignis, etc., nego *min.* Nequit facere solus ipsam actionem formalem ignis; conc.

86. Objic. 2.° Indecorum videtur tribuere Deo actiones pravas aliarum causarum, ut per se et immediate easdem operanti: Ergo.

Resp. Dist. *ant.* Ut easdem operanti voluntate approbativa vel determinativa; conc. *ant.* Voluntate pure permissiva; nego.

Diligenter notandum, quod licet pura permissio, ex terminis, non importet concursum physicum; illum tamen, cum est necessarius, importat *ut non subtrahendum*. Ratio est, quia nullus permittit id quod impedit; sed si causa prima subtraheret concursum physicum ad aliquod opus, illud impediret; permissio ergo causae primae exigit ut non recuset concursum suum. Cum hoc tamen optime cohaeret, quod pravum opus existere Deus serio nolit, illudque detestetur; licet enim praebeat concursum, non tamen ad malum agendum, (hoc enim est plane absurdum) sed ad libere illud vitandum, et ob talis meriti amorem illum exhibet. Sicut sacerdos praebens occulto peccatori S. Christi corpus, non sacrilegii affectu sed ob scandalum vitandum concurrit.

87. Inst. Deus vult actum pravum non poni: ergo vult pariter non exhiberi concursum ad illum. Quomodo ergo concurrere potest per nolitionem concursus?

Resp. dist. *ant.* Vult non poni, *libere;* conc. *ant.* Aliter; nego. Jam vero, ut actus ille pravus libere vitetur, debet accipere creatura potestatem proximam expeditam, quam sane, nisi applicaretur omnipotentia, seu si non exhiberetur concursus, non haberet.

Objic. 3.° Deus, ex dictis, positive vult non subtrahere concursum. Sed non subtractio concursus est positio ipsius: ergo Deus positive vult ipsum concursum, ideoque actionem pravam.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. Dist. *maj*. Si agitur de concursu in actu primo; conc. *maj*. Si de concursu in actu secundo; nego. Et dist. *min*. Non subtractio concursus in *actu primo* est positio ipsius in eodem actu primo; conc. *min*. in *actu secundo;* subd. permissive; conc. *min*. Formaliter, seu approbative; nego. Eodem modo distinguas *conseq*. Ut ait Augustinus (1): «Melius judicavit (Deus) de malis benefacere, »quam mala nulla esse permittere.»

SCHOLION.

De actione Dei concurrentis.

88. Quo melius concursus divinus in omnes creaturarum effectus intelligatur, pauca adjicienda.

Quidam *AA*. censent, Deum per actionem, ab actione causae secundae distinctam, ad hujus effectum concurrere. Placet, hac in re, quod defendit Cl. Mayr. (2).

«**Dico:** Deus cum causa creata influit per eamdem »actionem. Ita communis, saltem Nostrorum, cum S. Tho»ma (3), qui ait: nihil prohibet, quin una et eadem »actio, procedat a primo et secundo agente; et »Suarez (4). Prob. Ipsa actio creaturae est aliquod ens crea»tum: ergo ipsa etiam debet dependere a Deo, et ab hoc inadae»quate produci: ergo Deus etiam per hanc ipsam, adeoque per »eamdem actionem cum creatura influit in effectum, nam hoc nihil »est aliud, quam respici essentialiter ab actione productiva effec»tus, tamquam principium efficiens.

«Confirm. Si Deus influit per aliam actionem, tunc influit per »duplicem, nempe, per ipsam actionem creaturae, ut modo proba»tum est, et per alteram superadditam: atqui Deus non influit, sal»tem naturaliter, in effectum per duplicem actionem: ergo per eam»dem influit.»

Objic. Deus vult omnem suam actionem: ergo vult peccatum; nam, juxta dicta, ipsa actio peccatoris est actio Dei. Resp. Dist. *ant*. Deus vult... actionem, cujus est causa per se; conc. Cujus est causa per accidens; nego *ant*. Nam permissive concurrit.

Nota. Dei concurrentis actio ad transeuntes spectat actiones; ut ergo magis illam calleas, vide infra quae in Capite IV, n. 203, ea de re traduntur.

---

(1) *Enchir*. c. 27. — (2) *Philosoph*. Pars. 2 disp. 3, q. 1, a. 3. — (3) P. 1, q. 105, a. 5, ad 2.—(4) Disp. 22, *Metaph*. Sec. 3.

ARTICULUS II.

De concursu Dei in actu primo.

THESIS IX.

Deus omnipotentiam ad concurrendum nostris actibus liberis applicat per decretum indifferens, non vero per decretum cum illis connexum.

89. **Nota.** Cum Deus non agat ad extra necessitate naturae aut caeco modo, sequitur, omnem ejus cum causis secundis concursum a suo libero sapientissimoque procedere arbitrio seu decreto. Fere Soc. Auctores omnes, cum aliis pluribus, docent, ejusmodi decretum esse praevium ad formalem Dei concursum; at, certe, illi omnes in eo saltem conveniunt, per illud ita applicari Omnipotentiam, ut possit exercitium seu actio indifferenter sequi, vel non. Hanc sententiam fuisse communem inter antiquos thomistas tradit Ortega, in suis *de Deo* Controversiis; (III, disp. 3). Nunc autem oppositum fere omnes tenent AA. thomistae.

90. Prob. 1.° Si Deus applicaret omnipotentiam ad nostros actus per decretum cum illis connexum, praedefiniret efficaciter, ex. gr., actum materialem odii in Deum. Sed tunc deberet Deo tribui malitia odii; quod sane repugnat: ergo tali non utitur decreto. *Majorem.* concedunt. Prob. *min*. Si malitia odii consistat in positivo, ut nonnulli existimant, *minor* evidenter patet. Supponimus autem esse quid negativum: quo posito, malitia odii erit, quod hic actus humanus habeat notam seu differentiam amorem Dei excludentem: sed dum Deus causaret actum materialem odii in Deum, eo ipso causaret notam illam et exclusionem amoris Dei: ergo odii malitia Deo imputaretur.

91. 2.° Repugnat voluntatem libere amare, si omnipotentia Dei ei impediat non amare. Sed si omnipotentia est applicata ad nostros actus per decretum connexum cum amore, formaliter impedit non amare; ergo non amamus libere. *Maj*. patet; quia tunc non est indifferentia ad amandum vel non amandum. *Min*. etiam: quia amor et non amor nequeunt esse simul.

3.° Ante decretum applicativum omnipotentiae, creatura nequit habere potestatem, seu dominium in suos actus; nam sine concursu Dei isti repugnant: posito decreto non indifferenti, seu determinativo unius actus, jam tum repugnat hunc non esse; ideoque non habet potestatem creatura ut actus non sit: ergo omnis exulat li-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

bertas. Confirm. ex S. Thoma (1). «Dominium, quod habet vo»luntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle et »nolle, *excludit* determinationem virtutis in unum.» Atqui dum non est decretum, nequit esse virtus ad impossibile; ideoque est determinata ad non agendum; posito autem decreto, si non fuerit indifferens, sed determinativum, erit determinatio virtutis in unum: ergo decretum applicativum omnipotentiae debet esse indifferens ad agendum vel non agendum, ad hoc vel illud agendum.

92. Objic. 1.° Deus, cum sit omnipotens, potest actum efficere quem vult, et eo modo quo vult. Ergo licet determinet voluntatem ad unum actum prae alio, potest illam ad libere agendum determinare.

Resp. Dist. *Ant.* Dummodo *in modo* non sit contradictio, conc. Aliter; nego *ant.* Jam vero contradictorium esse, voluntatem ab extrinseco praedeterminatam ad unum, et tamen libere eligentem et determinantem, patet ex terminis, nec non sancti Thomae auctoritate supra laudata.

93. Objic. 2.° Omnis causa secunda, antequam agat, est in potentia ad agendum. Sed ens in potentia reduci non potest in actum, nisi per ens in actu: ergo decretum Dei ad concurrendum cum causa secunda debet esse determinativum ejusdem. Nam ut habet Billuart (2): «Ab indifferente, ut tali, non potest magis procedere »aliquid determinatum, quam frigidum a calido, vel album a ni»gro; ita ut, posito solo Decreto indifferenti, voluntas, quae etiam »est indifferens ante suam determinationem, in aeternum maneret »otiosa et suspensa ab actu. Restat ergo, quod Deus sit causa effi»ciens nostrae libertatis actualis per Decretum determinans et mo»tionem a se efficacem ab illo descendentem, qua voluntas ab in»differentia *sua passiva*, quasi a somno, excutitur et reducitur de »potentia in actum.»

Resp. Dist. *min.* Ens in potentia *passiva* reduci non potest... Conc. *min.* Ens in potentia *activa* non potest reduci in actum nisi per ens in actu; subdist, id est, quod sit in *eodem actu formaliter;* nego *minorem;* quod sit in eodem actu saltem *virtualiter;* conc. Deinde, negatur *consequentia;* nec non falsum adjectum systema, vel potius somnium, quo potentia libera et activa comparatur indifferentiae mere *passivae* et mortali somno.

94. Obj. 3.° «Mens S. Thomae in doctrina propugnanda phy»sicae praemotionis ita aperta est, ut nihil magis. Id fassi sunt con»cursus simultanei parentes; Molina in Libro *De Concordia*, »Disp. XXVI, et in P. 1. Qu. XIV, Art, XIII, Disp. VI; Professores

(1) 1 contr. Gent. c. 68.—(2) Disp. 8. a. 4, § 2.

»Collegii Conimbricensis S. J. II Physic. Cap. VII, Qu. XIII, Arti»cul. I; Auctores Libelli *De ratione studiorum,* compositi a Patri»bus S. J., Cap. *De delectu opinionum,* editi Romae 1586, et de quo »videri potest noster Gonet I-II, Disp. VI, Art. II § V; Suarez, »Dispp. netaphys. Disp. XXII, Sect. II, n. LII, qui agnoscit tertium »movendi modum (32, I), qui est ipsa praemotio physica, sine ullo »dubio doceri in Qu. III. *De Potentia,* Artic. VII, quamvis arbitrarie »addat S. Thomam retractasse, P. I. Qu. CV, Artic. V, praemo»tionem quam docuerat in Qu. citata *De Potentia.* Futilissimum ef»fugium, quod rejiciunt ipsi sui consodales Molina et Conim»bricenses, quibus merito persuasum est aperte et expressius »in Summa haberi doctrinam traditam in Qu. *De Potentia.* Et pro»cul dubio melius est aperte recedere a doctrina quae non placet, »quam eam cavillis corrumpere (1).»

95. Haec recens Cl. Auctor; quae, etiamsi adversus praeclarissimos Soc. Jesu Auctores, potius quam in nostram militent doctrinam, paucis dissolvere aequum censemus. Ut autem tum objecta, tum responsa probe intelligantur, accurate distinguamus, quae valde confuse, gratis et propriae causae amore, asseruntur.

§ I.

Praemotio et praedeterminatio.

96. Resp. 1.° Aliud est causas secundas, actione aliqua praevia, moveri, excitari, applicari ad agendum; aliud vero, per talem actionem physice praedeterminari ad actum. Primum, quidem, concedunt aliqui ex praedictis AA. a D. Thoma doceri; non autem secundum, quod potius explicite ac verissime, cum eodem A. Doctore negant, ut supra vidimus. Imo alii nonnulli AA., etiam S. J., qui praedeterminationes physicas horrescunt, illam priorem motionem concedere non timent. Quid? nonne Catholici omnes dari credimus gratias praevenientes, quibus excitatur voluntas, et quidem sufficientissime, quantum est ex parte Dei, ad agendum movetur et applicatur? Numquid autem ejusmodi praemotiones sunt praedeterminantes? Nonne passim iisdem resistimus? Ut autem exemplo utar D. Thomae; cum serra ab artifici ad secandum applicatur, et ducitur ac reducitur per motum agentis principalis, nonne haud raro accidit, ut actus secandi non perficiatur, quia motus serrae in duriores, vel aeque duras impingit particulas? Non igitur recte confundunt thomistae motionem praeviam et applica–

(1) F. Zigliara, S. R. E. Card. Sum. phil. Theol. l. 3, c. IV, a. 8.

tionem ad agendum causae secundae, cum ejusdem praedeterminatione.

§ II.

De mente sancti Thomae

97. Resp. 2.° In primis, nemo facile concedet, adeo esse apertam Sancti Thomae mentem in physica praemotione propugnanda. Nam dum id recentiores thomistae, quasi pro aris et focis contendunt; antiqui sancti Doctoris discipuli, ut Cajetanus, Capreolus, Ferrariensis, etc. negabant, et viam aperiebant Soc. J. Auctoribus et aliis innumeris, ut aliter eum interpretarentur.

§ III.

Concursus simultanei parentes

98. Resp. 3.° Non exigua, fateor, consecuta fuisset Molinam Suarezium, etc. gloria; si duces, in exponendo simultaneo concursu, praeivissent: tamen nolumus S. Thomam, Cajetanum et alios antiquos tali defraudare honore. Sufficiat concedere verae doctrinae servatorem et propugnatorem extitisse Molinam, imo universam Societatem J. quae illius suscepit defensionem; dum schola thomistica, seculo XVI, praemotiones physicas et praedeterminationes obtrudere tentavit, plaudentibus liberi arbitrii osoribus.

99. Placet aliqua Cajetani proferre verba, quibus perspique nostram edocet doctrinam (1): «Non oportet cum aliquis vult aliquid, »seu cum sol illuminat, primam causam praevia motione cooperari; »sed sufficit et exigitur eam intrinsece cooperari tali electioni, vel »illuminationi: et hoc quia cooperatio in unoquoque est secun»dum naturam uniuscujusque: sic enim *disponit omnia suaviter*. »Unde sive necessario, sive libere cooperatur Deus, nihil minus »creata voluntas libere utitur illa cooperatione.» Deinde ait: «Il»la propositio adjuncta, scilicet; causa secunda nihil agit nisi in virtute primae, (exinde inferunt thomistae, prae»motiones physicas et praedeterminationes, ut transeant causae se»cundae a potentia ad actum) nihil juvat: quoniam non est »sensus, quod causa secunda nullam virtutem habeat nisi primae; »sed quod ipsa secunda nullum effectum produit, nisi virtute

(1) In p. 1, q. 9, a. 8.

»primae concurrente, et conjungente virtutem secundae suo effec»tui; quia prima omnia attingit immediate immediatione virtu»tis.»

Nihil ergo praemotionis, nihil praedeterminationis didicit a sancto Doctore, aut somniavit Cajetanus.

Perpendas insuper quid edocebat Ferrariensis (1), alius sancti Thomae interpres insignis: «Ad tertium dicitur quod non da»tur ex parte rei aliquod signum prius, in quo Deus ante ipsam vo»luntatem producat volitionem nostram: si autem sit sermo de prio»ritate secundum nostrum modum intelligendi; dicitur, quod in »illo priori in quo intelligimus volitionem, quae est peccatum, »terminare actionem divinam antequam a voluntate producatur, »Deus dat volitioni perfectam bonitatem, quae nata est sibi conve»nire secundum suam entitatem absolutam, et in ordine ad Deum, »non autem illam quae nata est sibi convenire in quantum ab hu»mana voluntate pendet.» Vides ergo nullam fieri praemotionem aut praedeterminationem ad unum *a parte rei;* ac proinde concursum Dei esse reapse simultaneum.

100. Verum nobis non sunt necessaria discipulorum testimonia cum apertissima sit Magistri mens (2): «Ipsa potentia voluntatis, quantum in se est, indifferens est ad plura: sed quod determi»nate exeat in hunc actum vel illum, *non est ab alio determinante*, »sed ab ipsa voluntate. Sed in naturalibus, actus progreditur ab »agente; sed tamen determinatio ad hunc actum non est ab agente »sed ab eo, qui agenti talem naturam dedit.» Nihil potest clarius dici ad praemotiones et praedeterminationes excludendas thomisticas. Idem confirmat (ibid. a. 2) dominium explicans liberi arbitrii: «Hoc autem (dominium) est in homine secundum illam potentiam, »quae ad plura se habet, nec ad aliquod eorum determinatur *nisi* »*ex se ipsa;* quod tantum voluntati convenit.»

IV.

Molinae et Suarezii sententia

101. Resp. 4.° At vero, quid de Molina dicendum ac Suarezio? Molina (loc. cit.) ait, posse quidem et debere defendi motionem illam et applicationem omnis causae secundae ad agendum, qualem docet D. Thomas, dummodo id intelligatur et interpretetur, *uti a* Cajetano *intelligitur;* nempe, de motione et applicatione illa, quae a Deo per simultaneum fit concursum; multis autem ac gravibus subjacere illam motionem difficultatibus, si

(1) *Contra Gentes.* lib 3, c. 89.—(2) In 2, *dist.* 39, q. 1, a. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dicatur praeviam necessario esse ad omnem creaturae actionem. Unde videat Cl. Thomista non fuisse Molinam, Suarezium etc. concursus simultanei parentes, sed praecursores et magistros habuisse, in ea re, antiquos theologos cum Cajetano.

102. Suarezius nullatenus discrepat a Molina et Cajetano in eo loco Summae (1) interpretando: scilicet ait, intelligendum de simultaneo concursu; quia vero gravibus semper, quidquid dicat censor ille, in judicando ducitur momentis, rationem subjicit: «Ne dicamus D. Thomam hunc aut ignorasse, »aut tacuisse (concursum simultaneum); quod et per se est absur»dum, et repugnat eidem D. Thomae, dicto a. 5, ad 2; ubi ex »illa applicatione (causae secundae ad agendum) concludit unam »et eamdem esse actionem primae et secundae causae; quod solum »est verum propter concursum per modum actionis, ut seq. Sect. »declarabitur» (2).

103. Ex hac autem solidissima interpretatione illius loci Summae, a Cajetano, Molina, Suarezio, et ipso Divo Thoma (in resp. ad 2) comprobata, intelligitur, quam gravi innixus fundamento dixerit Suarezius, retractasse D. Thomam quae in q. 3. *de Pot.* dixerat. Perpendas D. Eximii verba: «Verum est, D. Thomam q. 3, de *potentia*, a. 7, ad»dere tertium, nimirum, virtutem instrumentalem fluentem, quam »recipit causa secunda a prima, ut agat tamquam instrumentum »ejus: disserte enim hanc numerat tamquam distinctam ab appli»catione et ab efficientia seu conservatione ipsius causae secundae »et virtutis ejus. Existimo tamen D. Thomam tacite retractas»se illam doctrinam in 1. p. (q. 105, a. 5), ubi exquisite tractans »omnem modum, quo causa prima operatur cum secunda, illam »virtutem omisit; quod facere non potuisset in proprio ac praeci»puo loco, si existimasset, esse per se necessariam ad concursum »primae causae: et similiter, 2 *Contr. Gent.* c. 70, illius non memi»nit» (3).

Sed de his satis. Ad objectandum pauca sufficiunt dicta; ad dissolvendas autem objectationes, nisi claras proferas rationes, fides tibi non adhibebitur: ita fert ad malum credendum humana proclivitas.

(1) Q. 105, a. 5.— (2) Metaph. Disp. 22, S. 2, n. 49. — (3) Metaph. Disp. 22, S. 2, n. 52.

CAPUT III.

De Deo providente et creaturas movente.

ARTICULUS I.

De Providentia generatim.

THESIS X.

Omnes creaturae, rerumque eventus divinae subduntur Providentiae. Est doctrina fidei.

104. **Nota.** Providentia Dei nihil est aliud, quam ordo rerum in mente divina existens, cum proposito illum exequendi. Mandatur autem hic ordo executioni, post creationem, per conservationem et gubernationem, qua ad suum finem assequendum disponuntur.

Prob. 1.° Ex Vat. Conc. *De fide cath.* c. 1. «Universa quae »condidit Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a »fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter (1). Om»nia enim nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam, quae libera »creaturarum actione futura sunt.»

2.° Ex Evang. (2): *Respicite volatilia coeli... Pater vester coelestis pascit illa... Considerate lilia agri... Si autem foenum agri... Deus sic vestit... Nolite ergo solliciti esse... Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quaerite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis.*

105. 3.° Eusebius (3) ait, quod «omnes Dei providentiam »fateantur.» Hieronymus autem (4): «Sunt qui providentiam »Creatoris usque ad rationalia confiteantur; bruta autem fortuitis »casibus asserant, vel perire, vel vivere. Propheticusque sermo de»clarat, nihil esse quod fugiat providentiam et scientiam Dei: quia »alia propter se, alia in usum hominum creata sunt.»

Et iterum (5): «Quare impius vincit, et justus vincitur?... Dicam »quidquam sine te fieri, et, te nolente, tantum posse impium? Hoc »sentire blasphemum est. Cum itaque tu sis universitatis rector et »dominus, tu necesse est facias, quod sine te fieri non potest.»

(1) Sap. VII, 1.—(2) Matth. VI, 26, 28, 30-33.—(3) *Prepar. Evang.* l. 1, c. 4.—(4) In Jerem. XXXII, 27.—(5) In Abac. 1; 13.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dicatur praeviam necessario esse ad omnem creaturae actionem. Unde videat Cl. Thomista non fuisse Molinam, Suarezium etc. concursus simultanei parentes, sed praecursores et magistros habuisse, in ea re, antiquos theologos cum Cajetano.

102. Suarezius nullatenus discrepat a Molina et Cajetano in eo loco Summae (1) interpretando: scilicet ait, intelligendum de simultaneo concursu; quia vero gravibus semper, quidquid dicat censor ille, in judicando ducitur momentis, rationem subjicit: «Ne dicamus D. Thomam hunc aut ignorasse, »aut tacuisse (concursum simultaneum); quod et per se est absur»dum, et repugnat eidem D. Thomae, dicto a. 5, ad 2; ubi ex »illa applicatione (causae secundae ad agendum) concludit unam »et eamdem esse actionem primae et secundae causae; quod solum »est verum propter concursum per modum actionis, ut seq. Sect. »declarabitur» (2).

103. Ex hac autem solidissima interpretatione illius loci Summae, a Cajetano, Molina, Suarezio, et ipso Divo Thoma (in resp. ad 2) comprobata, intelligitur, quam gravi innixus fundamento dixerit Suarezius, retractasse D. Thomam quae in q. 3. *de Pot.* dixerat. Perpendas D. Eximii verba: «Verum est, D. Thomam q. 3, de *potentia*, a. 7, ad»dere tertium, nimirum, virtutem instrumentalem fluentem, quam »recipit causa secunda a prima, ut agat tamquam instrumentum »ejus: disserte enim hanc numerat tamquam distinctam ab appli»catione et ab efficientia seu conservatione ipsius causae secundae »et virtutis ejus. Existimo tamen D. Thomam tacite retractas»se illam doctrinam in 1. p. (q. 105, a. 5), ubi exquisite tractans »omnem modum, quo causa prima operatur cum secunda, illam »virtutem omisit; quod facere non potuisset in proprio ac praeci»puo loco, si existimasset, esse per se necessariam ad concursum »primae causae: et similiter, 2 *Contr. Gent.* c. 70, illius non memi»nit» (3).

Sed de his satis. Ad objectandum pauca sufficiunt dicta; ad dissolvendas autem objectationes, nisi claras proferas rationes, fides tibi non adhibebitur: ita fert ad malum credendum humana proclivitas.

(1) Q. 105, a. 5.— (2) Metaph. Disp. 22, S. 2, n. 49. — (3) Metaph. Disp. 22, S. 2, n. 52.

CAPUT III.

De Deo providente et creaturas movente.

ARTICULUS I.

De Providentia generatim.

THESIS X.

Omnes creaturae, rerumque eventus divinae subduntur Providentiae. Est doctrina fidei.

104. **Nota.** Providentia Dei nihil est aliud, quam ordo rerum in mente divina existens, cum proposito illum exequendi. Mandatur autem hic ordo executioni, post creationem, per conservationem et gubernationem, qua ad suum finem assequendum disponuntur.

Prob. 1.° Ex Vat. Conc. *De fide cath.* c. 1. «Universa quae »condidit Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a »fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter (1). Om»nia enim nuda et aperta sunt oculis ejus, ea etiam, quae libera »creaturarum actione futura sunt.»

2.° Ex Evang. (2): *Respicite volatilia coeli... Pater vester coelestis pascit illa... Considerate lilia agri... Si autem foenum agri... Deus sic vestit... Nolite ergo solliciti esse... Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis. Quaerite ergo primum regnum Dei, et justitiam ejus, et haec omnia adjicientur vobis.*

105. 3.° Eusebius (3) ait, quod «omnes Dei providentiam »fateantur.» Hieronymus autem (4): «Sunt qui providentiam »Creatoris usque ad rationalia confiteantur; bruta autem fortuitis »casibus asserant, vel perire, vel vivere. Propheticusque sermo de»clarat, nihil esse quod fugiat providentiam et scientiam Dei: quia »alia propter se, alia in usum hominum creata sunt.»

Et iterum (5): «Quare impius vincit, et justus vincitur?... Dicam »quidquam sine te fieri, et, te nolente, tantum posse impium? Hoc »sentire blasphemum est. Cum itaque tu sis universitatis rector et »dominus, tu necesse est facias, quod sine te fieri non potest.»

(1) Sap. VII, 1.—(2) Matth. VI, 26, 28, 30-33.—(3) *Prepar. Evang.* l. 1, c. 4.—(4) In Jerem. XXXII, 27.—(5) In Abac. 1; 13.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

4.° Deus est conditor omnium rerum, cooperatur cum omnibus causis secundis, ita ut omnes earum actiones et effectus ab illo pendeant. Atqui nihil potest a Deo sapientissimo fieri, nisi propter finem et sibi et actionibus atque effectibus suis congruum: ergo omnia a Deo ordinantur et gubernantur.

106. Objic. 1.° Apost. ait (1): *Numquid de bobus cura est Deo?*

Resp. Dist. et explico: quatenus, scil., ordo in istis materialibus non respicit principaliter bestias, sed magis homines; conc. Quasi Deus nullam gerat bestiarum curam; nego. Explicatio ex ipso fluit contextu.

107. Objic. 2.° Quae a Deo non producuntur, neque providentur: sed Deus non est causa peccatorum; fiunt enim contra intentionem illius, abutente peccatore Dei concursu: ergo de peccatis non est providentia.

Resp. Dist. *maj.* Neque providentur *per se*, seu voluntate absoluta; conc. *maj.* Per accidens, seu voluntate conditionata et permissiva; nego.

Scilicet, peccata non vult Deus, neque materialiter; permissionem tamen illorum vult et providet absolute; effectus autem peccatorum, puta, poenitentiam, punitionem, vult et providet conditionate.

108. Sic enim respiciebat divina providentia actiones liberas hominum et divinum concursum. «Volo efficaciter libertatem creaturae proxime expeditam ad bonam et malam operationem, ut bonam, quam unice intendo et procuro, libere et meritorie ponat; ideoque nolo ex propria determinatione impedire malam, quam tamen non approbo, sed serio detestor, ac prohibitam manere volo et punitam, si fiat.» Inde patet, 1.° Hoc decretum, seu providentiam, esse efficax et absolutum, quantum ad applicationem omnipotentiae indifferentem in actu primo, seu relictivam indifferentiae in actu secundo. 2.° Non esse efficax ut inferat infalliBiliter operationem bonam, licet involvat beneplacitum in illa. 3.° Nullatenus esse volitionem intentivam operationis malae, sed detestativam potius; esse tamen permissivam, quatenus non vult propria determinatione eam impedire. 4.° Pravam operationem poni praeter, imo contra, beneplacitum Dei: quia decretum hoc divinae providentiae non dat creaturae libertatem ad actum pravum, nisi cum intentione ut ea libertate non utatur nisi ad illum meritorie omittendum, juxta illud; *Beatus vir, qui potuit transgredi et non est transgressus, facere mala et non fecit* (2).

(1) 1 Cor. IX, 9. — (2) Eccli. XXXI, 8, 10.

109. Objic. 3.° In ordine physico multae sunt perturbationes vel terrae, vel maris, vel aeris, vel plantarum et bestiarum. Ergo aliquid perfectionis in providentia desideratur.

Resp. Dist. *ant.* Sunt perturbationes respectu finis primarii; nego. Quoad finem secundarium; subd. Ita ut haec perturbatio sit formalis, id est, praeter sapientem intentionem; nego: ita ut, sit materialis, puta, combustio ligni ad calefaciendum: conc.

110. Objic. 4.° Saltem mala moralia ordini absolute adversantur, ita ut, sint praeter, imo contra intentionem Dei, ut in Resp. ad 2.m dictum est. Ergo in his deficit Providentia.

Resp. Dist. *ant.* Contra intentionem Dei absolutam; nego *ant.* Conditionatam; subd. Permittente Providentia; conc. Aliter; nego. Nempe non effugiunt Providentiam mala moralia, quia licet non sequantur ex illius intentione, non eveniunt sine ejusdem permissione.

Deinde *consequentia* negatur. Nam quod mala moralia existant non est defectio Providentiae efficientis; quia ea non efficit: neque defectus ejusdem permittentis; quia permissio non est sine sufficienti ratione, ideoque est pars perfectiva Providentiae. Praeter autem illas, quas Deus novit, permittendi causas, plures SS. PP. explicant, quae generatim eo spectant, quod majoribus illa mala compensentur bonis. Ex. gr. merita eorum qui libere, cum peccare possint, non peccant; splendor humilitatis ac poenitentiae in illis qui a malis eriguntur; gloria divinae sanctitatis et justitiae in iis malis plectendis; merita et mors Filii Dei pro iniquitatibus universis delendis exhibita. Haec quidem bona longe superant bonum illud, quod in rerum ordinem redundaret, si a malis perpetrandis fuissent creaturae peccato obnoxiae impeditae.

THESIS XI.

Creaturae omnes divina virtute in esse conservantur.

111. **Praenotandum**. Docet sanctus Thomas rerum conservationem partem esse divinae providentiae; ideo thesim hanc hic ponendam censemus. Et sane, cum creaturae, postquam conditae sunt, illico finem minime assequantur; sed paulatim disponantur, et tandem ab imperfecto ad perfectum perveniant, uti constans docet experientia, inde necessum est ut providentia, cujus est res omnes ad finem ducere, ab earum conservatione exordiatur.

Dicimus *divina virtute* res conservari, idest, positive; nam *negativa* conservatio, quod, scilicet, a Deo non destruantur et in nihilum redigantur, non satis doctrinam explicat catholicam, imo fidei: censeo enim ad fidem thesim hanc pertinere.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

112. Prob. 1.° Concil. Vat. (1) docet: «Universa quae »condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a »fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter.» Quibus in verbis nota: *universa* ait; sive substantias, sive accidentia, sive simplicia, sive composita, sive spiritualia, sive corporea. *A fine usque ad finem:* sive quoad primum esse, sive quoad ultimam perfectionem. Nota denique positivum influxum: *tuetur* atque *gubernat; attingens fortiter; disponens omnia.*

113. 2.° Scriptura S. confirmat. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod a te vocatum non esset conservaretur?* (2). Igitur, ut res permaneant et conserventur opus est etiam Dei voluntate et actione, quemadmodum ut creentur; quae actio vocatio dicitur, ut Apostolus loquitur (3): qui vivificat *mortuos, et vocat ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt.*

Hinc pari modo ad Verbum, Dei Filium, spectat et res condere, et conservare (4): *Per quem fecit et secula, qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae ejus, portansque omnia verbo virtutis suae. Omnia per ipsum creata sunt, et omnia in ipso constant.* «Non solum »Ipse, ait Chrysostomus (5), ea ex nihilo ad hoc ut essent »produxit, sed et idem Ipse nunc quoque ea conservat et tuetur, »ita ut, si ipsius cura destituerentur, mox perirent et corrumpe»rentur.»

Eodem intelligunt sensu Patres illa Christi verba (6): *Pater meus, usque modo operatur et ego operor.* Sic Augustinus (7): «Crea»toris namque potentia... causa subsistendi est omni creaturae, quae »virtus ab eis quae creata sunt regendis, si aliquando cessaret, »simul et illorum cessaret species, omnisque natura concideret.»

114. 3.° Origenes dicit (8): «Quomodo in Deo vivimus, et mo»vemur et sumus, nisi quia, virtute sua universum constringit et »continet mundum?» Et Hieronymus (9): «Semper largitor, »semperque donator est. Non mihi sufficit quod semel donavit, nisi »semper donaverit.» Damascenus etiam (10): «Istud univer»sum constituit et continet et conservat et providentia sua regit.» Deus nempe. S. Gregorius (11): «Sunt haec omnia, sed »principaliter non sunt, quia in semetipsis minime subsistunt, et »nisi gubernanti manu teneantur, esse nequaquam possunt.»

115. 4.° Ratione probatur. a) Ideo opus est actione Dei, ut res quaelibet incipiat esse seu existere, quia ex se est contingens, indifferens ad esse vel non esse. Atqui res quaelibet, quae coepit existere, est etiam contingens, indifferens ad conservari vel non conservari in esse; ergo indiget quoque actione Dei ut conservetur in esse seu existere. *Minor* prob. Esse cuilibet contingenti advenit ab extrinseco, contingentia autem et indifferentia est ei intrinseca, cum ex semetipso sit tantum possibile, non autem actuale; ergo res quaelibet quae existere coepit, est etiam contingens et intrinsecus indifferens ad conservari vel non conservari.

(1) C. *Dei Filius*, cap. 1.—(2) Sap. XI, 26.—(3) Rom. IV, 17.—(4) Hebr. I, 2, 3; Coloss. I, 16, 17.—(5) Hom, 3, in epist. ad Coloss. —(6) Jo. V. 17. – (7) *De Genesi*, l. 4, c. 12.—(8) *Periarch.* l. 2, c. 1.— (9) Ep. 133 ad Ctesiph. 6.—(10) *De fide*, l. 1. c. 3.—(11) *Moral.* l. 16, c. 16.

b) Esse cujuslibet rei incipientis existere, est virtualiter distinctum ab esse ejusdem perseverantis in existentia. Atqui ens necessarium, Deus scilicet, est principium, seu causa efficiens, exemplaris et finalis omnium; ergo est etiam cansa efficiens, exemplaris et finalis durationis omnium. *Major* patet facile: virtualiter ea distinguuntur, ut alibi dictum (1), de quibus contradictoria asseri possunt. Atqui dicuntur contradictoria de esse rei incipientis existere, et de eodem durante et perseverante: ergo in esse ejusmodi est virtualis concedenda distinctio. *Minor* prob. De esse rei, quae existere incipit, vere dicitur: «antea non erat:» de eodem durante, vere etiam dicitur: «antea erat.» Sed antea non erat, antea erat, contradictoria sunt. Item; de re, quae incipit existere, dicitur: «non coëxistit rei »successivae»; de re autem quae conservatur et durat, dicitur: «coëxistit rei successivae.» Atqui coëxistere et non coëxistere rei successivae, sunt asserta contradictoria. V. Suarezium (2).

c) Nisi Deus positive conservaret creaturas in esse, oporteret ut actione aliqua positiva eas ad nihil reduceret. Atqui nihil non potest terminus existere actionis positivae; ad nihil namque nihil potest requiri; ergo nihilatio, seu ad nihilum reversio per cessationem tantum actionis conservantis perfici et concipi potest.

116. **Coroll.** Inde intelliges, cur rerum conservatio dicatur, *continuata creatio:* habet enim eumdem cum actione creativa terminum. esse, nempe, seu rei existentiam uti permanentem: item elucet, quod Dei sit proprium rem aliquam posse in nihilum redigere; nam nulla creatura habet pro termino et objecto virtutis suae effectum universalissimum *essendi*, ut retro dictum fuit (3).

117. Obj. 1.° Experientia testatur esse in rebus ipsis vires, quibus suam tuentur existentiam: ergo se ipsas conservare, quandiu sunt, censendum est; quemadmodum se ipsas, viribus suis movent, vegetant et vivunt, adjuncto tantum generali Dei concursu, de quo supra dictum est.

Resp. Dist. *Ant.* In rebus simplicibus et incorruptibilibus sunt vires quibus tuentur suam existentiam; nego *antec.* In rebus corruptibilibus sunt ejusmodi vires; subdist.; quibus tuentur suam

(1) Disq. V, n. 123.–(2) *De Angelis*, l. I, c. IX, n. 9.—(3) Disq. VI, n. 16, etc.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

existentiam *indirecte*; removendo corrumpentes causas; conc. *ant.: directe;* iterum subdistinguo: directe tuentur suam existentiam *immediate;* nego *ant.; mediate*, scilicet, disponendo media necesaria ne res corruptibiles dissolvantur; concedo *antec.* Deinde nego *consequentiam*, juxta traditam distinctionem.

118. Igitur, nullibi docet experientia, vires aliquas creatas ad entia incorruptibilia immediate conservanda a natura adhiberi: inde si ea, quae simplicia dicuntur, corpora, puta, oxigenium, aurum, carbo etc. vere simplicia forent, quod supponit alchimia; nullis propriis vel alienis indigerent viribus ad sui conservationem, praeter Dei virtutem, a quo suum esse susceperunt; quemadmodum neque illis opus habent formae spirituales subsistentes. Quoad res autem corruptibiles; uti aqua, vinum, resque omnes organicae, quia subjacent causis gignentibus et corrumpentibus, pariter per alias tueri et praeservari possunt; sicut aquae maris per ventos et tempestates, quibus concitantur; aves alis, rostro et unguibus, etc.: unde *indirecte* suam tuentur existentiam. *Directe* quoque alia suum esse conservant, novas sibi adsimilando partes, vel amissas instaurando: verum cum actiones hujusmodi praerequirant principium essendi et vitale, è quo oriuntur, non est conservatio immediata suae existentiae et formae constitutivae. Utrum autem adsint causae aliquae directe ac immediate corruptibilia conservantes, non facile dixeris. Sane videmus corruptibilia passim gigni a certis causis; uti vermes a carnibus, vel in carnibus, adjuncto calore; aqua ab oxigenio et hydrogenio, accedente vi electricitatis; etc. etc. Unde cum rerum similium productio vires creatas non praetergrediatur, neque conservatio easdem superare dicenda est; sive rebus ipsis vires istae inhaereant, sive extrinsecus influant, uti antiqui censebant philosophi (1), qui astris munus hujusmodi concedebant, teste Angelico Doctore. Quo concesso, planum est munere causae secundae solum posse vires creatas fungi in rerum hujusmodi conservatione. Verum, si rerum velimus experientia duci, haec edocet; quod peracta corruptibilium corporum generatione, uti aquae, plantarum, animalium, etc. illico ab iis recedunt principia generativa, vel totaliter evanescunt ac pereunt. Vis electrica, ex. g., quae aquam ex hydrogenio et oxigenio effecit, cito extinguitur; principia quibus plantarum et animalium semina fecundantur, nullam deinceps in iisdem ostendunt actionem. Jam vero quod astra, vel ignotae causae creatae, ejusmodi sibi assumant munus directe et immediate substantias istas in existentia conservandi, gratis effingeremus: censemus igitur novas ejusmodi quotidie genitas rerum

(1) P. I. q. 104, a. 1.

materialium formas, a solo Deo simul cum materia, cui insunt, conservari; donec aliae generationes et corruptiones illas perire exigant.

THESIS XII.

Deus in omni operanti etiam operatur; movet quoque intellectum et voluntatem.

Nota. Quasi corollariam praecedentium dici haec thesis potest.

119. 1.ª Pars Prob. 1.° In rebus aliquae causae operantur ut *finis;* atqui Deus est finis universalis et ultimus omnium, sicut supra dictum est; ergo in omni operanti tamquam fine, Deus simul operatur.

Confirm. Omnis operatio ad aliquod bonum, verum vel apparens tendit. Atqui eatenus est aliquid vere vel apparenter bonum quatenus participat similitudinem summi boni, quod est Deus; ergo cum quolibet fine operatur Deus. Sic D. Thomas (1); ostendit nempe haec ratio, Deum mediate esse cujuslibet operationis causam finalem, quatenus quaevis operatio ad aliquam tendit summi boni similitudinem.

120. 2.° Causae plurimae operantur in rebus tamquam agentes, seu efficientes, de quibus supra dictum est (2). Atqui Deus ad omnem actionem causarum efficientium concurrit tamquam ejusdem actionis causa: ergo Deus in quolibet efficienter operanti operatur. *Minor* ibidem (3) probata est.

Confirm. Si multa sint agentia ordinata, secundum agens agit in virtute primi, ut notat Angelicus (4). Atqui Deus est prima omnium causa efficiens; ergo omnia agentia agunt in virtute ipsius Dei, et ita causa est omnium actionum agentium. Quidem triplici modo, vel duplici potius movet res Deus ad operandum, juxta Angelicum.

121. a) Primo *quasi applicando* formas et virtutes rerum ad operationem: sic artifex est causa incisionis per securim, et cocus decoctionis per ignem; non quia ille proprie et inmediate incidat, et hic coquat; sed quatenus applicant formam securis et virtutem ignis. Nam Deus, suum exhibendo concursum tribuit causis, ut suam possint emittere actionem; et insuper est causa ordinis et motus rerum, unde activa passivis aproximantur; ergo *quasi* applicat causas ad agendum.

b) Secundo, Deus tribuit omnibus agentibus formas et virtutes quibus operantur, et quidem secundum *esse* ipsarum, quod inter

(1) P. 1, q. 105, a. 5.—(2) N. 79.—(3) 81, etc.—(4) P. I, q. 105.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

omnia, est magis intimum ipsis rebus. Atqui quod dat formam et virtutem, quae est principium actionis, est causa actionis ipsius; sicut generans rem gravem, puta aquam, dicitur causa motus gravitatis ipsius; et generans rem levem, puta, ignem, hidrogenium, etc, dicitur causa motus levitatis ejusdem; et universim, «quod est »causa causae est causa causati:» ergo Deus intime in omnibus operatur.

Denique, non tantum dedit, sed conservat etiam Deus formas et virtutes rerum: ergo sicut sol dicitur causa manifestationis colorum, quia conservat lumen in aëre, sic Deus est causa actionum causarum omnium, quia conservat earum formas et virtutes. Hic tamen cooperandi modus ad primum (a) redit; conservatio enim est continuata creatio.

II.ª Pars prob.

122. **Nota.** Haec pars est primae consectarium, ut planum est. Verum quia in ea de speciali sermo est operatione, sat erit indicare specialem movendi modum, quo intellectum et voluntatem prima causa movet.

a) 1.° Ad intelligendi actum duplex concurrit principium, ut alibi notavimus (1): alterum *subjectivum*, *objectivum* alterum; primum est virtus ipsa, seu potentia intellectiva, secundum est objectum ipsum, seu species objecti vicaria. Atqui utrumque a Deo dimanat, qui primum est intelligens et primum intelligibile: «ab »ipso est omnis virtus intelligendi: omnes rationes rerum intelligi»les primo existunt in Deo, et ab eo derivantur in alios intellectus, »ut actu intelligant; sicut etiam derivantur in creaturas, ut sub»sistant (2).» Ratio generalis est: «Sicut in motibus corporalibus »movens dicitur quod dat formam, quae est principium motus; ita »dicitur movere intellectum quod causat formam quae est princi»pium intellectualis operationis, quae dicitur motus intellectus.» (ibid.)

123. b) Eadem ratione elucet, quomodo Deus moveat voluntatem. Actus voluntatis procedit a virtute volendi, tamquam principio subjectivo; et a bono, tamquam principio objectivo. Atqui virtus volendi a solo Deo causatur: tamquam objectum, solus Deus est bonum universale; alia autem sunt bona particularia, quatenus participant aliquam similitudinem summi boni: ergo solus Deus implet voluntatem, ut sufficientur et efficaciter eam moveat ut objectum illius, quod est bonum universale (3); vel inefficaciter per bona particularia. Ad rem notanda etiam, quae alibi dicit (4) S. Doctor: «Deus movet voluntatem hominis, sicut universalis

(1) Disq. IV, n. 115.—(2) P. I, q. 105, a. 3.—(3) Ibid. a. 4.—(4) L. 2, q. 9. a. 6, ad 3.

»motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum; et sine »hac universali motione homo non potest aliquid velle: sed homo »per rationem *determinat* se ad volendum hoc vel illud, quod est »vere bonum, vel apparens bonum.»

124. Obj. 1.° Unicuique agenti sufficiens inest virtus ad proprias et naturales operationes; quippe *Dei perfecta sunt opera;* ergo inutiliter adjungitur Dei operatio.

Resp. Dist. *antec.* Unicuique agenti, tamquam causae secundae, sufficiens inest virtus; conc. *antec.* Quasi causae primae et independenti; nego.

125. Obj. 2.° Moveri voluntarie est ex se, seu ex principio intrinseco, moveri. Sed si voluntas a Deo moveretur, motus illius esset a principio extrinseco: ergo esset simul voluntarius et involuntarius.

Resp. Dist. *maj.* Quatenus motus voluntarius active seu ex parte potentiae efficitur, conc. *maj.* Quatenus specificative seu ex parte objecti completur; nego. Item *min.* distinguo. Si voluntas a Deo moveretur, quatenus est principium principii intrinseci seu virtutis volendi; nego *min.* «Quia sic moveri ex se non repugnat ei »quod est moveri ab alio; (1).» Si voluntas a Deo moveretur, quatenus illam Deus ad actum determinaret, motus illius esset ab extrinseco; conc. *min.* Deinde, nego *consequentiam.*

Iust. 1.° Non solum dat Deus principium intrinsecum seu volendi virtutem, sed concurrit, juxta dicta, immediate ad actiones causarum secundarum; ergo actus voluntatis est ab extrinseco.

Resp. dist. *antec.* Concurrit Deus concursu simultaneo; conc. Concursu praevio et voluntatis concursum seu actionem determinante; nego *antec.* Distinguo etiam *consequens:* actus voluntatis est ab extrinseco *determinatus;* nego *consequentiam;* ab extrinseco, *simulque* ab intrinseco effectus; concedo *consequentiam.*

126. Inst. 2.° Doctor Angelicus addit tertium cooperandi modum cum causis secundis (2): quatenus non sola virtute propria agunt, sed etiam per aliquam virtutem a Deo participatam; sicut instrumenta artificis, cujus virtute moventur ad opus: sed motio instrumenti ab artifice non est *simul* cum actione illius, sed prior; non ergo sufficit concursus simultaneus.

Resp. Dist. *antec.* Addit sanctus Doctor tertium cooperandi modum, *realiter* distinctum a concursu simultaneo; nego *antec.* *Ratione* tantum distinctum; permitto, vel concedo.

Actio Dei et creaturae una eadem est, teste sancto Doctore (3);

(1) P. I, q. 105, a. 4, ad 2.—(2) Qq. Disp. de *Potentia*, q. 3, a. 7.—(3) P. I, q. 105, a. 5, ad 2.m

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
FACULTAD DE TEOLOGÍA
BIBLIOTECA

unde habet duplicem respectum ad Deum et ad creaturam: cum hac quidem differentia; quod actio ista, qua creaturae est, indiget respectu ad Deum ad opus suum perficiendum; actio vero, qua Dei est, non indiget respectu ad creaturam: assimilatur ergo, ex hac parte, causa secunda instrumentalibus causis. Hinc acutissimus Doctor similitudine causarum instrumentalium, voluit dependentiam istam indicare: verum quia motionem et concursum *realiter* distinctum dependentia ejusmodi minime refert; tum in Summa theologica, tum in Summa *contra gentes*, cooperationem hanc praetermisit, etiamsi eamdem omnino utrobique evolveret quaestionem.

THESIS XIII.

Quatenus causae secundae constitui debent, per motionem causae primae, in eo complexu circumstantiarum, quibus inveniantur in actu primo proximo ad causandum; hoc modo necessaria existit praevia motio et applicatio causae secundae ad agendum per virtutem causae primae: quatenus vero haec applicatio fertur ad causam secundam in actu primo proximo constitutam, ita ut solam ejus intendat actionem, non distinguitur realiter ab actuali concursu, et ratione tantum ab actione causae secundae discriminatur.

Haec est genuina D. Thomae doctrina, qua concessa, patebit, cur in Summa Theol. et in Summa *contr. Gent.* illius non meminerit motionis, quam in q. 3, *de Potentia* explicuerat.

127. I.ª Pars clara elucet; et sufficiet ipsa exempla, quibus exponit D. Thomas suam mentem de applicatione causae secundae ad agendum, exhibere.

a) Primum exemplum sit illud frequentissime adhibitum: «Sicut »artifex applicat securim, quae incidit per suum acumen» (1). Jam vero, quid prestatur securi per manum artificis? motus, impulsus, vi cujus, sive maneat in manu artificis, sive effugiat, ut accidit aliquando, si impingat in aliud corpus, motum in ejus efficit partibus, et scinduntur. Atqui motus ille et impulsus securis spectat ad actum primum, ita ut, compleat ipsam virtutem motivam securis, non vero efficit aliquam actui primo proximo superadjectam motionem: ergo ipsa causarum secundarum in actu primo constitutio est quaedam motio et applicatio ad agendum.

(1) 1. p. q. 105, a. 5.

b) «Artifex applicans virtutem rei naturalis ad aliquam actio»nem, dicitur esse causa illius actionis; sicut cocus decoctionis, »quae est per ignem» (1). En aliud exemplum, quo explicat Divus Thomas applicationem causarum secundarum a causa prima ad agendum. Ignis autem nullum accipit influxum, nullam actionem coqui, qua virtus calefaciendi immutetur, sed simplicem motum localem ut approximetur cibo coquendo: unde perinde est quod coquus applicet ignem cibo, vel cibum igni, ut effectus decoctionis compleatur.

128. c) Generatim, ecce quo pacto perficiatur applicatio causarum secundarum ad agendum. «Applicantur virtutes operativae ad »proprias operationes per aliquem motum vel corporis vel animae; »primum autem principium utriusque motus est Deus: est enim »primum movens omnino immobile.» (ibid.) Non ergo opus est ut a Deo solo descendat motio aliqua praevia, cujus influxu inde causa secunda operetur: sufficit quod motus quivis vel animae vel corporis sit a Deo tamquam a primo principio (non dicit *unico*), ut inde intelligatur virtutes operativas applicari a Deo ad suas operationes. Atqui quivis motus (animae vel corporis) ad quem Deus simultanee concurrit, sane est a Deo tamquam a primo principio; «est enim »primum movens omnino immobile:» ergo quatenus causae secundae constituuntur in iis circumstantiis, quae ad actum primum proximum requiruntur, existit praevia motio et applicatio illarum per causam primam.

129. d) Quoad motum autem voluntatis, etiam praemotio aliqua praecedit divina. «Dicendum, ait D. Thomas, quod Deus mo»vet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale »objectum voluntatis, quod est bonum; et sine hac universali mo»tione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem deter»minat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel ap»parens bonum (2). Patet ergo duplicem praecedere motionem primae causae in voluntatis actus: prima ad bonum universale, ad quod fertur necessario; secunda per actum rationis, ad quem Deus concurrit, et sine quo determinari nequit voluntas: at utraque ad actum primum pertinet.

130. II.ª Pars. prob. Actioni, cum sit effectio, seu formalis dependentia, debet terminus aliquis assignari: actio igitur Dei, quae supponitur terminari in causam secundam jam in actu primo proximo constitutam, debet aliquid efficere. Non efficit, sane, quidquam ad causam ipsam spectans; supponitur enim in actu primo proximo constituta. Neque efficit actionem ipsam causae secundae;

(1) *Contr. Gent.* l. 3, c. 67. – (2) Summ. 1, 2, q. a. 6, ad 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quia haec per se ipsam et intrinsece a Deo pendet; praeterquam quod jam motio illa non esset causae motio sed effectus: ergo talis motio non realiter, sed sola ratione, ab actuali concursu distinguitur. Scilicet, cum actualis consideratur concursus, duplex dicitur et cogitatur respectus ad duplicem causam increatam et creatam, primam et secundam: cum vero cogitatur actio primae causae secundam movens et applicans, solus unus dicitur respectus, primarius nempe et generalis omnium actionum ad primam causam.

Confirm. Quia Deus ad omnes actiones et motus concurrit, quibus ad agendum in actu primo causae creatae constituuntur, jure dicitur, quod eas ad agendum movet et applicat: ut dictum est in parte I.ª theseos: ergo, a fortiori, vere dici potest, quod easdem movet, quia ad actum ipsum secundum concurrit. Vide D. Thom. 1, p. q. 105, a. 5, ad 2.m

131. Ex his intelligi potest, cur in Summa Theol. et in Summa *Contr. Gent.* praetermiserit S. Doctor illam Dei efficientiam, cujus in Q. 3 *de Potent.* meminerat. Nempe, quia concursus actualis et applicatio immediata causae secundae non sunt duae efficientiae re distinctae, sed ratione. Non existimavit ergo S. D. esse necessarium, eas sejunctim exponere, licet alibi id praestitisset. Si autem plusquam ratione distinguerentur, ut volunt thomistae, necessum quidem fuisset nullam operandi rationem praetermittere.

ARTICULUS II.

De Providentia supernaturali.

THESIS XIV.

Deus habet Providentiam supernaturalem erga omnes homines, seu voluntatem antecedentem veram ac sinceram salvandi omnes homines.

132. **Nota** 1.° Cum praeter finem naturalem, habuerit Deus alium supernaturalem, ad quem per gratiam creaturas ordinavit, quaeritur; utrum ejusmodi Providentia supernaturalis omnes attingat homines. Plures extiterunt haeretici in hac errantes doctrina; ut *Praedestinatiani*, qui solum Electorum Deum voluisse salutem dicebant. Hos secuti sunt Calviniani; deinde Jansenistae.

2.° Quatenus non solos electos voluerit Deus salvare, de fide tenendum est, contra Praedestinatianos in pluribus damnatos Conciliis, praesertim in Carisiaco et Valentino. Omnes autem homines velle Deum salvare, saltem est doctrina catholica certa et proxima fidei, imo verius de fide.

133. Prob. 1.° Ex Trid. (1) docente «quod pro omnibus mor»tuus est Christus,» ut in tract. De *Deo Incarnato* fusius ostenditur. Sed Christus ideo mortuus est ut vitam haberemus aeternam: ergo vult omnium salutem.

2.° Omnibus hominibus confert Deus gratias sufficientes ad salutem; quod ex tract. *de Gratia* supponitur. Sed ideo nobis dat gratiam, quia vult ut ejusdem assequamur fructum, uti nos per Apostolum adhortatur (2): ergo omnes salvare intendit.

3.° Testatur explicite Apost. (3): *Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, etc.* Quae adeo clara sunt, ut nullo opus sit commentario.

134. 4.° Omnes homines dicere debent: «Credo in Jesum Chris»tum... qui propter nos homines, et propter nostram salutem des»cendit de coelis...»

5.° Illa Apostoli verba exponens Augustinus ait: «Non »sic tamen (vult omnes salvos fieri), ut eis adimat liberum arbi»trium, quo bene vel male utentes justissime judicentur. Quod cum »fit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus non »credunt Evangelio, non ideo tamen eam vincunt; verum se ipsos »fraudant magno et summo bono.»

Hieronymus, in Ephesios (4) «Vult salvare omnes, et in ag»nitionem veritatis venire: sed quia nullus absque propria volun»tate salvatur (liberi enim arbitrii sumus), vult nos bonum velle, »ut cum voluerimus, velit in nobis et ipse suum implere consi»lium.»

135. Objic. 1.° Testatur Apost. fuisse Esau reprobatum antequam quidquam mali fecisset (5): *cujus enim vult miseretur Deus, quem vult indurat.*

Resp. Explico: reprobatum Esau a vita aeterna; nego. Ab haereditate paterna; conc. Item, *quem vult indurat*, id est, non educit efficaciter è sua culpabili duritie; conc. Habet voluntatem beneplaciti, seu plusquam permissivam, in ea duritie; nego. Nam ait Apostolus quod Deus ejusmodi sustinet in *multa patientia*. (ibid.)

Inst. Ait Ap. quod assequi salutem non est *volentis* neque *currentis*, sed *miserentis* Dei.

Resp. His docet Apostolus ex gratia Dei salvari homines; conc. Ex defectu divinae misericordiae aliquos, etiamsi sincere velint, non salvari; nego.

---

(1) Sess. VI, c. 2, 3.— (2) II Cor. VI, 1, 2... — (3) I Tim. II, 4-6.— (4) C. I. v. 11.– (5) Rom. IX, 18.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

136. Objic. 2.° Aliqui PP. ut Augustinus ajunt, illa verba Ap. *Vult omnes homines salvos fieri*, non intelligi de singulis.

Resp. In sensu Pelagianorum, quatenus conditionata haec voluntas dependeat a meritis *naturalibus* singulorum; conc. Quatenus ea voluntas respiciat rectum usum divinorum auxiliorum; subdist. Non intelligi de singulis, quatenus voluntas salvandi est consequens et absoluta; conc. Quatenus est antecedens et conditionata; nego.

Objic. 3.° Baptismus est necessarius ad salutem. Sed saepe nequeunt infantes ad baptismum pervenire: ergo saltem omnium infantium noluit Deus salutem, ut deducit ipse Augustinus (1).

Resp. Dist. *min.* Nequeunt pervenire, praecise ex sola divina voluntate; nego. Quia ii, ad quos quomodolibet commissum erat infantium providere saluti, non cooperantur, ut oportet, ad obstacula praevenienda; conc.

Inst. Ait Augustinus (ibid.), «Deo nolente» ad baptismum infantes saepe non pervenire. Resp. Quatenus non habuit voluntatem efficacem ut baptizarentur; conc. Quatenus non habuerit etiam antecedentem; nego.

THESIS XV.

Deus ab aeterno aliquos elegit voluntate efficaci ad vitam aeternam et ad media certa illam assequendi, seu aliquos praedestinavit.

137. **Nota I.°** Aliqui AA. putant praedestinationem proprie significare actum seu actus, quibus Deo ab aeterno praeparavit illas gratias, quibus certo aliqui salvantur, secundum Augustinum (2): «Praedestinatio est praescientia et praeparatio beneficiorum Dei, »quibus certissime liberantur quicumque liberantur.» Alii autem censent esse electionem praecise ad gloriam. Denique non pauci AA. dicunt, praedestinationem utrumque comprehendere: ita D. Th. «Praedestinatio est ratio transmissionis creaturae rationalis in vi»tam aeternam;» (3) nam auxilia, seu media, significantur, cum dicitur *ratio transmissionis*. Ita pariter Scotus (4): «Praedestina»tio est electio creaturae intellectualis ad gratiam et gloriam.»

II.° Patet tres actus constituere praedestinationem: cognitionem gloriae et mediorum: praescientiam conditionatam efficaciae talium mediorum: voluntatem seu propositum talia media cum gloria conferendi. An vero utrumque directe voluerit Deus; vel prius gloriam, aut, è contra, gratias et merita; nunc non inquirimus.

(1) De *dono persever.* c. 12. — (2) Ibid. c. 14. — (3) 1. p. q. 24, a. 1. — (4) 1. dist. 40, q. 1.

138. Prob. 1.° Apostolus (1): *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Quos autem praedestinavit hos et vocavit... justificavit... et glorificavit.* Et dicet Dominus iis qui salvi fient (2): *Venite benedicti Patris mei; possidete regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi.* Item (3): *Crediderunt quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam.*

2.° Concil. Carisiacum, cap. 1: «Deus bonus et justus »elegit ex eadem massa perditionis, secundum praescientiam suam, »quos per gratiam praedestinavit ad vitam, et vitam illis praedesti»navit aeternam... Unam Dei praedestinationem dicimus, quae aut »ad donum pertinet gratiae aut ad retributionem justitiae.» Item PP. conc. Valent. can. 3.

Trident. (4): «Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vi»vit, de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo prae»sumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero praedes»tinatorum; quasi verum esset, quod justificatus amplius peccare »non possit; aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam promitte»re debeat: nam nisi ex speciali revelatione sciri non potest, quos »Deus sibi elegerit.»

139. 3.° Augustin. (5): «Nimiae contentionis est praedesti»nationi contradicere, vel de praedestinatione dubitare.»

Fulgentius (6): «Praedestinationis veritatem, qua nos ante »mundi constitutionem praedestinatos in Christo testatur Apos»tolus, si quis detrectat recipere,... manifestum est eum non per»tinere ad eorum numerum, quos Deus in Christo ante mundi cons»titutionem gratis elegit et praedestinavit ad regnum.

4.° Deus habet in tempore voluntatem efficacem justis conferendi gratiam et merita, nec non iis, qui in gratia decedunt, vitam aeternam: sed quidquid Deus vult ab aeterno voluit; ergo aliquos ab aeterno praedestinavit.

140. Objic. 1.° Vocatio, justificatio ac glorificatio sunt in tempore; sed tunc fiunt cum earum ponitur immediata causa, nempe, efficax Dei voluntas; ergo haec non extitit ab aeterno, sed in tempore.

Resp. Dist. *min.* Cum ponitur causa formaliter efficiens; conc. min. Remote, seu imperando influens; nego. Etenim efficax Dei voluntas *imperando* causat ideoque est actus immanens et aeternus: vocatio autem, glorificatio, etc. sunt actus transeuntes, formaliter

(1) Rom. VIII, 28-30.— (2) Matth. XXV, 34.— (3) Act. XIII, 48.— (4) Sess. VI, c. 12.— (5) De Dono Persever. c. 21.—(6) Epist. 17, c. ultimo.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

a divina potentia fluentes in iis circumstantiis, quas definivit liberum Dei decretum. Unde ait D. Th. (1): «Potentia non ponitur »in Deo ut aliquid differens a scientia et voluntate secundum rem, »sed solum secundum rationem, in quantum scilicet, potentia im»portat rationem principii exequentis id quod voluntas imperat, »et ad quod scientia dirigit.» Idem docet alibi (2), ubi ait: «Poten»tia intelligitur ut exequens, voluntas ut imperans, et intellectus »et sapientia ut dirigens... Ipsum *facere* subjacet praescientiae et »praeordinationi, non autem ipsum *posse* quod est naturale. Ideo »enim Deus aliquid facit, quia vult; non tamen ideo potest quia »vult, sed quia talis est in sui natura.» Neque dicas, illud *quia vult*, indicare causalitatem intrinsecam, seu formalem. Plane enim desiperes. Indicat namque causalitatem moralem, seu extrinsecam: «Potentia intelligitur ut exequens, voluntas ut imperans... Ipsum »*facere* subjacet praeordinationi.»

Inst. Ipsa divina potentia ab aeterno est formaliter efficiens: sed posita causa formaliter efficienti, et effectus poni debet; ergo nequeunt in tempore illi actus transeuntes evenire, sed solum ab aeterno.

Resp. Dist. *maj*. Quoad ea omnia, quae ad actum primum, seu potentiae perfectionem pertinent; conc. *maj*. Quoad actum secundum; nego *maj*. Ut enim infra dicetur, actio non recipitur in agente, sed in effectu. (Cap. IV).

141. Objic. 2.° Praedestinatio non est absolute necessaria ad effectum salutis assequendae; alias ii, qui praedestinati non fuerunt, non possent salvari. Ergo licebit, cum Ambros. Catharino sentire, multos regni caelorum fieri participes, qui non sunt praedestinati.

Resp. Dist. *ant*. Quatenus praedestinatio supponit voluntatem ab intrinseco efficacem et antecedentem vel gloriae, vel meritorum ad gloriam, non est necessaria... Conc. *ant*. Praedestinatio, sumpta pro voluntate ab extrinseco certa et efficaci, scil. propter praelucentem scientiam mediam, tum gloriae, tum meritorum; vel sumpta pro voluntate consequente dandi gloriam; non est absolute necessaria: nego *ant*. Deinde concedo vel nego *consequentiam*, ad sensum distinctionis.

Nota: nihil impedit salutem eorum, qui non sunt praedestinati: nam tum scientia media, tum voluntas consequens et efficax dandi gloriam, non praeveniunt, sed supponunt aliquo modo usum libertatis. Quod ut intelligas, recolenda quae supra tradita fuere (3).

(1) P. I, q. 25, a. 1 ad 4.—(2) Ibid. a. 5, ad 1.—(3) Num. 192, 200.

THESIS XVI.

Praedestinatio est in se ipsa immutabilis ac certa; non tamen quoad nos.

142. I.ª Pars prob. 1.° Evidenter id praesupponit Tridentinum Conc. ut dictum est (Thes. praec.) Si quis enim de numero fuit praedestinatorum, vel non peccabit, vel resipiscet. Concil. autem Valentin. can. 3, ait: «De hac immobilitate praes»cientiae et praedestinationis Dei, per quam apud eum futura jam »facta sunt, etiam apud Ecclesiasten bene intelligitur dictum: *cog»novi, quod omnia opera, quae fecit Deus, perseverent in perpetuum.*»

2.° Ait Joannes (1): *Ex nobis prodierunt: sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.*

Et Paulus (2): *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: cognovit Dominus, qui sunt ejus.*

143. 3.° Augustinus, de praedestinatis agens, ait (3): «Horum si quisquam perit, fallitur Deus; sed nemo eorum perit, quia »non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vinci»tur Deus: sed nemo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.» S. autem Fulgentius (4): «Quaecumque Deus praescivit, jam »facta dicimus, quia de faciendis dubitare non possumus.» Sanctus Prosper, in *respons. ad object. 12* Vincent. ait: «Praedes»tinatio etsi apud nos, dum in praesentis vitae periculis versamur, »incerta est; apud illum tamen qui fecit quae futura sunt, incom»mutabilis permanet.»

144. 4.° Illa Dei voluntas, qua electi ultimo Dei judicio ad vitam destinantur aeternam, est immutabilis et certa. Atqui ab aeterno illam Deus habuit voluntatem, quae proinde ad divinam spectabat praedestinationem; ergo praedestinatio est immutabilis.

Confirm. Praedestinatio est immutabilis et certa, si ordinatio aeterna ad finem, quoad eos qui salvantur, est ejusmodi. Atqui est revera immutabilis et certa illa ordinatio aeterna ad finem eorum qui salvantur: ergo. *Min*. patet. Nam certissime sciebat Deus futura efficacia eorum, qui salvantur, media salutis (5).

145. Objic. 1.° Ait S. Joann.; (6): *Si quis diminuerit de verbis libri prophetiae hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitae.* Sed libri vitae nomina sunt praedestinatorum: ergo praedestinatio mutari potest. Resp. Dist. *min*. Liber vitae, quae est gratiae finalis et consummatae, est praedestinatorum; conc. Quae est gratiae tantum, seu temporalis; nego *min*.

(1) I Jo. II, 19.—(2) II Tim. II, 19. —(3) *De Correp. et grat.* c. 7. — (4) L. I, ad Monim. c. 12.—(5) Dis. IV, n. 174, thes. XXX.—(6) Apoc. XXII, 19.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Inst. 1.° Ait Paulus (1): *optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis:* sed sciebat Paulus se esse praedestinatum (2): ergo putabat posse mutari praedestinationem.

Resp. explico verba Pauli: optabat esse *anathema* a Christo, dum eum persequebatur; conc. Postquam in Christum credidit; nego.

Inst. 1.° Paulus timebat ne reprobus evaderet: ergo. Resp. Timebat ignorans an esset praedestinatus; conc. Postquam id novit: nego.

Objic. 2.° «Si non es praedestinatus, fac ut praedestineris,» juxta Augustini adhortationem: ergo incerta est praedestinatio. Resp. Dist. *conseq.* Incerta est quoad nos; conc. Quoad se; subd. Antecedenter; permitto: consequenter ad divinam praevisionem: nego.

146. II.ª Pars. prob. 1.° Ex Trident. ut patet ex Thes. XV.

2.° Apost. (3): *Qui se existimat stare videat ne cadat.* Et iterum (4): *Cum metu et tremore salutem vestram operamini.* Vide quoque Ecclesiast. c. IX, v. 1.

3.° Hieronymus (5): «Omnes fluctuanti vestigio in isto secu»lo commoramur, et numquam est certa, securaque victoria. Imo »et Paulus sibi timebat, ne reprobus efficeretur» (6). Vide et S. Prosperum in 1.ª parte.

147. Objic. 1.° Ait Joan. (7): *Vitam habetis aeternam, qui creditis in nomine filii Dei.* Sed certi sumus nos credere: ergo scimus non esse praedestinatos.

Resp. *Maj.* explico: si fidei, quae est radix salutis, opera congruant usque ad finem; conc. Aliter, nego.

Inst. *Petite, et accipietis* (8). Sed certus quisque esse potest, quod petierit vitam aeternam: ergo et de praedestinatione. Resp. Dist. *min.* Quod petierit quomodolibet, certus quivis esse potest; conc. *min.* Quod autem postulaverit *sicut oportet;* nego. Vide Apostolum, ad Rom. VIII, v. 26.

148. **Nota**: de numero absoluto praedestinatorum, inquirunt plures AA. utrum superet reproborum multitudinem. De qua re, cum Dominus interrogatus fuisset, nihil aliud ei respondere placuit, nisi ostendere viam, qua quis salvus tandem evadat (9): *Domine, si pauci sunt qui salvantur? Ipse autem dixit ad illos: contendite intrare per angustam portam; quia multi, dico vobis, quaerent intrare, et non poterunt.* Qui ergo intrabunt in regnum coelorum? *Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem*

(1) Rom. IX, 3.—(2) Tim. IV, 8.—(3) I Cor. X, 12.—(4) Philip. II, 12.—(5) In Ezech. XXVI,v. 15.—(6) I Cor. IX, 27.—(7) I Jo. V, 13.—(8) Jo. XVI, 24. — (9) Luc. XIII, 23, 24.

mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum: sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum (1).

SCHOLIA.

De Praedestinatione.

§ I.

Axiomata

149. Ne in hoc praedestinationis mysterio, inanibus quis turbetur, vel alios conturbet, fallaciis, sequentia capita prae oculis semper habenda.

I. Fide est certum, in hominis potestate positum esse acquirere vel amittere salutem. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (2). *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam* (3). *Ne cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar* (4).

II. Item fide constat, non conferri gloriam adultis, nisi ex eorum meritis. *Non coronatur nisi qui legitime certaverit* (5). *Reddidit justis mercedem laborum suorum* (6). *Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua* (7). *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (8).

III. Fides docet, Deum justissimum esse. *Numquid iniquitas apud Deum* (9)? Vide supra, Disq. IV, n. 55.

IV. Pro certo habendum, tamquam doctrina catholica et proxima fidei, Deum vere et sincere omnium hominum velle salutem, ut dictum est, Thes. XIV.

§ II.

Systemata de Praedestinatione.

150. Triplici modo solet, generatim, a Theologis concipi et explicari divina Praedestinatio.

I. Communis inter thomistas sententia, quam defendit, uti certam et doctrinam fidei, Bellarminus, ut probabiliorem autem Suarezius, haec est: ajunt, Deum prius intendisse efficaciter et directe salutem aeternam electorum: quod decretum putant aliqui

(1) Matth. VII, 19-21. — (2) Ibid. XIX, 17. — (3) Apoc. III, 11. — (4) I Cor. IX, 27.— (5) II Tim. II, 5.— (6) Sap. X, 17.— (7) Apoc. XXII, 12.— (8) Matth. XI, 12. - (9) Rom. IX, 14.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

a Deo habitum antecedenter ad praevisionem peccati originis, alii vero consequenter; ita ut ex massa perditionis elegerit Deus efficaciter praedestinatos. Deinde propter eam electorum salutem assequendam, elegit Deus ac decrevit gratias efficaces praedestinatis conferendas; et tandem decrevit executionem eorum, quae efficaciter intenderat.

151. II. Alii autem cum Vazquezio, Lessio, Sancto Fr. Salesio, aliisque plurimis AA., oppositam tenent opinionem, quam probabilem esse censet D. Eximius. Scilicet, Deus primum directe statuit omnibus gratias sufficientes vel efficaces conferre ad vitam assequendam vel demerendam aeternam: deinde, meritis eorum praevisis cum perseverantia usque in finem, statuit beatitudinem iis conferre, ceteros vero damnare. Decretum vere illud collativum gratiarum et meritorum, non eodem explicant modo hi AA. Nam non pauci putant iis, qui salvantur, praeparatas fuisse gratias cum speciali praedilectione; scilicet, per decretum ab *intrinseco* connexum cum earum efficacia, ut de facto mererentur et perseverarent in gratia: dicunt enim, quod nisi Deus praevidisset efficacia futura illa auxilia, alia vere efficacia contulisset, propter illam specialem ergo eosdem praedilectionem. Alii autem existimant aequali affectu contulisse Deum omnibus hominibus gratias sufficientes.

152. III. Tertia est sententia, qua plures AA. cum P. Molina, gratiae pariter et libertatis praeclaro et acutissimo defensore, censent: Deum unico decreto, adeoque absque aliqua prioritate rationis finis et mediorum, seu beatitudinis et meritorum, quoad divina decreta, directe et efficaciter decrevisse totum praesentem rerum ordinem; quaedam quidem cum voluntate beneplaciti, quaedam vero voluntate pure permissiva.

Quoad mentem D. Thomae, quaelibet praedictarum sententiarum pro se eum laudat: earum consulas auctores.

§ III.

De horum systematum probabilitate.

153. Probabilitas praedictarum sententiarum, sine temeritate, haud facile negabitur, cum plurimos, gravissimosque DD. pro se unaquaeque sibi vindicet. Tamen praecipuas difficultates illis adversantes innuere oportet; quarum vim ut aliquatenus emolliamus, duo nobis concedenda petimus.

1.° Ante ullam Dei liberam volitionem, perfectissime illi praesens, notusque erat hic rerum ordo, prout ab initio decurrit seculorum usque ad finem. Nam quum scientia Dei, tum naturalis, tum

media, sit infinita; nihil illum latere poterat nec de praesenti hoc ordine, neque de quolibet alio possibili.

2.° Considerans posse omnes homines, si velint, salutem assequi in hoc praesenti ordine, liberam Deus concepit et conditionatam complacentiam in omnium hominum salute, per talem ordinem assequibili: eorum autem salutis, qui eam *re ipsa* in praesenti ordine assequuntur, majorem habuit complacentiam et veluti gaudium, cum perfectius in illis effectum habeat divinae bonitatis communicatio.

§ IV.

Quid sententiae Molinae obstet.

154. His praesuppositis ac praelucentibus, adversus P. Molinae et aliorum, quam descripsimus, sententiam, duplicem alii AA. urgent difficultatem. Prima; quod nulla erga electos Dei praedilectio effulgeat: nam vi hujus praesentis et unici decreti, praedestinatus evasisset reprobus, vel è contra, si aliter utrique libero uti arbitrio placuisset. Secunda; quod ex Scriptura et SS. Patribus aliquis proponatur ordo in divina voluntate, quatenus vel vult gloriam propter merita, ut passim significari videtur; vel merita propter gloriam, ut AA. alii contendunt.

Ad 1.m autem difficultatem potest responderi: ad totum hunc ordinem unico decreto decernendum moveri divinam voluntatem, ex illa tum communi, tum *speciali* complacentia, de qua in Schol. III, (n. 153) dictum est. Praeterea adjici potest; illud unicum Dei decretum complecti erga electos voluntatem efficacem gloriae, quod sane magna est praedilectio.

Ad 2.m objectionem dici potest: dari quidem ordinem, non in ipsa voluntate Dei, sed in ejus objecto. Nam licet Deus nec velit gloriam propter merita, ut cum Vazquezio multi contendunt; nec merita propter gloriam, ut putant alii cum Bellarmino, tamen non vult Deus gloriam sine meritis, et vult merita ordinari ad gloriam. Aliud enim est velle rem ordinatam; aliud autem velle cum aliquo ordine in ipsa voluntate concepto: primus ordo est objectivus, alter subjectivus. Jam vero ad perfectionem actus volendi sufficit, ut ipsius objectum sit bonum et ordinatum: quo supposito, potest in uno et eodem simplici signo appeti et decerni. Quod quidem in Praedestinationis negotio potuit maxime locum habere. Nam Deus elegit et praedestinavit nos in Christo, propter Christum, ut simus membra Christi, imago Christi, gloria et regnum Christi. Atqui formaliter id non exurgit ex gloria tantum, aut ex meritis et gratia solum: sed ex re tota simul. Ita ait Apostolus, quod eos

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quos *praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui;* illos et vocavit, et justificavit *et glorificavit.* Videtur ergo, quod haec omnia aeque directe Deus voluerit, non vero prius hoc, deinde illud propter istud. Inde etiam intelligere licebit, cur S. Scriptura, de praedestinatione ac proposito Dei agens, indifferenter istud tum ad gratiam, tum ad merita, tum ad gloriam referat, ita ut non possit clare et certo dignosci, quid principaliter praedestinatio respexerit.

§ V.

Quid Bellarmino opponitur.

155. In opinionem Bellarmini ac thomistarum duae quoque militant objectiones. Prima; quod voluntas antecedens salvandi omnes homines vera ac seria non videatur, si tantum illi, qui, antecedenter ad merita praevisa, ad gloriam efficaciter fuerunt praedestinati, salutem assequantur. Secunda, quod Scriptura et PP. generatim dicant, salutem pendulam a meritis esse, non autem è contra, ut haec supponit opinio.

Ad 1.^m autem difficultatem dici posset: voluntatem antecedentem salvandi omnes praecedere ad efficacem electorum praedestinationem, et Deum eos omnes efficaciter elegisse ad gloriam, quos praevidebat perseveraturos, et in quibus specialiter sibi complacuerat, ut dictum est supra (n. 153. 2.°). «Qui enim recedit a Christo, ait »D. Prosper (1), et alienus a gratia finit vitam, quid nisi in »perditionem cadit?... Quod quia Dei praescientiam nec latuit, nec »fefellit, sine dubio talem numquam elegit, numquam praedestina»vit, et periturum numquam ab aeterna perditione discrevit.»

Ad 2.^m dicas: salutem, quoad executionem pendere a meritis; quoad intentionem vero et praedestinationem, licet merita non fuerunt causa illius, fuerunt tamen conditio *sine qua non;* quia Deus volebat gloriam dare ad modum coronae, ideoque eos omnes et solos praedestinavit, quos praevidit fideliter perseveraturos, ut dicit Prosper, et in quibus specialiter sibi complacuerat. Si vero supponas absolutam ad gloriam praedestinationem praecessisse voluntati antecedenti salvandi omnes, rem obscuram nimis ac difficultatibus plenam affers.

(1) Cap. 2, *ad Capitula Gallorum.*

§ VI.

Quae objiciuntur opinioni tertiae.

156. Quoad sententiam Vazquezii, apud theologos jam sat communem, duplici modo eam AA. exponunt: a) vel quatenus Deus primum praedefinivit merita et perseverantiam, et inde propter merita absolute praevisa praedestinaverit ad gloriam; b) vel quatenus prius decreverit gratias sufficientes omnibus tribuere, et praevisis exinde meritis seu bono gratiarum usu, decreverit tandem, propter eadem merita, gloriam.

a) Si primo modo haec sententia defendatur, duplex praecipue est difficultas. Prima: quod non videatur Deus serio velle ceterorum, quorum non praedefinivit merita et perseverantiam, salutem; cum nullus eorum salvetur. Secunda: cum merita sint ad beatitudinem media, voluntas absoluta meritorum praesupponere videtur voluntatem absolutam beatitudinis.

Verumtamen ad 1.^m respondeas, quod in Schol. V. (n. 155.) ad eamdem diximus difficultatem.

Ad 2.^m autem dici potest; merita non esse, respectu Dei, pure et praecise media ad beatitudinem; neque beatitudinem esse tantum finem. Beatitudo est merces, quam Deus conferre vult laborantibus, et haereditas filiis adoptivis ac Jesu Christi fratribus destinata. Proinde voluntas dandi absolute beatitudinem consequi debet voluntatem concedendi opera meritoria et gratiam filiationis adoptivae: *Si autem filii*, ait Apost. (1), *et haeredes... Si tamen compatimur, ut et conglorificemur.*

157. b) Si vero secundo modo sententiam Vazquezii defendas; triplex potissime urget objectatio. Prima: non elucet specialis erga electos praedilectio, quae a Scripturis et SS. PP. adeo commendari videtur. Nam Deus, communi quadam voluntate, auxilia sufficientia omnibus dare decrevit, fideles autem et cooperantes deinde praedestinaturus. Secunda: quod non videantur ipsa bona opera et justificatio esse *directe* donum Dei, quemadmodum saepe docet S. Augustinus, et innuit S. Scriptura. Tertia, consequenter, difficultas est, quod justi et electi se ipsos discernere praecipue videntur, contradicente Apostolo; (2): *Quis te discernit?*

Ad 1.^m Objectionem respondebis, si, ut notatum est Schol. III, n. 2.° dicas, Deum ex singulari erga electos praedilectione praesentem gratiarum et auxiliorum ordinem concedere et dare decrevisse. Unde licet non ex efficaci amore salutis aut meritorum contulerit

(1) Rom. VIII, 17.— (2) I Cor. IV, 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

electis ea auxilia, dedit tamen ex peculiari complacentia in salute illorum.

Ad 2.m dici potest: bona opera et merita esse directe donum Dei; non tantum quia directe illa intendebat, sed etiam quia ex speciali affectu eadem electis procuravit.

Ad 3.m dicendum, etiam in hac sententia Deum principaliter electos discernere. Nam primo; illam specialem praedilectionem, qua electis gratias efficaces tribuit et merita ad gloriam, poterat Deus liberrime erga alios habere, si diversum voluisset rerum ordinem. Secundo; quia gratia Dei, qua merita ad statum supernaturalem elevantur, praecipue discernit hominem. Ad rem Augustinus (1): «Si quaeramus utrum donum Dei sit voluntas bona, minus »rum si negare quisquam audeat. At enim quia non praecedit vo»luntas bona vocationem, sed vocatio bonam voluntatem, propterea »vocanti Deo recte tribuitur quod bene volumus, nobis vero tribui »non potest quod vocamur.» Item. n. 13 (ibid.): «*Non volentis, sed »miserentis est Dei:* quia etiam si multos vocet, eorum tamen mise«retur quos ita vocat, quomodo eis vocare aptum est, ut sequantur.»

§ VII.

Ex dictis quid magis probandum.

158. Quodlibet horum, de divina praedestinatione, systematum probabile esse, fateri oportet: quod illorum vero magis probandum non facile ac ratione innixus sufficienti judicabis. Oportet enim in eis perpendere id quod praeseferunt positive, nec non id quod exclusive asserunt: primum quidem haud levibus argumentis defendi potest; aliud vero non ita.

Distinguentes in Deo primam illam voluntatem absolutam, qua, antecedenter ad scientiam visionis, rerum creandarum intendit ordinem, ab ea voluntate, qua, scientia visionis existente singulas et universas res creandas respexit, videtur dicendum:

159. 1.° Verisimilius est, Deum prima sua voluntate intentiva et absoluta (supposita illa simplici complacentia, de qua supra, (§ III, 2.°), eo modo praedestinationem statuisse, prout a P. Molina et aliis AA. defenditur. Nam omnia quae ad praedestinationem concurrunt, sive ad gloriam ipsam spectent, sive ad gratiam et merita, ita in solidum connectuntur, ut participatio divinae bonitatis et gloria Dei extrinseca, quae in singulis habetur, compleatur multumque mutuo dependeat ab aliis. Major namque effulget Dei bonitas et gloria in electorum beatitudine, parta ex meritis et

(1) Ad Simplic. q. 2, n. 12, l. 1.

gratia Christi, ex. gr.; quam si praecisive et sola inspiciatur. Similiter, aliam referunt Dei bonitatem et gloriam dona gratiae et merita ad beatitudinem ducentia, quae sit cohaereditas cum Filio Dei naturali, praedestinatorum capite; aliam autem exhiberent, si aliter ad beatitudinem conferrent. Videtur ergo, quod finis Dei supremus et extrinsecus non patiatur illam decretorum distinctionem in praedestinatione efficienda; nam fines respectivi talium decretorum mutuo rationem boni ab invicem participant, respectu ad supremum finem Dei, communicationem, scilicet, suae bonitatis, et gloriam extrinsecam.

160. 2.° Tamen posito illo unico et universali Dei decreto intentivo totius rerum ordinis, ideoque et praedestinationis; novit Deus per scientiam visionis totum suo tempore extiturum rerum ordinem; et in praedestinatis quidem, gloriam procedentem ex meritis, et merita ac gratias omnes ad gloriam ducentia. Haec bona omnia amavit divina voluntas, in eis efficaciter complacuit, et quemadmodum statuerat, ita fieri voluit. Unde bonitatem illam, gloriam illam Dei, quae in omnibus gratiis et meritis effulget, quatenus ad beatitudinem ducentibus, amavit divina voluntas, et in eadem efficaciter complacuit. Hinc verissima videtur sententia illa, quae docet; Deum propter beatitudinem voluisse gratias omnes et merita, imo omnia propter electorum salutem fecisse et amavisse. Pari ratione, dilexit Deus et voluit, complacentia absoluta et efficaci, bonitatem illam, ac divinae gloriae splendorem, qualiter in beatitudine electorum effulgebat, ut a talibus meritis et auxiliis provenientem. Hoc modo recte dicitur, Deum voluisse et efficaciter amavisse gloriam propter merita.

Jam vero in opera ad extra determinatur Dei omnipotentia a divina voluntate. Recte igitur dici potest, Deum gratias omnes electis conferre amore beatitudinis illorum; beatitudinem autem iisdem etiam tribuere propter Christi, nec non propter eorumdem merita.

161. Si autem praedicta systemata prout *exclusiva* sunt, seu invicem negantia, accipiantur; illud videtur majorem prae se ferre probabilitatem, quod propter merita praevisa praedestinatos fuisse electos defendit. Nam tum ex SS. Litteris, tum ex SS. PP. plura et clariora profert haec sententia testimonia, quae fuse passim apud Theologos reperies: non enim vacat in re incerta amplius immorari. Putamus ergo invicem sibi cohaerere tria haec systemata in eo quod positive praeseferunt, ideoque nullum negandum; si autem foret aliquod rejiciendum, secundum potius probaremus, ceteris rejectis, quae supra (§ II), descripsimus.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

THESIS XVII.

Deus neminem positive destinavit ad poenas aeternas, aut reprobavit a beatitudine ante praevisa peccata. Ita adversus Praedestinatianos et Calvinistas.

162. Prob. 1.° ex Conc. Valent. can. 3. «Fidenter fate»mur... in electione salvandorum misericordiam Dei praecedere »meritum bonum; in damnatione autem perituroruni meritum ma»lum praecedere justum Dei judicium.»

2.° Sapiens (1) ait: *Diligis omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti.* Et iterum: *Cum sis justus, juste omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum existimas a tua virtute.*

3.° Augustinus (2): «Bonus est Deus, justus est Deus; potest »aliquos sine meritis liberare, quia bonus est: non potest quem»quam sine meritis damnare, quia justus est.»

4.° Confirm. ex dictis supra, Thes. XIV, n. 133.

163. Objic. D. Thomas (3) ait: «Voluit Deus quantum ad »aliquos, quos praedestinat, suam repraesentare bonitatem per mo»dum misericordiae parcendo, et quantum ad aliquos, quos repro»bat, per modum justitiae puniendo. Et haec est ratio quare Deus »quosdam eligit et quosdam reprobat.» Sed finis repraesentandi divinam bonitatem, cum sit finis universalissimus, antecedit praevisionem peccatorum: ergo aliquos Deus reprobavit a beatitudine ante praevisa peccata.

Resp. dist. *min.* Finis repraesentandi divinam bonitatem *per modum beneficentiae*, antecedit... Conc. *min.* Per modum *justitiae vindicativae* vel alium modum, qui peccatum praesupponat; nego, vel subd. Ita ut, talis finis absolute et approbative intendatur; nego. Conditionate et permissive; transeat, vel concedo.

THESIS XVIII.

164. Nullum Deus propter solum praevisum peccatum originale, et in eodem signo praevisionis, exclusit absolute a vita aeterna.

Quod tenendum adversus Jansenium, et antiquum aliquem theologum.

1.° Apud Ezech. dicitur (4): *Numquid voluntatis meae est mors impii, dicit Dominus, et non ut convertatur a viis suis et vivat?* Et

(1) Sap. XI, 25; XII, 15.—(2) L. 3, contr. Julian. c. 18.—(3) P. 1, q. 23, a. 5, ad 3.—(4) XVIII, 23.

iterum (1): *Venit Filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat.*

2.° Deus habet voluntatem salvandi omnes, et misit Filium suum ut omnes redimeret, ut dictum est, supra (n. 133), Thes. XIV. Sed non ita esset si aliquos ex solo praeviso originali reprobasset: ergo neminem exclusit Deus è vita aeterna propter solum praevisum originale.

THESIS XIX.

Neminem Deus positive reprobat a gratiis efficacibus.

165. **Nota**: Deus nullatenus aliquos reprobare a gratiis sufficientibus ad salutem, patet ex Thes. XIV. Quia vero multi gratias efficaces non suscipiunt, dicimus id non oriri ex eo, quod positive Deus ab hoc medio salutis eos reprobaverit.

Prob. 1.° Deus dat omnibus gratias sufficientes ea intentione, ut sint efficaces, id est, ut cum illis operentur, mereantur et salutem assequantur. Sed si nollet Deus positive efficaciam, non posset cum ea intentione gratias sufficientes conferre: ergo nullum reprobat positive ab efficacibus.

2.° Si aliquem Deus reprobasset positive a gratiis efficacibus, deberet exinde illi seligere gratias inefficaces, *qua inefficaces*. Sed hoc esset amare inefficaciam, seu abusum gratiae, id est, peccatum. Ergo neminem Deus....

166. Objic. Deus tradit aliquos in reprobum sensum, indurat, deserit, etc. Sed id non facit auferendo gratias sufficientes: ergo auferendo gratias efficaces, seu positive reprobando.

Resp. Nego *conseq.* *Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem impii, sed ut convertatur et vivat* (2). Deserit ergo Deus et indurat, permittendo ut occasiones eveniant peccandi, atque a daemone tententur, gratiisque abutantur: deserit dum aufert gratiam sanctificantem, et denegat gratias illas efficaces, quas pius et misericors alias provideret.

THESIS XX.

Reprobatio negativa omnino absoluta, id est, quae praescindat omnino a praesenti auxiliorum ordine et hominum cooperatione, non est admittenda.

167. **Nota**. Oportet ut reprobationem negativam distinguamus a

(1) Luc. XIX, 10.—(2) Ezech. XXXIII, 11.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

positiva, quae sita est in voluntate damnandi aliquem, quia dignus damnatione judicatur, et sic a Suarezio describitur: «Alio modo »intelligimus Deum habere firmum decretum de aliquo effectu, »non tamen ex se solo, sed provocatus ex causa aliqua in homine »praevisa, et cum aliquo simplici affectu et quasi desiderio contra»rii effectus. Et hoc modo credimus voluisse Deum damnationem »reproborum» (1).

Reprobatio negativa est negatio seu non concessio illius efficacis ordinationis ad gloriam, quae aliis conceditur. Cum autem praedestinatio sit ejusmodi efficax ordinatio ad gloriam; manifestum est, reprobationem negativam nihil aliud esse, quam negationem praedestinationis. Cum ergo praedestinatio, ut diximus (§ II, n. 150) triplici modo concipi possit; pro systematum diversitate, idem dicendum de negativa reprobatione.

168. Prob. thesis 1.° Si Deus separavit, antecedenter ad hunc auxiliorum ordinem, praedestinatos a reprobis, non intelligitur quomodo velit sincere Deus reproborum salutem. Sed si detur reprobatio negativa, quae praescindat omnino ab hoc auxiliorum ordine, Deus separat antecedenter ad hunc ordinem praedestinatos a reprobis: ergo si datur talis reprobatio negativa non intelligitur voluntas salvandi omnes; ideoque non est illa concedenda.

Maj. prob. Si Deus separavit, antecedenter ad hunc auxiliorum ordinem, praedestinatos a reprobis, videtur, quod Deus, data opera, sicut deinde selegit pro praedestinatis auxilia efficacia, ita et pro reprobis inefficacia. Sed si ita egisset, nollet sane cum sinceritate reproborum salutem: ergo si Deus...

Maj. prob. 1.° a priori: qui vult finem debet adhibere media; ergo quemadmodum pro absolute praedestinatis, ne evadant reprobi, debuit seligere auxilia efficacia; ita, ne cum praedestinatis, quos antecedenter, ut supponitur, voluit separatos, miscerentur non praedestinati, opus fuit ut inefficacia seligerentur auxilia. 2.° A posteriori: nam, inter tot millia millium non praedestinatorum, ne unus quidem auxilia efficacia ad salutem assequendam obtinuit, dum illis auxilia tradebantur, post illam a praedestinatis absolutam separationem: videtur ergo quod, data opera, illis inefficacia seligebantur auxilia.

169. Prob. 2.° Homo potest vitare reprobationem negativam. Sed si haec praescinderet omnino ab hoc auxiliorum ordine et hominis cooperatione, nequiret illam vitare: ergo talis reprobatio negativa non est admittenda.

Maj. prob. Homo potest vitare damnationem. Sed qui potest vitare damnationem potest etiam evadere è reprobatione negativa: ergo potest homo vitare reprobationem negativam. *Min.* prob. Potens vitare damnationem, potest determinare in Deo praescientiam salutis. Sed praescientia salutis non potest esse simul cum reprobatione negativa: ergo qui potest...

(1) *De Relig.* l. 1, c. 15.

Prob. *min.* 1.° Praescientia salutis supponit in ipso Deo voluntatem efficacem salutis. Sed voluntas efficax salutis repugnat cum reprobatione negativa: ergo praescientia salutis non potest simul esse cum reprobatione negativa. 2.° ex Augustino (1): «An »quisquam dicere audebit, Deum non praescisse quibus esset datu»rus ut crederent, aut quos daturus esset Filio, ut ex eis non perde»ret quemquam? Quae utique si praescivit, profecto beneficia sua, »quibus nos dignatur liberare, praescivit. Haec est *Praedestinatio Sanctorum*, nihil aliud: praescientia et praeparatio beneficiorum »Dei, quibus certissime liberantur, quicumque liberantur.»

170. Objic. 1.° In quolibet praedestinationis systemate accidit, quod ex innumera reproborum multitudine nec unus salvatur: ergo in nullo systemate elucet, quomodo velit Deus sincere reproborum salutem. Resp. negando *conseq.* Disparitas in eo est, quod in systemate praedestinationis et reprobationis negativae, omnino antecedentis et absolutae, separatio illa fit ex sola Dei voluntate, nullo habito respectu ad usum vel abusum auxiliorum: in aliis vero, ut supra proposita fuere, systematibus, non fit discretio sine respectu ad auxilia sufficientia omnibus collata et ad cooperationem comitantem. Negatur igitur paritas.

Objic. 2.° Reprobatio negativa, etiamsi omnino absoluta et antecedens supponatur, non immutat liberum arbitrium. Ergo, illa concessa, potest reprobus vitare damnationem.

Resp. Quidquid sit de veritate, *antecedentis*, distinguo *consequens*. Potest vitare damnationem impediendo reprobationem negativam; conc. Quin illam impediat; nego. Proinde negare oportet supposition illud, quod, nempe, reprobatio negativa sit omnino antecedens et absoluta.

THESIS XXI.

Quidquid hominem minus Deo gratum reddit, ut peccata, sive mortalia, sive venialia, etc. potest esse causa reprobationis negativae a gratia efficaci.

171. Prob. 1.° *Et retribuet mihi Dominus secundum justitiam meam,... cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris: quo-*

(1) *De dono persever.* n. XXXV.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

niam tu populum humilem salvum facies, et oculos superborum humiliabis... quoniam in te eripiar a tentatione (1).

2.° Augustinus (2): «Quaerimus namque meritum obdura»tionis et invenimus: merito namque peccati universa massa dam»nata est. Non obdurat Deus, impertiendo malitiam, sed non im»pertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, hoc digni »sunt, hoc merentur.»

3.° Ad effectum negativum sufficit causa negativa. Sed quod facit hominem minus Deo gratum, est saltem causa negativa respectu ad beneficium gratiae efficacis: ergo quidquid hominem minus Deo gratum reddit, potest reprobationis negativae esse causa.

Min. patet. Nam congruum est, ut magis grato et amico beneficia tribuantur specialia.

172. **Coroll.** Inde intelligere datur, cur Trid. Concilium ad munus perseverantiae, id est, gratiae efficacis, assequendum, hortetur ad ea opera, quae nos gratiosos Deo reddunt, exequenda (3): «Verumtamen qui se existimant stare, videant ne cadant; »et cum timore ac tremore salutem suam operentur, in laboribus, »in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, et oblationibus, in je»juniis, in castitate: formidare enim debent, scientes...» Quod, sane, B. Petri doctrina (4) confirmat: *Satagite ut per bona opera, certam vestram vocationem et electionem faciatis; haec enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu-Christi.*

SCHOLION.

Sancti Thomae mens de praedestinatione.

173. Ut quae dicta sunt de praedestinatione et reprobatione, praesertim in duabus ultimis thesibus, plus elucescant, placet pauca subjicere ex S. Thomae doctrina. Miro donatur S. Doctor mentis acumine ad analysim exhibendum eorum quae pertractat, etiamsi deinde lectori passim permittat synthesim conceptuum perficere; quod cum haud parum difficile saepe existat, inde interpretum et commentatorum enascitur multa opinandi diversitas, contendentibus omnibus suae interpretationi Magistrum concinere.

Verum quot et quam celebres in hoc aberrant interpretes! Nisi dicamus, S. Thomam passim contradictoria edocuisse. Ad

(1) Ps. XVII, 25-28, 30. — (2) Ep. 194. (a. 105). — (3) Sess. 6, c. 13. — (4) II Petri I, 10, 11.

mentem ejus assequendam et synthesim faciendam eorum, quae abstractissime et analytice edocuit, pari, fere, et angelico opus est ingenio; quo cum plurimi minime ornentur interpretes, hinc non pauca, rationi dissona, S. Thomae adfingunt, vel eum sibi non constare excogitant, vel deserendum decernunt, uti saepe Cajetanus.

174. **Nota.** Mysterium istud Praedestinationis exponens S. Thomas, docet (1); Deum, ut numerum praedestinatorum praefigeret, respexisse proportionem praedestinandorum ad universum tamquam partis ad totum. Proinde, licet neget (ibid. a. 5.) dari *causam* praedestinationis, non tamen negat dari *rationem*.

Cum autem omnis proportio ex duobus exurgat terminis seu extremis, quaerendum superest: quid in universo, quidve in praedestinatis, antecedenter ad praedestinationem, respexerit Deus, ut inde desumeret rationem *numeri praedestinatorum*?

175. **Dico I.** Deus ut numerum praedestinatorum decerneret, non respexit (ad mentem D. Thomae loquimur) ad universitatem absolute praevisam existentem.

Nam gloria praedestinatorum habet rationem finis, plus quam ceterae partes universitatis (ibid. a. I, et 7); et reliqua rationem medii: imo illi partes sunt principales et substantiales universitatis: ergo prius, saltem non posterius, decrevit Deus numerum praedestinatorum, quam cetera. Proinde respiciebat Deus proportionem praedestinatorum ad universum *sub conditione* existens.

176. **Dico II.** Neque respexit Deus, ad praedestinatorum numerum definiendum, merita proprie dicta (ex sententia D. Thomae).

Etenim constat, quod nunc supponimus, debere meritum, ut moveat ad praemium, absolute praevideri: sed dum mundus non praevidetur absolute futurus, neque merita absolute praevideri possunt: ergo neque ad merita respexit.

177. **Dico III.** Praedestinatorum proportio ad universitatem perpensa maxime fuit, ratione alicujus respectus ad Christum in praedestinandis praelucentis.

Nam Christus caput est et finis totius universi, et *omnia in ipso constant*, ut infra dicetur (*De Deo incarnato*).

178. **Dico IV.** Praedestinandorum proportio ad universitatem perpensa fuit secundum usum liberi arbitrii eorum.

(1) P. I, q. 23, a. 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nam «Ad divinam Providentiam pertinet ut rebus utatur secun»dum modum eorum... Forma autem, per quam agit voluntarie »agens, non est determinata... Agens voluntarium assequitur divi»nam similitudinem in hoc quod agit voluntarie... Finis autem ul»timus cujuslibet creaturae est, ut consequatur divinam similitu»dinem (1).»

179. **Dico** V. Cum usus liberi arbitrii, prout ducit ad beatitudinem, fiat cum gratiae auxiliis, praedestinatorum proportio perpendi debuit dependenter ab usu gratiarum.

Ideo sic explicat electionem S. Thomas (2): «Quamvis Deus, »quantum in se est, aequaliter se habeat ad omnia, non tamen om»nia eamdem idoneitatem habent ad recipiendam largitionem boni»tatis ejus; et hujus diversitatis cognitionem et ordinationem habet: »et ideo convenit sibi electio.» Deinde ait (a. 3, ad 1): «Illi Deus »proponit gratiam infundere, quem praescit se ad gratiam praepa»raturum: non tamen propter praeparationem quae non est suffi»ciens causa gratiae, nec finis voluntatis ejus; sed propter bonita»tem suam.» Et rursus (a. 4, ad. 2): «Nec praedestinatio frustrari »potest: quia praescitum est a Deo quod iste *tali causa* et *tali ordi»ne* salvabitur.» Proportio igitur praedestinatorum ab usu gratiarum necessario pendebat; scilicet, *tali causa, tali ordine, tali praeparatione, tali idonietate*, sub conditione praevisis.

His perpensis, conferas quae supra diximus (Scholia de Praedestinatione).

CAPUT IV.

De ipsa Dei virtute ad extra.

ARTICULUS I.

De Dei virtute in actu primo.

THESIS XXII.

Licet scientia Dei ut dirigens sit causa rerum, non tamen necessario illa quae dicitur visionis.

---

(1) *Contra Gent.* l. 3, c. 73. — (2) I Dist. 41, q. 1, a. 1.

180. **Nota** 1.° Proprie loquendo scientia visionis est illa, qua absolute videntur res existentes, quae sunt, fuerunt vel erunt. Improprie quaevis scientia, etiam simplicis intelligentiae vel media, dici potest visionis; ut notat D. Thomas (1).

Nota II.° Aliquando scientia visionis unius rei est causa alterius; sic visio culpae est causa poenae, et visio meritorum Christi causa nostrae justificationis. Sic, pariter, visio rei, decreto intentivo definitae, potest esse causa ut decernatur executio per talia vel talia media; non tamen est necessarium, cum possit Deus eodem simplici velle, decernere talem finem per talia media. Quaestio igitur in eo versatur; utrum res quaevis a Deo efficiatur per scientiam visionis ejusdem rei? Id affirmant communiter thomistae; id autem negant universim DD. Soc. J., cum aliis pluribus, etiam ex illis.

181. **Nota** III. Hunc ordinem concipiunt thomistae: decretum intentivum (intentio finis), decretum electivum (electio mediorum); imperium intellectuale, seu judicium practicum et efficax (scientia visionis, seu approbationis); tandem executio activa et passiva.

Dicimus istud imperium intellectuale, seu scientiam visionis non requiri ad causandum, praecipue circa actus liberos creaturarum.

182. I.ª Pars prob. 1.° Proverb. III, 19: *Dominus sapientia fundavit terram.* Et in Ps. CIII, 24: *Omnia in sapientia fecisti.* Sap. VII, 21: *Sapientia omnium artifex.*

2.° Conc. Vatic. (2) docet: «Liberrimo consilio de nihilo »condidit creaturam.» Sed sine rei consultae scientia, liberum consilium dari nequit; ergo per scientiam Deus creat.

3.° Tertullianus (3): «Totam molem istam, cum omni ins»trumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, »ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit.»

4.° Scientia Dei est causa rerum, si per illam tantum potuit Deus eas intendere et ordinare. Sed per scientiam simplicis intelligentiae et mediam tantum, repraesentantem possibilitatem, causalitatem et modum, quo causari creaturae valent, potuit Deus intendere et ordinare res omnes; ergo scientia Dei est causa rerum.

183. II.ª Pars prob. 1.° Justinus (4): «Non praenotionem »sequitur res futura, sed rem futuram praenotio.» Eusebius (5): «Non est praecognitio Dei causa futurorum.» Hieronymus (6):

---

(1) Q. 2, de Ver. a. 9, ad 3.—(2) C. *Dei Filius*, cap. 1.—(3) Apologet. c. 17. —(4) L. *qq. ad orthod.* resp. 58. – (5) L. 6 de *praep. evang.*—(6) In c. XVI, Isai. et c. XXVI.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nam «Ad divinam Providentiam pertinet ut rebus utatur secun»dum modum eorum... Forma autem, per quam agit voluntarie »agens, non est determinata... Agens voluntarium assequitur divi»nam similitudinem in hoc quod agit voluntarie... Finis autem ul»timus cujuslibet creaturae est, ut consequatur divinam similitu»dinem (1).»

179. **Dico** V. Cum usus liberi arbitrii, prout ducit ad beatitudinem, fiat cum gratiae auxiliis, praedestinatorum proportio perpendi debuit dependenter ab usu gratiarum.

Ideo sic explicat electionem S. Thomas (2): «Quamvis Deus, »quantum in se est, aequaliter se habeat ad omnia, non tamen om»nia eamdem idoneitatem habent ad recipiendam largitionem boni»tatis ejus; et hujus diversitatis cognitionem et ordinationem habet: »et ideo convenit sibi electio.» Deinde ait (a. 3, ad 1): «Illi Deus »proponit gratiam infundere, quem praescit se ad gratiam praepa»raturum: non tamen propter praeparationem quae non est suffi»ciens causa gratiae, nec finis voluntatis ejus; sed propter bonita»tem suam.» Et rursus (a. 4, ad. 2): «Nec praedestinatio frustrari »potest: quia praescitum est a Deo quod iste *tali causa* et *tali ordi»ne* salvabitur.» Proportio igitur praedestinatorum ab usu gratiarum necessario pendebat; scilicet, *tali causa, tali ordine, tali praeparatione, tali idonietate*, sub conditione praevisis.

His perpensis, conferas quae supra diximus (Scholia de Praedestinatione).

CAPUT IV.

De ipsa Dei virtute ad extra.

ARTICULUS I.

De Dei virtute in actu primo.

THESIS XXII.

Licet scientia Dei ut dirigens sit causa rerum, non tamen necessario illa quae dicitur visionis.

---

(1) *Contra Gent.* l. 3, c. 73. — (2) I Dist. 41, q. 1, a. 1.

180. **Nota** 1.° Proprie loquendo scientia visionis est illa, qua absolute videntur res existentes, quae sunt, fuerunt vel erunt. Improprie quaevis scientia, etiam simplicis intelligentiae vel media, dici potest visionis; ut notat D. Thomas (1).

Nota II.° Aliquando scientia visionis unius rei est causa alterius; sic visio culpae est causa poenae, et visio meritorum Christi causa nostrae justificationis. Sic, pariter, visio rei, decreto intentivo definitae, potest esse causa ut decernatur executio per talia vel talia media; non tamen est necessarium, cum possit Deus eodem simplici velle, decernere talem finem per talia media. Quaestio igitur in eo versatur; utrum res quaevis a Deo efficiatur per scientiam visionis ejusdem rei? Id affirmant communiter thomistae; id autem negant universim DD. Soc. J., cum aliis pluribus, etiam ex illis.

181. **Nota** III. Hunc ordinem concipiunt thomistae: decretum intentivum (intentio finis), decretum electivum (electio mediorum); imperium intellectuale, seu judicium practicum et efficax (scientia visionis, seu approbationis); tandem executio activa et passiva.

Dicimus istud imperium intellectuale, seu scientiam visionis non requiri ad causandum, praecipue circa actus liberos creaturarum.

182. I.ª Pars prob. 1.° Proverb. III, 19: *Dominus sapientia fundavit terram.* Et in Ps. CIII, 24: *Omnia in sapientia fecisti.* Sap. VII, 21: *Sapientia omnium artifex.*

2.° Conc. Vatic. (2) docet: «Liberrimo consilio de nihilo »condidit creaturam.» Sed sine rei consultae scientia, liberum consilium dari nequit; ergo per scientiam Deus creat.

3.° Tertullianus (3): «Totam molem istam, cum omni ins»trumento elementorum, corporum, spirituum, verbo quo jussit, »ratione qua disposuit, virtute qua potuit, de nihilo expressit.»

4.° Scientia Dei est causa rerum, si per illam tantum potuit Deus eas intendere et ordinare. Sed per scientiam simplicis intelligentiae et mediam tantum, repraesentantem possibilitatem, causalitatem et modum, quo causari creaturae valent, potuit Deus intendere et ordinare res omnes; ergo scientia Dei est causa rerum.

183. II.ª Pars prob. 1.° Justinus (4): «Non praenotionem »sequitur res futura, sed rem futuram praenotio.» Eusebius (5): «Non est praecognitio Dei causa futurorum.» Hieronymus (6):

---

(1) Q. 2, de Ver. a. 9, ad 3.—(2) C. *Dei Filius*, cap. 1.—(3) Apologet. c. 17. —(4) L. *qq. ad orthod.* resp. 58. – (5) L. 6 de *praep. evang.*—(6) In c. XVI, Isai. et c. XXVI.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

«Non quod praescientia Dei causam vastitatis attulerit; sed quod »vastitas futura Dei majestati nota sit.» Et iterum: «Non ex eo, quod »Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est; sed quia futurum »est, Deus novit, quasi praescius futurorum.» Damascen. (1): «Et quidem Dei praescientia vera atque inviolabilis est; verum ipsa »haudquaquam causa est, cur omnino fiat id, quod futurum est; »quin potius, quia hoc vel illud facturi sumus, illud praenoscit.» Augustinus etiam (2): «Neque enim ideo peccat homo, quia »Deus peccaturum esse praescivit.» Anselmus (3): «Deus ideo »praescit futura, quia futura sunt, non ideo futura sunt, quia »praescit.» Ita communiter PP.

184. Prob. 2.° ex D. Thoma. Si esset scientia visionis quae res causaret, scientia Dei foret causa immediata rerum. Atqui ait »D. Thomas; (4): «Scientia Dei, etsi sit causa rerum scitarum »per ipsam, est causa remota.» *Maj.* admittunt adversarii, et est evidens.

Confirm. 1.° Scientia Dei ad omnes res creatas, est sicut *scientia artificis* (5). Sed scientia artificis respectu artificiati, non est scientia visionis: ergo neque Dei scientia.

Confirm. 2.° Scientia visionis non est indifferens ut res visa futura sit, vel non. Sed scientia Dei, quae est causa rerum, est indifferens ut sint vel non sint: ergo scientia visionis non est causa rerum.

Maj. est evidens. *Min.* docetur etiam a D. Thoma (6): «Dei »scientia est causa rerum voluntate adjuncta: unde non oportet, »quod quaecumque scit Deus, sint, vel fuerint, vel *futura sint*.»

Confirm. 3.° Ideo causaret Deus per scientiam visionis, quia ad illam spectaret imperium: sed non causat scientia Dei per modum imperii; ergo neque per scientiam visionis. *Maj.* concedunt. *Min.* est D. Thomae (7): «Scientia et voluntas sunt causa ejusdem »operis; sed scientia ut dirigens, voluntas ut imperans.»

185. Prob. 3.° Causa antecedit effectum. Sed scientia visionis non antecedit, sed praesupponit rerum, quas videt, existentiam: ergo scientia visionis nequit esse causa rerum.

Min. ex Augustino constat: «Neque enim cognitio fieri po»test, nisi cognoscenda praecedant (8).»

Neque dicas: visio solum praesupponit rerum existentiam, quatenus illam videt in decreto Dei intentivo, ideoque non praesupponit id quod causat.

Contra: visio futuritionis rei in decreto intentivo non est visio

(1) Dial. *contr. Manich.* n. 79.—(2) L. 5, *de Civit. Dei*, c. 10.- (3) De *Concord. praescient. cum libert.*—(4) L. 1, *contr. Gent.* c. 67.—(5) 1, p. q. 14, a. 8.—(6) Ibid. a. 9, ad 3.m—(7) Q. 19, *de Verit.* a. 4, ad 4.—(8) *De Genes. ad litt.* p. 4, c. 32.

futuritionis adaequatae. Ergo nequit esse scientia visionis causa adaequata rerum: alias causaret visio quod non videt.

Ant. prob. Visio futuritionis adaequatae debet videre rem futuram in omnibus suis causis determinantibus futuritionem, et in se ipsa. Sed videndo decretum intentivum, non videt Deus decretum executivum, nec imperium intellectuale, quae (ut ipsi supponunt) sunt causae determinantes; neque rem futuram in se ipsa videt: ergo visio futuritionis rei in decreto intentivo non est futuritionis adaequatae.

186. Prob. 4.° Si scientia visionis est causa rerum, nullum Dei decretum executivum erit liberum. Prob. Si debet praecedere ad decretum executivum potentia decernendi necessario connexa cum eodem decreto, istud non erit liberum. Sed potentia decernendi est necessario connexa cum decreto executivo rei visae, si scientia visionis sit causa rerum: ergo hoc decretum non est liberum.

Min. patet: nam in hypothesi, nequit dari decretum executivum, nisi imperante scientia visionis, quae necessario cum re visa connectitur.

187. Prob. 5.° Si per scientiam visionis liberos creaturarum Deus causaret actus, nulla esset ad agendum libertas. Ergo nequit agere per scientiam visionis.

Ant. prob. Nulla est libertas agendi, ubi potentia necessario est cum actu secundo connexa. Sed quaelibet creata potentia erit necessario connexa cum suis actibus, si Deus causat per scientiam visionis: ergo nulla manet libertas. *Min.* patet. Si Deus causat per scientiam visionis, quaelibet creata potentia comitari debet tali scientia, ut actum suum eliciat simul cum Deo. Sed potentia creata, cum scientia visionis conjuncta, est necessario connexa cum suis actibus: ergo quaelibet potentia creata erit necessario determinata. *Maj.* patet. Potentia enim creata exigit necessario causam primam ut agere possit. *Min.* etiam constat; cum visio sit necessario connexa rei visae.

Paucis: juxta tale systema, potentia creata, nisi adsit scientia visionis, agere non potest; si autem existat scientia, tunc creata potentia non potest non agere, quia ejus actus procedit a causa cum qua necessario connectitur.

188. Objic. 1.° Augustinus saepe causalitatem docet scientiae visionis (1): «Universas creaturas non quia sunt, ideo novit; »sed ideo sunt, quia novit.

Resp. Dist. Haec, aliaque similia, dicunt SS. PP., quatenus scientia simplicis intelligentiae est causa per modum artis ad res crean-

(1) L. 15, *de Trinit.* c. 13.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

das; conc. Quia scientia visionis, stricte dicta, sit causa rerum; nego. «Quoniam Deus non aliquid nesciens fecit, quod nec de quoli»bet artifice recte dici potest: porro si sciens fecit omnia, ea utique »fecit, quae noverat» (1). «Nos itaque ista quae fecisti videmus, »quia sunt: tu autem quia vides ea, sunt. Et nos foris videmus... »Tu autem ibi vidisti facta, ubi vidisti facienda» (2). Unde sicut in artifice, causat scientia artis quatenus videt facienda, non vero quatenus facta videt, quod est scientiae visionis; id dicendum etiam de scientia Dei.

189. Objic. 2.° Ait D. Thomas: «Esse Dei non subjacet vo»luntatis libertati, sicut scire operativum creaturae» (3). Illa ergo scientia Dei causat creaturas, quae subjicitur voluntati illius. Sed scientia simplicis intelligentiae non subjicitur; è contra, scientia visionis: ergo.

Resp. Dist. *min.* scientia simplicis intelligentiae, quatenus est operativa, non subjicitur voluntati; nego. Ut scientia simpliciter; conc. Nam non nisi imperante *voluntate* operatur scientia creaturam, ut ibidem dicit Ang. D. «Sicut est causalitas artificis per »artem suam, ita consideranda est causalitas divinae scientiae. Est »ergo iste processus in productione artificiati. Primo, scientia arti»ficis ostendit finem: secundo, voluntas ejus intendit finem illum: »tertio, *voluntas* imperat actum, per quem educatur opus, circa »quod opus scientia artificis ponit formam conceptam. Unde scien»tia se habet ut ostendens finem, et voluntas ut dirigens actum et »informans opus operatum. Et ideo... patet etiam quod principali»tas causalitatis consistit penes voluntatem, quae imperat actum... »Et propter hoc etiam *Avic.* dicit, quod in quantum Deus cognos»cit *essentiam suam*, et amat vel vult eam secundum quod est prin»cipium rerum, quarum vult esse principium, fluunt res ab eo.»

190. Inst. D. Thomas in Summa (4) ait: «Imperare est »quidem essentialiter actus rationis.» «Ad rationem practicam per»tinet causare aliquid per modum imperii, vel per modum petitio»nis.» Sed scientia imperans versatur necessario circa res existentes, ideoque est scientia visionis: ergo ex doctrina Summae Deus causat per visionis scientiam.

Resp. 1.° Permitto *maj.* et nego *min.* ac *conseq.* Nam imperium non versatur circa res existentes, sed circa *usum*, seu actus illos quibus ad existendum educantur. «Ratio imperatei per quod agen»dum est quod eligitur; et tunc voluntas incipit *uti* exequendo im»perium rationis» (5). Alienum ergo est a D. Thomae mente,

(1) *De Civit. Dei*, l. 11, c. 10. — (2) *Confes.* l. 13, c. 38. — (3) 1 *Dist.* 38, q. 1, a. 1.—(4) 1, 2, q. 17, a. 1, et 2, 2, q. 83, a. 1.—(5) 1, 2, q. 17, a. 3 et 4.

et plane falsum, quod scientia imperans versetur circa res existentes; versatur tantum circa potentias et actus quibus ad existentiam è possibilitate sunt res transferendae; nequit ergo esse scientia visionis.

191. Resp. 2.° Dist. et explico *maj.* Imperare *exercite* dictum, scil., cum ordinatur aliquid *per aliud* faciendum, quod quidem fit *intimatione* aliqua (ut ibi explicat S. D.) est actus rationis: concedo *majorem*. De tali, nempe, imperio loquitur ibi D. Thomas. Imperare stricte dictum, scil., prout consistit in vi *ex se* movente ad aliquid *per aliud* faciendum, est actus rationis; nego.

Intimare, sane, est ordinare unum ad aliud, ideoque essentialiter ordinantem rationem significat: at vis hujus externae intimationis, ideoque et causalitas, est a voluntate: «Hoc ipsum quod ratio mo»vet imperando est a voluntate» (ibid. q. 17). Incassum ergo contendunt thomistae causalitatem scientiae visionis deducere.

Si autem contendas, testimonia haec Summae illis adversari, quae ex 1. l. *Dist.* deprompsimus; scias, in aliis Summae ejusdem partibus S. Doctorem manifeste dictis in l. *Dist.* concinere: hoc nobis sufficit, quidquid censeas de loco objecto (1). Et quidem ait S. D. (2): «Voluntas movet per sui imperium omnes alias ani»mae potentias.» Et iterum (3): «Oportet intellectum esse bene dis»positum ad sequendum imperium voluntatis.»

192. Objic. 3.° «Forma intellectus est principium operationis, »sicut calor est principium calefactionis» (4). Sed calor est principium immediatum; ergo et scientia, et quidem visionis, cum sola haec attingat immediate effectum.

Resp. Conc. *maj* et *min.* et nego *conseq.* Nam ibid. docet Divus Thomas non stare paritatem in eo, quod etiam scientia immediate agat; potius oppositum dicit: «Cum sit eadem, ait, scientia »oppositorum, non produceret determinatum effectum, nisi deter»minaretur ad unum per appetitum.»

193. Objic. 4.° Nequit scientia causare quod non videt; ergo scientia, qua Deus causat, debet videre rei existentiam, ideoque est scientia visionis.

Resp. dist. *maj.* Quod non videt *causabile*, seu possibile; conc. Nequit, causare quod non videt causatum, seu existens; nego. Hoc enim in terminis pugnans existit.

Inst. Non causat scientia visionis rei existentiam, ut videns existentem, sed ut videt in decreto intentivo: ergo non est contradictio.

(1) Vide Bellarmin. De *Script. Eccles.* (a. 1200 ad 1300).—(2) 2, 2, q. 58, a. 8, ad 1.—(3) Ibid. q. 4, a. 2, ad 2.m—(4) P. 1, q. 14, a. 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. Haec est alia contradictio: vel enim existentia rei, quae videtur in decreto, est ipsa rei existentia, vel non; si primum dicas, ergo est idem videre rem existentem, et videre existentiam in decreto: si secundum asseras; ergo scientia visionis causat quod non videt, et contradicis priori difficultati.

194. Objic. 5.° Scientia Dei est mensura rerum quas cognoscit; è contra, scientia nostra a rebus mensuratur. Sed si videret Deus res *quia sunt*, non autem essent *quia videt* illas Deus, mensuraretur scientia visionis a rebus visis: ergo scientia visionis est rerum existentium causa.

Resp. Dist. *min.* Mensuraretur physice, vel quasi physice, a rebus visis; nego *min.* Mere intentionaliter et objective; concedo *min.* Et hoc concedunt SS. Patres laudati cum D. Thoma.

195. Objic. 6.° Deus nonnisi per imperium producit rerum existentiam. Atqui posito imperio, jam scientia Dei est scientia visionis; ergo Deus causat per scientiam visionis.

Resp. dist. *maj.* Rerum necessariarum existentiam; conc. *maj.* Actuum liberorum; subd. per imperium remotum et intentivum; transeat; proximum et executivum; nego.

Et dist. *min.* Est scientia visionis, id est, a priori scientia directiva virtualiter distincta; conc. Eadem scientia directiva prior; nego. Scientia enim simplicis intelligentiae et media eodem semper se habet modo, ac illa est quae sola requiritur, ut Dei decreta sapienter dirigantur.

THESIS XXIII.

Virtus Dei productiva ad extra nec est formaliter divinus intellectus, nec divina voluntas, sed attributum aliud ratione distinctum, quod Potentia dicitur.

196. **Nota.** Sicut supra fuit statutum, nulla est realis in Deo distinctio inter perfectiones absolutas; agitur proinde in thesi de distinctione rationis ratiocinatae, de qua retro diximus (1).

Pars. I. prob. 1.° Si foret virtus productiva in divino intellectu reposita, ageret per actum practicum, qui imperium vocatur, seu scientia visionis. Atqui non causat scientia Dei per actum imperii neque scientiam visionis, ut nuper probatum est: ergo virtus productiva nequit esse divinus intellectus formaliter. *Maj.* patet: nam actus producendi debet ad extra ferri; quod solum potest per actum aliquem practicum concipi.

(1) Disq. IV, n. 142.

2.° Actus intellectus est natura sua prior actu voluntatis. Sed oportet virtutem productivam ad extra per actum liberum voluntatis determinari (1): ergo virtus productiva non potest in solo intellectu formaliter inveniri.

197. Pars. II. prob. 1.° Deus potens est ad creandum et ad omnia ad extra producendum, quatenus est infinitus secundum esse, et omnia formaliter et eminenter continens (2). Sed ejusmodi infinitudinem non habet ex conceptu voluntatis formaliter sumptae: ergo neque virtus Dei productiva ad extra potest ex sola voluntate concipi. *Min.* patet: sicut enim intelligendi vis restringitur ad determinatam objecti rationem, sic vis appetitiva.

2.° Ideo potest Deus aliquid velle fieri, quia intelligit esse possibile; ideo videt esse possibile, quia cognoscit se potentem illud facere: ergo voluntas Dei formaliter sumpta praesupponit, non vero constituit Dei potentiam. *Ant.* elucet ex natura et conceptu possibilium supra (3) tradito: non enim potest concipi *possibile* nisi ex respectu ad *esse*; neque ullum *esse*, nisi quatenus est a se, vel ab alio fluens; quod absque Dei potentia concipi non potest.

198. Utraque pars ab Angelico D. confirmatur. Primo ait (4): «Potentia non ponitur in Deo, ut aliquid differens a scientia et vo»luntate secundum rem, sed secundum rationem; in quantum po»tentia importat rationem principii exequentis id quod voluntas im»perat, et ad quod scientia dirigit.» Et inferius (5): «Potentia intel»ligitur ut exequens, voluntas ut imperans, intellectus et sapien»tia ut dirigens.» Tandem (ibid.): «Ideo Deus aliquid facit quia »vult, non tamen ideo potest quia vult, sed quia talis est in sua na»tura.» Unde intelligitur, distinctionem illam, quam *virtualem* diximus, inter haec attributa reperiri; et prius ratione intelligi in Deo omnipotentiam quam intellectum et voluntatem: quod dilucide, ut solet, evolvit Doctor Eximius (6): «Divina natura, ut sic, est »sine dubio principium principale et radicale omnis actionis ad ex»tra... Quod etiam concludit illa ratio, quia non est tale principium »nisi quatenus eminenter continet omnia; hoc autem non habet prae»cise, ratione scientiae aut voluntatis, sed ratione totius infinitatis »suae. Item, quia in tantum est fons totius esse, in quantum est ip»sum esse per essentiam; quod esse, quatenus a nobis concipitur »formaliter in ipso Deo, vocatur natura seu essentia ejus; ut vero »per se ipsum est communicativum sui, dicitur principium seu ra»tio agendi ad extra... Quia vero hoc ipsum praestat perfectissimo

(1) Disq. IV, thes. XXXVIII, n. 233. — (2) Disq. IV, n. 47. — (3) Disq. IV, n. 163, 169. — (4) P. 1, q. 25, a. 1, ad 4. — (5) a. 5, ad 1. — (6) *Metaphy.* D. 30, Sec. 17, n. 47, 48.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»modo, indiget intellectu et voluntate, illo ut dirigente, hac ut ap»plicante. Quia vero ipsa scientia et voluntas non sunt in Deo aliud »quam suum esse, ideo per illud habet Deus quidquid necessarium »est ad agendum perfectissimo modo. Atque ita tandem divina »scientia et voluntas sunt causa rerum; in re quidem per se ac pro»priissime efficiendo illas, quatenus in re sunt ipsum esse, et ipsa »omnipotentia Dei; secundum vero proprias rationes, altera diri»gendo, altera vero applicando potentiam exequentem, a qua se»cundum rationem distingnuntur.»

199. Obj. Voluntas Dei, ut perfecta sit, concipienda est ut efficacissima: atqui nisi per se operativa sit, non concipitur efficacissima; ergo dicenda est formaliter idem cum potentia.

Resp. Dist. *maj.* Concipienda ut efficacissima, *qua voluntas est*, seu ad volendum; conc. Concipienda ut efficacissima, *qua intellectus*, aut qua *potentia;* nego. Nam voluntas, *qua voluntas*, respicit tantum actus quosdam immanentes; et potentia, *qua talis*, actus transeuntes. Sic sanctus Thomas rem esse intelligendam ac distinguendam docet (1): «Si aliquae actiones Deo conveniant, quae »non in aliquod factum transeant, sed maneant in agente, respectu »harum non dicitur in Deo potentia, nisi secundum modum inte»lligendi, non secundum rei veritatem. Hujusmodi autem actiones »sunt intelligere et velle. Potentia igitur Dei, proprie loquendo, »non respicit hujusmodi actiones, sed solos effectus. Intellectus »igitur et voluntas in Deo non sunt potentiae sed solum ut actio»nes.»

200. Inde facile inferes, quam sit ista thomistarum opinio a mente sancti Thomae aliena; contendunt enim confundere Dei potentiam cum ea facultate, quae, *secundum rei veritatem*, non est potentia.

Pariter concludes, non minus a sancto recedere Doctore recentem quemdam theologum docentem, (ut thomistas cum Angelico quodammodo conciliet); actionem creativam esse *formaliter* inmanentem, solumque *virtualiter* transeuntem. Inde namque concedere opus est, *potentiam* non esse *formaliter* in Deo, «secun»dum rei veritatem;» sed *virtualiter* tantum.

201. **Nota.** S. Scripturae, SS. Patrum, necnon aliquae Doctoris Angelici sententiae, quibus divinae voluntatis extollitur efficacia, sensu obvio et literali, facile de efficacitate morali intelliguntur; uti cum dicit Sapiens (2): *Cum magna reverentia disponis nos; subest enim tibi, cum volueris, posse.* Hinc Vazquezius, qui in re praesenti nobis adversatur, plane fate-

(1) *Contr. Gent.* l. 2, c. 10. — (2) Sap. XII, 18.

tur: «Haec tamen et multa alia testimonia solum probant, omnium »rerum productionem pendere ex nutu Dei: at non esse aliam po»tentiam exequentem, quae pendeat ex voluntate Dei, sicut in no»bis, ex eis certe non colligitur. Nam et de quovis homine recte »dicitur; ambulat quando vult, ubi vult, et eo quo vult; solum »quod, nutu voluntatis suae, potentia movens secundum locum »operatur (1).»

ARTICULUS II.

De virtute Dei in actu secundo.

Nota. Cum actiones, quibus Deus cum causis secundis concurrit, vel solus ad extra operatur, sint actiones transeuntes, inquiritur, utrum cooperando agat Deus in ipsas causas secundas, an vero directe in ipsos earum effectus. Quod ut declaremus, ecce quid censeat (2) supra laudatus Auctor, scil. Cl. P. Mayr.

202. «**Dico**: Actio transiens non recipitur in agen»te. Ita Suarez (disp. 48, Metaph. Sec. 4), ubi fusius hanc »sententiam probat: vocat eam, receptissimam inter recentiores, »scil. sui temporis: et adhuc talis est inter recentiores modernos. »Probr. conclusio ex auctoritate Aristotelis, (l. 2 *de Anima*). »S. vero Thomas hunc locum exponens (in l. 3, *de Anim.* l. 2.) »ita habet: Sicut enim actio et passio est in pa»tiente, et non in agente, ut in subjecto, sed »solum ut in principio a quo. Ubi particula *in* non »significat aliud, quam quod actio sit in agente, ceu principio a »quo, ut in subjecto denominationis extrinseco..... Quare, alia du»bie ab Angelico, forte, alibi dicta, ita sunt explicanda, ut »non praejudicent adductis ex eodem clarioribus textibus: vel di»cendo, quod loquatur de actionibus immanentibus; ut l. 2. *contr.* »*Gent.* c. 9, ubi S. Doctor probat, quod potentia Dei et ejus »actio sint identificatae, eo quod actio Dei sit ejus substantia; quod »non est verum, nisi de actionibus immanentibus: vel eum expli»cando de inexistentia tantum late sumpta... vel aliter eum expo»nendo. Vide Suarez (ibid.) qui ait: quare dubium non »est, quin haec etiam fuerit D. Thomae sen»tentia; numquam enim solet Aristotelem dese»rere in iis, quae pure philosophica sunt et »fidei non contradicunt.

203. «Prob. conclusio secundo ratione. Non omnis actio tran»siens debet, vel etiam potest, recipi in agente: ergo non est de

(1) In q. 25, d. 102, n. 9. — (2) *Philosoph.* pars. II, Disp. 3, q. 2, a. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»conceptu actionis transeuntis, ut recipiatur in agente: sed neque »potest afferri ratio specialis, cur una actio transiens prae altera de»beat recipi in agente: ergo nulla debet recipi. *Ant.* probatur. Quan»do Deus se solo aliquid producit, actio non recipitur, nec potest re»cipi in agente, nempe Deo: ergo: nec dicas cum quibusdam, quod »in casu, quo Deus solus agit, recipiatur aliqua actio in Deo, nempe »ejus decretum. Omisso enim, quod decreta Dei sint actiones (nam »ostendit Suarez, disp. 48, *Metaph.* sec. 4, ea in rigore non »esse actiones), saltem non sunt actiones transeuntes, sed imma»nentes: et multo minus sunt actiones modales productivae effec»tuum creatorum, quae, si non omnes, saltem plures identificatae »sunt cum passione.

«Objic. Actio est perfectio agentis: ergo recipitur in agente... »Resp. Dist. *ant.* Actio immanens; conc. Transiens; nego *ant.* Et »sub eadem distinctione, concedo vel nego *consequentiam.*»

204. Haec praecl. P. Mayr. His autem positis, intelliges, quam a veritate aberrent, qui existimant; Dei actionem concurrentis ipsam causam secundam immutare et eo modo cum illa cooperari. Si enim actio Dei in ipsam secundam terminaretur causam, aliquid in eadem efficeret. Quid autem? Non esse, neque virtutem; supponitur enim quod sit vera et in suo ordine sufficiens causa: non effectum; cum saepe non sit immanens sed extraneum: non ejusdem causae actionem; cum haec a Dei actione non distinguatur (n. 88).

205. Non aliter ac P. Mayr. plures thomistae intellexerunt tum Aristotelem, tum D. Thomam. Sic Capreolus (2, dist. 1, q. 2, a. 3); Ferrariensis in pluribus locis, sed vide Sum. *contra Gent.* l. 1, c. 100; et l. 2, c. 1, ubi ait: «Nullo »autem modo actio, ut actio est, dicit perfectionem agentis per mo»dum inhaerentis, quia significatur non ut aliquid in agente exis»tens, sed ut ab ipso in aliud transiens.» Haec Ferrariensis. Eamdem doctrinam tradunt Complutenses Carmelitani (in lib. *physicor.* dist. 17, q. 4), qui plures laudant vetustiores tum Aristotelis, tum D. Thomae interpretes idem sentientes. Quoad D. Thomam, praeter Sum. *contra Gent.* hic citatam, vide Summ. theol. p. 1, q. 18, a. 3 ad 1.m Ut autem intelligas aliquas sententias D. Thomae, quae contrariae videntur, conferas Complutenses (ibid.), et Ferrariensem (ibid.), qui optime eas exponunt.

Quoad Ferrariensem autem nota: cum ipse putet *velle* et *agere* apud Deum idem omnino esse, cogitur exinde negare dari in Deo alias actiones praeter immanentes; quod aperte adversatur menti D. Thomae, ibi, *cont. Gent.* l. 2, c. 1. Tamen quoad naturam actionis transeuntis omnino adhaeret S. Doctori.

DISQUISITIO VII.

DE DEO INCARNATO
seu
Juxta Unionem Hypostaticam.

PROOEMIUM.

Antequam de Deo disquisitionibus finem imponamus, de Deo Incarnato disserere ordo postulat theologicus, seu scientiae divinae apta dispositio. Praeterea, cum de emanatione Dei ad extra, seu de Deo Creatore, generatim disquisitionem habuerimus, et ad opera ipsa particulatim perpendenda pervenire oporteat, primum sibi jure vindicat locum opus illud praeexcellens, quod est operarum Dei omnium fundamentum. Teste namque S. Cyrillo (1): «Facta »est Sapientia (Verbum) fundamentum ut homo in omnibus, pec»cato solo excepto;» et pariter confirmante Athanasio (2): «Ju»re merito Verbum in nostram veniens carnem, in eaque princi»pium viarum in opera sua creatum, hac ratione, ut erat in ipso »Patre voluntas, fundatur ante aevum, ne vetustate conficeremur.» Sicut ergo *omnia in Ipso constant... ut sit in omnibus Ipse primatum tenens* (3), disquisitio de Christo quamlibet divinorum operum disquisitionem praeveniat.

Ut autem quanti sit momenti, quam aggredimur, Disquisitio eluceat, nec non ex quibus fontibus de Verbo Incarnato Scientia haurienda, subjicimus pauca ex *Praefatione*, quae a Doctore Eximio, in Commentariis in 3.m partem Summae D. Thomae, praemittitur.

«Licet in hoc divino mysterio, quae tractantur, omnia supra sen»sum nostrum, supra rationem, supra captum omnem sita sint, »utpote divina: illud me tamen inter tot difficultatum scopulos »consolatur ac recreat, in tam immensa tamque inaccessa super»norum caligine tantam splenduisse divini luminis claritatem, tam apertam fidei regulam nobis esse propositam, tam luculenter,

(1) *Thesaur.* L. 5, c. 8.—(2) Or. 2, *contra Arianos*, 26.—(3) Col. I, 17, 18.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»conceptu actionis transeuntis, ut recipiatur in agente: sed neque »potest afferri ratio specialis, cur una actio transiens prae altera de»beat recipi in agente: ergo nulla debet recipi. *Ant.* probatur. Quan»do Deus se solo aliquid producit, actio non recipitur, nec potest re»cipi in agente, nempe Deo: ergo: nec dicas cum quibusdam, quod »in casu, quo Deus solus agit, recipiatur aliqua actio in Deo, nempe »ejus decretum. Omisso enim, quod decreta Dei sint actiones (nam »ostendit Suarez, disp. 48, *Metaph.* sec. 4, ea in rigore non »esse actiones), saltem non sunt actiones transeuntes, sed imma»nentes: et multo minus sunt actiones modales productivae effec»tuum creatorum, quae, si non omnes, saltem plures identificatae »sunt cum passione.

«Objic. Actio est perfectio agentis: ergo recipitur in agente... »Resp. Dist. *ant.* Actio immanens; conc. Transiens; nego *ant.* Et »sub eadem distinctione, concedo vel nego *consequentiam.*»

204. Haec praecl. P. Mayr. His autem positis, intelliges, quam a veritate aberrent, qui existimant; Dei actionem concurrentis ipsam causam secundam immutare et eo modo cum illa cooperari. Si enim actio Dei in ipsam secundam terminaretur causam, aliquid in eadem efficeret. Quid autem? Non esse, neque virtutem; supponitur enim quod sit vera et in suo ordine sufficiens causa: non effectum; cum saepe non sit immanens sed extraneum: non ejusdem causae actionem; cum haec a Dei actione non distinguatur (n. 88).

205. Non aliter ac P. Mayr. plures thomistae intellexerunt tum Aristotelem, tum D. Thomam. Sic Capreolus (2, dist. 1, q. 2, a. 3); Ferrariensis in pluribus locis, sed vide Sum. *contra Gent.* l. 1, c. 100; et l. 2, c. 1, ubi ait: «Nullo »autem modo actio, ut actio est, dicit perfectionem agentis per mo»dum inhaerentis, quia significatur non ut aliquid in agente exis»tens, sed ut ab ipso in aliud transiens.» Haec Ferrariensis. Eamdem doctrinam tradunt Complutenses Carmelitani (in lib. *physicor.* dist. 17, q. 4), qui plures laudant vetustiores tum Aristotelis, tum D. Thomae interpretes idem sentientes. Quoad D. Thomam, praeter Sum. *contra Gent.* hic citatam, vide Summ. theol. p. 1, q. 18, a. 3 ad 1.m Ut autem intelligas aliquas sententias D. Thomae, quae contrariae videntur, conferas Complutenses (ibid.), et Ferrariensem (ibid.), qui optime eas exponunt.

Quoad Ferrariensem autem nota: cum ipse putet *velle* et *agere* apud Deum idem omnino esse, cogitur exinde negare dari in Deo alias actiones praeter immanentes; quod aperte adversatur menti D. Thomae, ibi, *cont. Gent.* l. 2, c. 1. Tamen quoad naturam actionis transeuntis omnino adhaeret S. Doctori.

DISQUISITIO VII.

DE DEO INCARNATO
seu
Juxta Unionem Hypostaticam.

PROOEMIUM.

Antequam de Deo disquisitionibus finem imponamus, de Deo Incarnato disserere ordo postulat theologicus, seu scientiae divinae apta dispositio. Praeterea, cum de emanatione Dei ad extra, seu de Deo Creatore, generatim disquisitionem habuerimus, et ad opera ipsa particulatim perpendenda pervenire oporteat, primum sibi jure vindicat locum opus illud praeexcellens, quod est operarum Dei omnium fundamentum. Teste namque S. Cyrillo (1): «Facta »est Sapientia (Verbum) fundamentum ut homo in omnibus, pec»cato solo excepto;» et pariter confirmante Athanasio (2): «Ju»re merito Verbum in nostram veniens carnem, in eaque princi»pium viarum in opera sua creatum, hac ratione, ut erat in ipso »Patre voluntas, fundatur ante aevum, ne vetustate conficeremur.» Sicut ergo *omnia in Ipso constant... ut sit in omnibus Ipse primatum tenens* (3), disquisitio de Christo quamlibet divinorum operum disquisitionem praeveniat.

Ut autem quanti sit momenti, quam aggredimur, Disquisitio eluceat, nec non ex quibus fontibus de Verbo Incarnato Scientia haurienda, subjicimus pauca ex *Praefatione*, quae a Doctore Eximio, in Commentariis in 3.m partem Summae D. Thomae, praemittitur.

«Licet in hoc divino mysterio, quae tractantur, omnia supra sen»sum nostrum, supra rationem, supra captum omnem sita sint, »utpote divina: illud me tamen inter tot difficultatum scopulos »consolatur ac recreat, in tam immensa tamque inaccessa super»norum caligine tantam splenduisse divini luminis claritatem, tam apertam fidei regulam nobis esse propositam, tam luculenter,

(1) *Thesaur.* L. 5, c. 8.—(2) Or. 2, *contra Arianos*, 26.—(3) Col. I, 17, 18.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»tam apte, tamque sapienter a SS. Patribus et Ecclesiae doctori»bus esse illustratam, tam denique purgatam erroribus, ut nisi »in meridiana luce (quod ajunt) velimus caecutire, atque a vera »doctrina, quasi sponte, deflectere, quae de tanto mysterio scire nos »convenit consequi feliciter, juvante Deo, ejusque Matre SSma., in»tercedente, difficile non sit. Quod eo facilius atque securius me in »hoc opere assequuturum confido, quo magis Angelici Doc»toris placitis ac sententiis inhaerere, ejusque sensa omni indus»tria, summaque diligentia rimari in animo est. Quippe ea est apud »me ejus auctoritas, ut illius vestigiis insistens, nullos aut itineris »errores, aut difficultatum nodos, vel demum inextricabiles argu»mentorum laqueos pertimescam.»

Haec quidem ille pius, modestus, vereque Eximius Doctor. Eo autem duce, non tantum veriores probatioresque sententias securius tenebis; verum etiam genuinam Doctoris Angelici mentem, inter tot Commentatorum oppositas opiniones, variasque interpretationes, recto tramite longe facilius assequeris.

DIVISIO GENERALIS.

CHRISTIANAM HANC SCIENTIAM DIVIDIMUS IN QUINQUE CAPITA.

Caput I. Agetur de Christo, quâ Messias est.
— II. Disseritur de Christo, quoad ejus esse.
— III. Illa discutiuntur quae ad Christum spectant, quatenus terminus est actionis seu efficientiae.
— IV. De Christo agemus, prout principium est agendi seu operandi.
— V. Incarnationis necessitas et cum rerum ordine connexio expenditur.

CAPUT I.

De Christo qua Messias est.

ARTICULUS I.

De Messiae promissione.

1. **Nota**: nomen Messias idem significat ac *Christus* (1), seu Unctus. Quamvis autem, vi significationis, possit illud de regibus,

(1) Jo. 1, 41.

sacerdotibus, prophetisque quibuslibet dici, quatenus ungebantur (1), tamen propriissime et antonomastice de expectato a Judaeis Gentilibusque Salvatore dicitur in SS. Literis, quippe qui summus Sacerdotum, Regum ac Prophetarum futurus erat; «Non ideo quod, »ait Cyrillus Alexand. (2), cornu inunctus sit, sed quod divi»no Spiritu delibutus; vere enim et proprie ipse habuit Spiritum «Sanctum.»

Omnes autem qui in Veteri illa Lege et Israëlitico Regno, ex Dei praescripto vel instinctu, ungebantur in Reges, Sacerdotes vel Prophetas, eo ipso Mediatores inter Deum et populum aliquo modo fiebant, et propter populi salutem constituebantur.

THESIS I.

Messias multimodis fuit Judaeis promissus.

2. **Nota**: propositio est de fide. Cum autem nondum fuerit declaratum, quis, qualisve futurus sit Messias, hoc nomine hic insignem aliquem Dei Mediatorem et populi Salvatorem significamus.

Prob. 1.° Triden.ᵐ (3) ait: «Factum est, ut coelestis Pater... »Christum Jesum, filium suum, et ante Legem, et Legis tempore »multis SS. Patribus declaratum ac promissum, cum venit beata »illa plenitudo temporis, ad homines miserit.» Et Florent.ᵐ (4): «Quem aliquando venturum omnia Veteris Testamenti sacra, sacri»ficia, sacramenta, caeremoniae praesignarunt.»

3. 2.° Ex Novo elucet Testamento. Christus ipse testatus est (5): *Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis et Psalmis de me*; item: *Scrutamini Scripturas... illae sunt quae testimonium perhibent de me.* Paulus ait (6): *Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est, testificata a lege et Prophetis; justitia autem Dei per fidem Jesu Christi.* Petrus autem dicit (7): *De qua salute* (per Christum) *exquisierunt atque scrutati sunt prophetae, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt: scrutantes, in quod vel quale tempus significaret in eis Spiritus Christi: praenunlians eas quae in Christo sunt passiones et posteriores glorias.*

4. 3.° In Veteri Foedere, Filius benedictus, in quo non Judaei soli, sed et Gentes omnes benedicendae forent, promissus Abrahae fuit (8); *In te benedicentur universae cognationes terrae:* nec non Isaac (9) et Jacob (10). Deinde rursus filio suo Judae praedixit Jacob (11); quod ex ejusdem femore nasceretur Mes-

(1) Reg. II, I, 14; III, XIX, 16.—(2) Catena PP. Graec. in S. Matth. c. 1 (apud Cordeirum).—(3) Sess. 6, cap. 2.—(4) Decret. *pro Jacob.*—(5) Luc. XXIV, 44; Joan. V, 39, 46.—(6) Rom. III, 21, 22.—(7) 1.ª c. I, 10, 11.—(8) Genes XII, 3; XVIII, 18.—(9) Ibid. XXVI, 4.—(10) Ibid. XXVIII, 4, 14.—(11) Ibid. XLIX, 10.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sias, *Expectatio Gentium*. Videas etiam quae in Deuteronomio dicuntur (1), et conferas cum iis quae in Act. Apostolorum habentur (2).

In pluribus Psalmis legimus Messiae adventum, originem, vitam, mortem et resurrectionem: regnum autem ejus, potestatem in universam terram, benedictionem omnium gentium, misericordiam ipsius in pauperes et humiles, judicium vero et justitiam erga potentes, fuse ac magnifice descripsit Propheta in Psalmo 71.

Propius Messiae adventum alii Prophetae praenuntiarunt. Isaias (3) dixit: *Audite, insulae; et attendite, populi, de longe: Dominus ab utero vocavit me... et dixit mihi: Servus meus es tu Israël, quia in te gloriabor... Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et faeces Israël convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.* Jeremias (4) pariter; Ezechiel (5); Daniel (6): Aggaeus (7) ait; *Et veniet desideratus cunctis gentibus:* et Zacharias (8): *Et erit in die illa: exibunt aquae vivae de Jerusalem... et Dominus Rex super omnem terram;* Malachias (9): *Statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quaeritis, et Angelus Testamenti, quem vos vultis: Ecce venit, dicit Dominus exercituum.*

5. 4.° Ex antiquioribus SS. Patribus laudabimus Irenaeum (10), Judaeos arguentem: «non cognoscentes, neque intelligere volentes. »quoniam duos adventus Christi omnes annuntiarunt prophetae.» Ex posterioribus autem ait Hieronymus (11) «Et pariter annotandum, quod sacramentum fidei nostrae, nisi per scripturas »propheticas et adventum Christi non valeat revelari. Sciant igitur »qui Prophetas non intelligunt, nec scire desiderant, asserentes se »tantum Evangelio esse contentos, Christi nescire mysterium, »quod temporibus aeternis gentibus cunctis fuerit ignoratum.»

Confer hoc Apostoli ad Ephesios testimonium, quod Hieronymus exponit, cum illo S. Petri, in prima ipsius epistola (12).

6. Obj. 1.° Gentes, quibus non fuerat Christus praenuntiatus, Christum susceperunt; Judaei autem eum negaverunt et crucifixerunt (13): ergo inutilis plane videtur Christi praenuntiatio. Atqui Deum inutilia fecisse non est credendum: ergo non fuit Christi adventus praedictus.

Resp. 1.° permisso *Antec.*, nego *conseq.* Non enim ex inutilitate

(1) XVIII, 15.—(2) III, 22.—(3) XLIX, 1, 3, 6.—(4) XXX, 21.—(5) XXXIV, 22-24.—(6) IX, 24.—(7) II, 8.—(8) XIV, 8, 9.—(9) III, 1.—(10) 4, Haeres. c. 56. — (11) In Ep. ad Ephes. c. III, 5, 6. — (12) I, 10, 11. — (13) Vide Rom. X, 20, 21.

praenuntiationis Christi ortum duxit Judaeorum obcaecatio, sed ex eorum vitio et superbia, ut Apostolus docet (1).

Resp. 2.° Dist. *Antec.* Omnes Judaei Christum negaverunt, Nego *ant. Non repulit Deus plebem suam quam praescivit*, ait Apostolus (2): pars magna Judaeorum Christum negaverunt, ita tamen ut eorum expectatio tum eorum filiis, tum caeteris Judaeis, tum Gentibus multum profuerit, conc; aliter, nego *ant.* et *consequentiam.*

Objc. 2. Quod Christus testatus fuerit Moysen et prophetas de se fuisse locutos, parum efficax videtur argumentum; nam, ut ajebant Judaei: *Tu de te ipso testimonium perhibes; testimonium tuum non est verum*, Joan. VIII, 13.

Resp. dist. Est argumentum parum efficax, ex se; nego: erga infidelem Spiritui Sancto resistentem; conc. Unde prae oculis habeamus oportet, Sacram Theologiam non ad infideles tantum coarguendos, sed maxime ad fideles edocendos esse adhibendam.

SCHOLION.

De Judaeorum fide in Messiae adventum.

7. Judaeos expectasse Messiam et ejusdem adventum firmiter credidisse certo constat. Inde enim miserunt nuntios ad Joannem Sacerdotes et Levitae, et eum interrogarunt, num ipse esset Christus; ipse autem confessus est: *Non sum ego Christus* (3). Et rursus: *Existimante populo et cogitantibus omnibus in cordibus suis de Joanne, ne forte ipse esset Christus; respondit Joannes, dicens omnibus: ego quidem aqua baptizo vos; veniet autem fortior me, cujus non sum dignus solvere corrigiam calceamenti ejus: ipse vos baptizabit in Spiritu Sancto et igni:* (4). Cum autem vellet Herodes Jesum occidere (5). *Congregans omnes principes Sacerdotum, et Scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: in Bethlehem Judae; sic enim scriptum est per Prophetam*, etc. Et quidem non soli sapientes, sed populus omnis, etiam rudiores, fidem in Messiam habebant: sic Philippus dixit Nathanaël (6): *Quem scripsit Moyses in lege, et Prophetae, invenimus Jesum Filium Joseph a Nazareth.* Et mulier illa Samaritana (7) ajebat: *Scio, quia Messias venit, qui dicitur Christus: cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia.*

Haec Judaeorum firmissima fides, fuit sane post Christi negatio-

(1) Rom. IX, 30, etc.—(2) Rom. XI, 2.—(3) Joan. I, 20.—(4) Luc. III, 15, 16. —(5) Matth. II, 4, 5.—(6) Joan. I, 45.—(7) Ibid. IV, 25.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nem et occisionem obscurata et corrupta, non tamen omnino oblivioni tradita ac deleta. In primis apertissime continetur in Paraphrasibus Chaldaicis, quae sine dubio, post Sacras Scripturas, libri sunt apud Judaeos vetustissimi: in illis autem plurimae prophetiae de Messia intelliguntur, licet deinde non pauci, è posterioribus Judaeis, contumaces et protervi, aliter interpretandas contendant. In libris quoque Talmudicis fides in adventum Messiae habetur, multis tamen foedata fabulis. Denique notissima est illa Judaica fides in tredecim articulos digesta, quam ab omnibus tenendam, et in ea moriendum Judaei decreverunt et consenserunt; quos articulos enumeravit etiam Rabbi Maimonides, exeunte seculo undecimo, in Confessione fidei Judaicae: jam vero duodecimus articulus sic habetur: «Messias venturus est; quem moran»tem, licet diutius, semper tamen expectabo, donec veniat.» Hinc ajunt, quod quicumque de adventu Messiae dubitant, Legem totam de mendacio accusant.

ARTICULUS II.

De Messiae promissi muneribus.

THESIS II.

Foedus, seu Testamentum Novum, a veteri judaico Foedere diversum, inter Deum et homines a Messia erat constituendum.

8. Haec thesis ad fidem pertinet, et probatur.

1.° Ex Tridentino (1): «Quoniam sub priori Testamen»to, teste Apostolo Paulo, propter Levitici sacerdotii imbe»cillitatem, consummatio non erat; oportuit sacerdotem alium se»cundum ordinem Melchisedech surgere, D. N. Jesum Chris»tum, qui posset omnes consummare, et ad perfectum adducere... »Corpus et Sanguinem suum, sub speciebus panis et vini, Deo Pa»tri obtulit, ac Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sa»cerdotes constituebat, ut sumerent tradidit.»

2.° Christus D. ait (2): *Hic est calix Novum Testamentum in sanguine meo.* Apostolus autem (3): *In quantum est non sine jurejurando... in tantum melioris Testamenti sponsor factus est Jesus.* Et inferius (4): *Nunc autem melius sortitus est ministerium, quanto et melioris Testamenti mediator est, quod in melioribus repromissionibus sancitum est.* Horum testamentorum differentiam explicat ipse Paulus (1) dicens; illud prius fuisse servitutis, novum autem libertatis, *qua libertate Christus nos liberavit.*

(1) Sess. 22, c. 1.—(2) Luc. XXII, 20.—(3) Hebr. VII, 20, 22.—(4) VIII, 6.

9. 3.° Antiqui Prophetae novum Christi Foedus praedixerunt. Isaias (2) dixit: *Dedi te in Foedus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos caecorum...* Jeremias autem (3): *Ecce dies venient, dicit Dominus; et feriam domui Israël et domui Jacob foedus novum... Et hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israël post dies illos: dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam...* Ezechiel quoque dixit (4): *Suscitabo tibi pactum sempiternum.*

4.° Ex SS. Patribus Irenaeum laudabimus (5): «Prophetae »cum reliquis quae prophetabant, et hoc prophetaverunt... Et qui »dicunt, dispositurum Deum Testamentum Novum homi»nibus, non quemadmodum disposuit patribus in Horeb; et cor »novum et spiritum novum dare hominibus:... quae est Novi Tes»tamenti libertas, hanc manifeste annuntiabant et novum vinum, »quod in novos utres mittitur, fidem quae est in Christo Jesu.» Tertullianus (6) ostendit, quaerendum et expectandum, secundum Prophetas, «Novae Legis latorem, Novi Testamenti »haeredem et novorum sacrificiorum sacerdotem.» Vide et Jo. Chrysostomum (7).

10. Objic. Testamentum antiquum erat aeternum (8). Sed si novum succederet non fuisset prius aeternum: ergo non est novum Foedus constituendum.

Resp. Dist. *maj.* Quoad complementum ipsius, seu quoad spiritualia in veteri illo Testamento figurata, erat aeternum; conc. Quoad temporalia bona et figuras; nego. Vide canticum Zachariae apud S. Lucam (9): inde quoque intelligitur quod dicit Apostolus: *Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis ad confirmandas promissiones patrum* (10).

THESIS III.

Ad Foedus Novum Messias Gentes erat adducturus.

11. Fide constat 1.° ex novis SS. Litteris: «*Vocabit nos non solum ex Judaeis, sed etiam ex Gentibus, sicut in Osee dicit: vocabo non plebem meam, plebem meam; et non dilectam, dilectam* (11).

(1) Galat. IV, 24-31. — (2) XLII, 6, 7; XLIX, 8. — (3) XXXI, 31, 33. — (4) XVI, 60. — (5) *Haeres.* IV, c. 33, n. 10, 14. — (6) *Adver. Judaeos*, c. 6.— (7) Orat. V, *adver. Judaeos.* tom. 1, pag. 903, edit. lat. (Migne).—(8) Ps. CIV, 8, 10; CX, 9.—(9) I, 70-73.—(10) Rom. XV, 8.—(11) Ibid. IX, 24, 25.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Item: *Ecce convertimur ad gentes. Sic enim praecepit nobis Dominus: posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terrae* (1).

Videas quoque eumdem Apostolum de hac re disserentem (2).

12. 2.° Ex antiquis Literis Isaias (3). *Parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob et faeces Israël convertendas. Ecce dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.* Praeterea conferas ex thesi 1.ª probationem 3.ᵐ maxime autem psalmum 21 et 71. Utrumque psalmum antiqui quoque Rabbini de Cristo intellexere.

3.° Hieronymus (4) ait: «Hoc Evangelista commemorat, »Domino sic dicente: praedicabitur evangelium hoc in universo »mundo. Sed et omnes gentes venient et adorabunt coram te Domine.»

Iraeneus praeclare ait (5): «Hic in novissimis temporibus ap»parens lapis summus angularis, in unum collegit et univit eos »qui longe et eos qui prope, hoc est, circumcisionem et praepu»tium, dilatans Japhet, constituens eum in domo Sem.»

13. Objic. Cum Dominus salvaverit populum suum Israël, consumet cunctas gentes ad quas ejecerat eum. Si ergo Messias venturus est ad salvandum Israël, non salvabit Gentes. Major constat ex Jeremia (6): *Et tu ne timeas, serve meus* Jacob, *et ne paveas* Israël: *quia ecce ego salvum te faciam de longinquo, et semen tuum de terra captivitatis tuae: et revertetur* Jacob, *et requiescet, et prosperabitur; et non erit qui exterreat eum. Et tu noli timere, serve meus* Jacob, *ait Dominus: quia tecum ego sum; quia ego consumam cunctas gentes, ad quas ejeci te: te vero non consumam, sed castigabo te in judicio, nec quasi innocenti parcam tibi.*

Resp. dist. *maj.* Consumet cunctas gentes et regna, quatenus eo tempore quo Jacob revertetur ad Dominum Deum suum, cunctae gentes et regna a tyrannica dominatione deturbabuntur; conc. *Maj.* Quasi in utroque Christi adventu gentes extiturae non sint: nego.

THESIS IV.

Messias a Judaeis negandus, ipsique vicissim a Messia magna ex parte reprobandi.

14. Prob. 1. Dixit Dominus Judaeis (7): «*Numquam legistis in*

(1) Act. XIII, 46, 47.—(2) Ibid. XXVI, 22, 23; Rom. XV, 8.—(3) XLIX, 6.—(4) In Psal. 71, v. 18.—(5) L. 3, *haer.* c. 5.—(6) XLVI, 27, 28.—(7) Matth. XXI, 42, 43.

Scripturis: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli?... Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. Et Paulus (1): *Israël sectando legem justitiae, in legem justitiae non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus: offenderunt enim in lapidem offensionis; sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem;... qui credit in eum non confundetur.* Vide et cap. X, vv. 20, 21.

15. 2.° Apud antiquos Prophetas passim id legimus. In Isaia (2): *Et ego dixi: in vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi... Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam* Jacob *ad eum, et* Israël *non congregabitur.* Item: *Erit vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis et in petram scandali, duabus domibus* Israël... *Et expectabo Dominum, qui abscondit faciem suam a Domo* Jacob. Videas et cap. LIX, v. 10...

Daniel clare etiam loquutus (3): *Occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est.* Oseas autem (4) ait: *Dies multos sedebunt filii* Israël *sine rege, et sine principe, et sine ephod, et sine teraphim.* Et Moyses (5): *Et ait Dominus mihi: Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: qui autem verba ejus, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* Deinde: *Disperget te Dominus in omnes populos a summitate terrae usque ad terminos ejus... In gentibus quoque illis non quiesces, neque erit requies vestigio pedis tui. Dabit enim tibi Dominus ibi cor pavidum, et deficientes oculos, et animam consumptam moerore. Et erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis nocte et die, et non credes vitae tuae.*

3.° Irenaeus (6) ait: «Quoniam temporalis erat eorum admi»nistratio, Esaias ait: *Derelinquetur filia Sion, sicut casa in vi»nea.*» Quando autem id eveniet docet ipse Irenaeus: «Propter »hoc Judaei excesserunt a Deo. Verbum Dei non recipientes.»

THESIS V.

Ab expectato Messia Judaei conversi iterum misericorditer suscipiendi.

16. Haec thesis est fide certa, et probatur.

1.° Apostolus docet (7): *Nolo vos ignorare, fratres, mysterium hoc, ut non sitis vobis ipsis sapientes, quia caecitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israël salvus*

(1) Rom. IX, 31-33.—(2) XLIX, 4, 5; VIII, 14, 17.—(3) IX, 26.—(4) III, 4.—(5) Deuter. XVIII, 18, 19; XXVIII, 64-66.—(6) L. IV, c. 8, et c. 17.—(7) Rom. XI, 25, 26.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fieret, sicut scriptum est: Veniet ex Sion qui eripiat et avertat impietatem a Jacob. Et in 2.ª ad Corinthios (1): *Obtusi sunt sensus eorum... usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum. Cum autem conversus fuerit ad Dominum, auferetur velamen.*

Jacobus (2), approbans verba Petri de Gentium vocatione, consolatus est Judaeos praedicendo judaici populi conversionem et benedictionem post Gentium vocationem: *primum Deus visitavit sumere ex gentibus populum nomini suo... Post haec revertar, et reaedificabo tabernaculum David, quod decidit; et diruta ejus reaedificabo, et erigam illud.* Quae quidem sedulo conferas cum iis quae habet Amos propheta (3), et Tobias (4).

17. 2.° Antiqui prophetae, qui Judaeis saepissime excaecationem et reprobationem praedixerunt, passim quoque eorum animos erexerunt enuntiatione mirae in eos Dei miserationis, et rerum omnium restitutionis.

Malachias, omnium Legis Mosaycae Prophetarum recentior, ait (5): *Ecce ego mittam ad vos Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis: et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum; ne forte veniam, et percutiam terram anathemate.* Quae ultima verba, ut tibi clarius elucescant, conferas cum iis quae tibi exhibet Paulus (6).

Zacharias (7) etiam: *Haec dicit Dominus exercituum: Si videbitur difficile in oculis reliquiarum populi hujus in diebus illis, numquid in oculis meis difficile erit? Ecce ego salvabo populum meum de terra orientis, et de terra occasus solis: et adducam eos, et habitabunt in medio Jerusalem; et erunt mihi in populum, et ego ero eis in Deum, in veritate et justitia.* Et infra (8): *Et confortabo domum Juda, et domum Joseph salvabo: et convertam eos, quia miserebor eorum; et erunt sicut fuerunt quando non projeceram eos,* etc.

Michaeas, descripta multarum gentium conversione, de Judaeis dicit (9): *In die illa, dicit Dominus, congregabo claudicantem: et eam, quam ejeceram colligam, et quam afflixeram... et regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nunc et usque in aeternum.* Videas ejusdem Prophetae totum caput septimum.

Amos propheta (10) et Joël (11) eadem praedixerunt: *Convertam captivitatem populi mei Israël; et aedificabunt civitates desertas, et inhabitabunt... Et plantabo eos super humum suam, et non evellam eos ultra de terra sua, quam dedi eis, dicit Dominus Deus*

(1) III, 14-16. — (2) Act. Ap. XV, 14, 16. — (3) IX, 11. — (4) XIV, 6-9. — (5) IV, 5, 6. — (6) Rom. XI, 12, 15. — (7) VIII, 6-8. — (8) X, 6. — (9) IV, 6, 7. — (10) IX, 14, 15. - (11) III, 20, 21.

tuus. Joël autem: *Judaea in aeternum habitabitur, et Jerusalem in generationem et generationem. Et mundabo sanguinem eorum, quem non mundaveram; et Dominus commorabitur in Sion.*

Ezechiel multa de his (1): *Scelus tuum et ignominiam tuam tu portasti, ait Deus... Et suscitabo ego pactum meum tecum; et scies quia ego Dominus, ut recorderis, et confundaris, et non sit tibi ultra aperire os prae confusione tua; cum placatus tibi fuero in omnibus quae fecisti.* Et rursus: *Tollam vos de Gentibus, et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram. Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris... et dabo vobis cor novum, et auferam cor lapideum... et habitabitis in terra quam dedi patribus vestris; et eritis mihi in populum, et ego ero vobis in Deum.*

Jeremias multa et praeclara de hac re saepe praedixit; sit exemplum (2): *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; et convertam conversionem populi mei Israël et Juda, ait Dominus: et convertam eos ad terram, quam dedi patribus eorum, et possidebunt eam... Vae! quia magna dies illa, nec est similis ejus: tempusque tribulationis est Jacob, et ex ipso salvabitur. Et erit in die illa, ait Dominus exercituum: conteram jugum ejus de collo tuo, et vincula ejus dirumpam, et non dominabuntur ei amplius alieni: sed servient Domino Deo suo, et David Regi suo, quem suscitabo eis.*

Isaias plurima nobis exhibet testimonia; unicum tamen laudabimus, quo utitur Apostolus (3) ut confirmet Judaeos tandem convertendos. Ait ergo Propheta (4): *Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat, neque aggravata est auris ejus ut non exaudiat: sed iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum... Et timebunt qui ab occidente nomen Domini, et qui ab ortu solis gloriam ejus, cum venerit quasi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit; et venerit Sion Redemptor, et eis qui redeunt ab iniquitate in Jacob, dicit Dominus. Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, et de ore seminis seminis tui, dicit Dominus, amodo et usque in sempiternum.*

18. 3.° Ex sanctis Patribus notissimum est, quamplura et conspicua dixerint antiquissimi illorum, ut Justinus, Irenaeus, etc. Illis tamen, brevitatis causa praetermissis, Hieronymi et Augustini sententias aliquas audiamus. Ille ait (5): «Restitutio po»puli Israël, qui est in captivitatem et in toto orbe dispersus, »videtur quidem incredibilis his, qui Dei non norunt potentiam;

(1) XVI, 58, 62, 63; XXXVI, 24-26, 28. — (2) XXX, 3, 7, 8, 9. — (3) Rom. XI, 26. - (4) LIX, 1, 2, 19-21. — (5) In Ezech. c. XXXIX, 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»sed tamen futura est, quia ego, inquit Dominus, locutus sum, et »faciam sicut pollicitus sum.»

Augustinus autem (1): «Has res didicimus esse venturas: »Eliam Thesbitem, fidem Judaeorum, Antichristum perse»cuturum... Quae omnia quidem ventura esse credendum est.»

Origenes, apud Hieronymum (2) eadem docet, et confirmat auctoritate Apostoli.

19. Obj. 1.° Apud Danielem (3) dicitur: *Non erit ejus populus, qui eum negaturus est.*

Resp. Dist. Dum judaei in negatione permanserint; conc. Cum iterum crediderint, non erunt Christi populus; nego. Ita Apostolus (4): *Sed et illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur: potens est enim Deus inserere illos. Nam si tu ex naturali excisus es oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam: quanto magis ii, qui secundum naturam, inserentur suae olivae?*

Obj. 2.° Legitur in Act. Apostolorum (5): *Dura cervice et incircumcisis cordibus, vos semper Spiritui S. resistitis; sicut patres vestri, ita et vos.* Ergo numquam convertentur.

Resp. Dist. *conseq.* Dum non circumcidantur eorum corda, non convertentur; conc. Aliter; nego. Vide Deutoronomium (6).

Obj. 3.° Ipsa Sion dixit per Isaiam (7): *Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei.*

Resp. Dist. et explico: ad tempus, dereliquit eam; conc.: in perpetuum; nego: quod est ex contextu manifestum.

Obj. 4.° Messias, ibidem, ait (8): *Dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam* Jacob *ad eum; et* Israël *non congregabitur.*

Resp. in praedicatione ipsius Messiae, non congregabitur Israël; conc. Numquam, nego.

Inst. Per Oseam (9): jussit Deus appellari populum illum: *Absque misericordia*, et *Non populus meus; quia vos non populus meus, et ego non ero vester:* Ergo in aeternum reprobatus est.

Resp. Dist. *conseq.* Populus ille, quatenus constituebat regnum illud Israël a regno Juda separatum; conc. Absolute, quasi filii Israël numquam sint sub regno Messiae congregandi; nego.

(1) *De Civit. Dei* l. 20, c. ult. n. 5. —(2) Tom. 2, edit. Maur. Tract. 1, in Cant. in illa verba; «*Nigra sum...*»— (3) IX, 26. — (4) Rom. XI, 23, 24. — (5) VII, 51. —(6) XXX, vv. 1-6.—(7) XLIX, 14.—(8) XLIX, 5.—(9) I, 6, 9.

THESIS VI.

Messias promissus reconciliaturus erat homines cum Deo, peccata deleturus, et viam edocturus justitiae et sanctitatis.

20. Est doctrina fidei.

1.° In Symbolo Constant. dicitur de Christo: «Propter »nos homines et propter nostram salutem descendit de coelo...» Et Florentinum in Decr. *pro Jacobitis:* «Humani generis hostem, »peccata nostra delendo, solus sua morte prostravit, et regni coe»lestis introitum reseravit.»

2.° Dixit Christus (1): *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Quorum remiseritis peccata remittuntur eis. Euntes docete omnes gentes... Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Et rursus (2): *Non misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum; sed ut salvetur mundus per ipsum.* Sic Christum praedicavit Petrus (3): *Certissime sciat omnis domus Israël, quia et Dominum eum et Christum fecit Deus, hunc Jesum, quem vos crucifixistis... baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum.*

Paulus autem ait (4): *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu ejus in charitate.* Item (5): *Qui factus est nobis sapientia a Deo, et justitia et sanctificatio et redemptio.* Et alibi: *Tradidi enim vobis in primis quod et accepi: quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum Scripturas.*

21. 3.° Zacharias prophetavit (6): *Juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, ut serviamus illi in sanctitate et justitia coram ipso, omnibus diebus nostris.*

Isaias (7) ait: *Et erit in novissimis diebus... ibunt populi multi et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Jacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis ejus: quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Jerusalem.* Et iterum (8): *Haec dicit Dominus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum... et delebitur foedus vestrum cum morte, et pactum vestrum cum inferno non stabit.* Deinde (9): *Consolamini, populo meus, dicit Deus vester: loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam: quoniam completa est malitia ejus*

(1) Joan. XX, 21, 23; Matth. XXVIII, 19; Marc. XVI, 16.— (2) Joan. III, 17.— (3) Act. II, 36, 38.—(4) Eph. I, 3, 4.—(5) I Cor. I, 30; XV, 3.—(6) Luc. 73-75. —(7) II, 2, 3.—(8) XXVIII, 16, 18.—(9) XL, 1-3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dimissa est iniquitas illius... Vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri... etc. Videas quoque caput LIII et LXI, ac LXII.

Similiter praedixit Jeremias, ut in c. XXXI v. 31; et alibi passim. Ezechiel; c. XVI, v. 60; et c. XI, vv. 19, 20; et item c. XXXVI, vv. 23, 24... et c. XXXVII, vv. 21-28. Zacharias etiam, praesertim c. XII et XIII.

Daniel (1) denique ait, quod in Christi adventu eveniet, *ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna.*

22. Obj. 1.° Testatur Propheta (2) et confirmat Apostolus (3), quod omnino inutiles facti sunt homines ad Deum recte agnoscendum, et justitiam operandum: ergo ad rem impossibilem venisse Messiam non est credendum.

Resp. Dist. seu explico *Ant.* Viribus naturalibus perpensis ac proprio hominum demerito; conc. Per fidem et gratiam; nego.

Obj. 2.° Dixit Christus D. (4): *In viam Gentium ne abieritis: Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus* Israël. Ergo videtur Messias peccata gentium non deleturus.

Resp. cum Hieronymo haec exponente; «Non quo ad gen»tes non missus est; sed quo primum missus est ad Israël, ut »illis non recipientibus Evangelium, juste fieret ad Gentes trans»migratio.»

THESIS VII.

Messias futurus erat Propheta.

23. 1.° Christus D. de se dixit (5): *Non est propheta sine honore nisi in patria sua.* Discipuli autem ajebant (6): *De Jesu Nazareno, qui fuit vir Propheta...*

2.° Moyses, de Christo prophetans ait (7): *Prophetam de gente tua, et de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Quae quidem de Christo fuisse praedicta, affirmavit Petrus, ut rem Judaeis omnibus notam: (Act. Ap. III, 22). Hinc Judaei expectatum Messiam, Prophetam simpliciter appellabant (8): *Quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum:* αληζῶς ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον. Et Philippus dixit Nathanaëli (9): *Quem scripsit* Moyses *in* Lege, *et Pro-*

(1) IX, 24.–(2) Ps. XIII.–(3) Rom. III, 10-18.–(4) Matth. X, 5; XV, 24.–(5) Ibid. XIII, 57.–(6) Luc. XXIV, 19.–(7) Deuter. XVIII, 15.–(8) Jo. VI, 14.–(9) Ibid. I, 45.

phetae, invenimus Jesum Filium Joseph *a Nazareth:* scilicet, quem in Deuteronomio praedixit Prophetam.

24. 2.° Hieronymus (1): «Est quippe (Christus) sicut alia »multa, sic et Propheta. Ut est princeps sacerdotum, ut est Salvator, »ut est medicus, similiter et Propheta est. Moyses annuntians »de eo, non solum Prophetam, sed admirabilem inter cunctos no»minavit Prophetam, dicens: *Prophetam ex fratribus vestris susci»tabit vobis...*»

Quae quidem Moysis verba de Christo intelligenda ostendit Eusebius (2): «Num igitur ex iis, qui post Moysen extite»runt prophetae, Esaias, ex. gr., aut Hieremias, etc. aut »alius quispiam de ceteris, legum auctor Mosi conferendus extitit? »nequaquam. Sed ex illis tandem, quis unquam Mosi similia »effecit? Nusquam poteris dicere... Atqui Moses de uno dumta»xat, certe ac definite loquitur. Quemnam igitur alium Mosi si»milem futurum Prophetam canit oraculum illud, nisi Salvatorem »et Dominum nostrum Jesum Christum?» Deinde exponit plurimas Christi cum Moyse similitudines, et tandem ait: «Constat igi»tur divinum Spiritum per Moysem de Salvatore nostro ceci»nisse.» Pariter de solo Christo ibi sermonem esse, docent Procopius eum commentans locum; Chrysostomus (3), Justinus, Irenaeus, Tertullianus, Clemens Alex., Athanasius, et PP. communiter, quos laudat Lorinus in Commentariis in Deutoronomium. Unde jure dicit hic Commentator, ibi, quod nota temeritatis, et majore, digni sunt, qui de Christo praesentem Deuteronomii locum accipere detrectarent, sive sensu literali, sive allegorico, qui tunc vim ad probandum habet, quando communiter eodem modo recipitur.

25. Obj. 1.° De ratione prophetiae est, ut obscure res praedictas propheta dignoscat. Sed id Christo convenire non potest: ergo cum proprietate Christus propheta esse nequit. Ita Abulensis (4).

Resp. Nego *Maj.* cum D. Thoma (5), Suarez, Vazquez, Valentia, etc. E contra, ait D. Angelicus, tolli per prophetiam obscuritatis et ignorantiae velamen; nempe, propter aliquam, qua efficitur, claritatem. Suarez autem docet (6), cognitionem propheticam in Christo non distingui a cognitione supernaturali, scilicet, visione beatifica ac scientia infusa; de quibus inferius agendum. Sufficit autem ut Propheta annuntiet, ac supernaturaliter cognoscat, quae ab ipso, juxta statum suum, et ab

(1) In Jerem. hom. 1.–(2) *Demonstr. Ev.* l. 3, c. 2.–(3) Hom. *Quod Christus sit Deus.*–(4) In Num. XI, q. 64; in Deuter. c. XVIII, 15.–(5) P. 3. q. 7, a. 8.–(6) In 3.m p.m q. 7, a. 8, disp. 21,–(7) In 3, p. q. 7, a. 8, disp. 21.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

aliis longe distant. Quod quidem Christo conveniebat secundum statum viatoris.

26. Obj. 2.° Moyses, in laudato Deuteronomii testimonio, de illis loquitur Prophetis, quos populus ordinarie audire et consulere debebat. Sed talis non erat Christus, seu Messias venturus; ergo illud testimonium de Christo non est intelligendum. *Major* prob. Dicitur a Moyse in v. 14: *Gentes istae, quarum possidebis terram, augures et divinos audiunt: tu autem a Domino Deo tuo aliter institutus es. Prophetam de gente tua et fratribus tuis sicut me*... etc. Deinde norma datur, ad discernendum verum a falso propheta: *Hoc habebis signum: quod in nomine Domini propheta ille praedixerit, et non evenerit; hoc Dominus non est locutus, sed per tumorem animi sui propheta confixit.* Jam vero haec clare indicant, nomine Prophetae illius, indicari quoscumque prophetas a Deo ad populum missos.

Resp. 1.° Nego *maj.* cum pluribus interpretibus, ac Patribus supra laudatis. Ad probationem autem dico; ad augures et divinos non opposuisse Deum quoslibet a se mittendos prophetas; alias significasset Moyses, semper extituros veros Dei prophetas ad quos consulendos venirent judaei, non ad augures; sed opposuisse Messiam pro tempore quo venturus erat, et ipsum Moysen pro duratione Legis: debebant enim semper ac constanter doctrinae Moysis et Messiae adhaerere, divinos autem et augures vitare. Quae autem sequuntur ad discernendum falsum prophetam a vero, non indicant priorem sententiam quoslibet respicere prophetas; sed regulam tantum exhibent, qua possint judaei divinos et augures, seu falsos prophetas, quos fugere tenebantur, dignoscere. Quod vero semper, vel certis temporibus, mittendi ad illos forent alii prophetae Domini, non promittitur in hisce verbis.

Resp. 2.° Dist. *maj.* Loquitur Moyses *principaliter* et *explicite* de prophetis a Deo mittendis, quos audire populus debebat; nego: secundario et implicite; conc. Scilicet, prophetae illi, tempore Legis, Christum referebant, et per eos Spiritus Christi loquebatur, uti Petrus exponit et declarat (1); et, ut ait Paulus (2): *Omnes eumdem potum spiritalem bibebant: bibebant autem de spiritali consequente eos petra: petra autem erat Christus.* Inde conciliabis interpretum varias sententias, quin recidas in reprobatam superius Abulensis opinionem, qui vult Christum ab ea Moysis prophetia rejicere.

(1) I Petr. I, 11.—(2) I Cor. X, 4.

SCHOLION.

27. Messiam promissum, non tantum Prophetam, sed etiam Sacerdotem et Regem futurum fuisse, posset hic ostendi; verum quia deinde de Christi D. excellentia agendum erit, ejusmodi Messiae munera fusius declarabimus. Interim quoad Messiae Sacerdotium legi potest Epistola D. Pauli ad Hebraeos (1), nec non Psalmus 109: de potestate autem regia, refert Matthaeus Judaeorum testimonium (2), nec non ipsius Christi (3); eamque describunt plures Prophetae, praesertim Tobias (4), et Zacharias (5), et Malachias (6), et Isaias (7).

ARTICULUS III.

De aliis Messiae characteribus.

Munera Messiae in praecedenti capite vindicata, possunt etiam Notae, saltem negativae, ad illum cognoscendum appellari. Verum alios nobis suppeditant SS. Litterae Messianicos characteres, qui pressius Notae ipsius propriae dici possunt, quos breviter explicabimus.

THESIS VIII.

Messias ex Abraham, Isaac, Jacob, Juda et David nasciturus erat.

28. Haec thesis ad fidem spectat, et patet.

1.° Zacharias prophetavit dicens (8): «*Erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui; sicut locutus est per os sanctorum, qui a seculo sunt prophetarum ejus.* B. Petrus (9): *Propheta igitur cum esset* (David), *et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi ejus sedere super sedem ejus.* Sic et Angelus ad Mariam (10): *Dabit illi Dominus Deus sedem* David *Patris ejus, et regnabit in domo* Jacob *in aeternum.* S. Matthaeus describit Christi originem (11): *Liber generationis Jesu Christi, filii* David, *filii* Abraham, etc.

29. 2.° In Ps. 131, ad quem respicit supra Zacharias, dicitur: *Juravit Dominus* David *veritatem, et non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam... Quoniam elegit Domi-*

(1) IV, 14; VII, 24.—(2) II, 4-6.—(3) Jo. XVIII, 36; Matth. XXVII, 11.—(4) XIII.—(5) IX, 9—(6) III.—(7) LXII.—(8) Luc. I, 69, 70.—(9) Act. II, 30.—(10) Luc. I, 32.—(11) I, 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nus Sion, elegit eam in habitationem sui... Illuc producam cornu David, paravi lucernam Christo meo. Et in Ps. 88 (1): *Semel juravi in sancto meo, si* David *mentiar: semen ejus in aeternum manebit, et thronus ejus sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in aeternum, et testis in coelo fidelis.* Quae quidem solum de regno Messiae aeterno possunt intelligi.

Jeremias (2) de pace per Messiam afferenda prophetans ait: *Et erit in die illa, ait Dominus exercituum: conteram jugum ejus de collo tuo, et vincula ejus dirumpam, et non dominabuntur ei amplius alieni: sed servient Domino Deo suo, et* David *regi suo, quem suscitabo eis.* Similiter alibi (3): *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; et suscitabo* David *germen justum, et regnabit Rex et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra... etc.*

Ezechiel, praedicens Judaeorum ad Christum conversionem et congregationem (4) ait: *Haec dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam filios Israël de medio nationum, ad quas abierunt: et congregabo eos undique, et adducam eos in humum suam. Et faciam eos in gentem unam in terra, in montibus* Israël, *et rex unus erit omnibus imperans... Et servus meus* David *Rex super eos, et Pastor unus erit omnium eorum: in judiciis meis ambulabunt; et mandata mea custodient; et habitabunt super terram, quam dedi servo meo* Jacob; *et habitabunt super eam ipsi, et filii eorum, et filii filiorum eorum, usque in sempiternum: et* David *servus meus Princeps eorum in perpetuum.*

Alia ex libro Geneseos aperta testimonia videbis supra in Thesi. I.

30. 3.° Judaeos quoque agnovisse veram Messiae originem, elucet ex Evangeliis; interrogante enim Domino (5): *Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est? Dicunt ei:* David. Et rursus (6): *Nonne Scriptura dicit, quia ex semine* David, *et de Bethlehem castello, ubi erat* David, *venit Christus?*

Post Christi adventum et mortem Judaei eamdem retinebant fidem, ut ex Rabbinorum patet libris. Hinc Tripho Justino probanti, Deum ac adorandum esse Christum, objiciebat (7): «Quomo»do igitur Scriptura dicit Davidi, fore ut ex ejus lumbis filium »sibi Deus assumat, et regnum ei tradat, ac in sede gloriae collo»cet?» Scilicet, quo pacto Deus esse poterit, qui filius futurus est Davidis?

(1) VV. 36-38.—(2) XXX, 8, 9.—(3) XXIII, 5.—(4) XXXVII, 21, 22, 24, 25.—(5) Matth. XXII, 42.—(6) Joan. VII, 42.—(7) Dialog. cum Triphone, 68.

THESIS IX.

Messias multa magnaque signa facturus erat.

31. 1.° Joannes discipulos suos misit, qui Dominum interrogarent (1): *Tu es qui venturus est, an alium expectamus? Et respondens Jesus ait illis: euntes renuntiate* Joanni *quae audistis et vidistis. Caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.* Unde talibus signis suaderi, se esse Messiam venturum et expectatum, significavit Jesus. Pariter docuit (2) per miracula debuisse Christum manifestari: *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent; nunc autem...* etc. Item S. Petrus ait de Christo, fuisse *Virum approbatum a Deo virtutibus et prodigiis et signis, quae fecit Deus per illum* (3).

32. 2.° Haec quidem testimonia ostendunt, quasi a posteriori, talem debuisse esse Messiam: verum id quoque praedixerunt Prophetae.

Isaias (4) dixit: *Deus ipse veniet et salvabit vos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum... Et redempti a Domino convertentur.* Joël, qui in Actibus Ap. (5) laudatur, ait: *Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus; effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae... et dabo prodigia in coelo sursum, et signa in terra deorsum...* etc.

Hinc et Judaei talem expectabant Messiam, qui signa perficeret; legitur enim (6): *De turba autem multi crediderunt in eum et dicebant: Christus cum venerit, numquid plura signa faciet quam quae hic facit?* In suis autem Thalmudicis libris, licet multis Messiam deturpent fabulis, tamen magna ab illo exhibenda signa confitentur.

33. Obj. Messias ita erat venturus, ut cognosci non posset: sed signa magna faciens non potuisset abscondi: ergo. *Maj.* patet ex propheta (7): *Brachium Domini cui revelatum est? Vidimus eum, et non erat aspectus; despectum et novissimum virorum; quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum...*

Resp. nego *maj.* Ad probationem autem dicendum: verba prophetae respicere Christi humilitatem et passiones, non autem ejusdem opera et virtutes: hinc ipse propheta, ibid. (8) paulo ante, ait: *Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium:*

(1) Matth. XI, 3-5.—(2) Joan. XV, 24.—(3) Act. II, 22.—(4) XXXV, 4-6, 10.—(5) II, 17, 19.—(6) Joan. VII, 31.—(7) Is. LIII, 1-3.—(8) LII, 10.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri. Verum quia Judaei aliam sibi carnaliter finxerant Christi personam, eum non agnoverunt: qua de causa dicebat Dominus (1), post illa supra laudata verba: *Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me.*

THESIS X.

Messias sanctitate et justitia praefulgens extiturus.

34. 1.° Paulus de Christo ait (2): *Talis enim decebat ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus; qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre.* Angelus, Christum annuntians, illum *Sanctum* simpliciter apellavit (3): *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei?*

2.° Danieli (4) dixit Angelus, adducendam per Messiam justitiam sempiternam, eumque appellat *Sanctum Sanctorum.* Et Isaias ait (5): *Quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus:* et iterum (6): *Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus.* David Messiam annuntians ajebat (7): *Virga directionis,* seu (juxta Hieronymum), *virga recta est, virga regni tui: dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus.*

3.° Patet quoque ex thesi VI, supra (sub. n. 20) posita; etenim munus illud Messiae reconciliandi homines cum Deo, et delendi peccata, et edocendi viam sanctitatis, postulat ut sanctitate ipse ac justitia floreret.

Nota: Si quae fieri Thesi huic potest objectio, inferius, ubi de Christi D. Sanctitate, explicabitur.

THESIS XI.

Quoad tempus adventus Messiae, necessum erat tunc jam advenisse, cum tribus a Juda oriunda, et principes ab ejusdem femore nascituri, deficerent.

35. Hoc signum adventus Messiae aperte elucet in Jacob (8) celebri prophetia. *Juda, te laudabunt fratres tui...* Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus

(1) Matth. XI, 6. — (2) Hebr. VII, 26, 27. — (3) Luc. I, 35. — (4) IX 24.— (5) LIII, 9.—(6) LV, 4.—(7) Ps. XLIV, 7, 8.—(8) Genes. XLIX, 8, 10.

donec veniat qui mittendus est; et ipse erit expectatio gentium.

Nota: antequam sensum et intelligentiam explicemus prophetiae, inde enim Thesis probari debet, supponimus in ea sermonem de Messia haberi. Et sane id certum est: nam versiones omnes, et antiquissima paraphrasis Chaldaica, Messiam in voce *Schilo* intellexerunt. Ita, tum communis antiquorum Judaeorum, tum Christianorum omnium Patrum consensus. Praeterea, prorsus incredibile est, sanctum Patriarcham solas bonorum temporalium promissiones ad filios transtulisse, *Semen vero benedictum,* Messiam, non meminisse: *Congregamini,* ait filiis suis (1), *ut annuntiem vobis quae ventura sunt vobis in diebus novissimis.* Jam vero res praecipua ac nobilissima, quae ab illo expectabatur populo, erat *Semen illud benedictum* Abrahae, Isaac, ac Jacob promissum, quod quidem ab uno ex duodecim illis Jacobi filiis nasciturum erat. Insuper positivum ac perspicuum Messiae characterem notavit Jacob dicens: *et ipse erit expectatio gentium;* ut patet ex dictis supra, (sub. n. 11). Cum ergo certissimum sit a Juda per Davidem ortum ducturum Messiam non est ambigendum in hac benedictione Judae agi de Messia.

36. Prob. Thesis; singulas ejus partes cum prophetia conferendo. Dicimus primo; cum tribus. Nam Schebhet, σκῆπτρον, significare tribum, non autem auctoritatem summam, conclamant et textus, et ipse rerum eventus (2).

Et re quidem vera, praecipuum, et quasi scopus, in hac Judae benedictione, est Messias ex eo nasciturus. Valde quidem expediebat ad Messiae adventum ut populus Dei, saltem quoad tribum ex qua erat oriturus, permaneret; ut inde impletio prophetiarum clarius eluceret (3); et plebs Dei prius visitaretur (4); et reprobatio ac dissipatio judaici populi propter Messiae negationem consummaretur (5). Ad haec autem parum, vel nihil conferebat quod suprema potestas inhaereret Judae; multum vero quod tribus illa è Juda non auferretur.

Praeterea, in illis Jacob propheticis benedictionibus agebatur de constitutione et divisione duodecim tribuum, quarum decem longe ante Messiam dispergendae erant, una autem Judae tribus autonomiam, nomenque tribus retentura usque ad Messiae

(1) Genes. XLIX, 1. — (2) Sceptrum, etiam pro *regno*, latine ponitur, Virgil. in l. I, *Aeneid.* v. 257, ait: «Sic nos in sceptra reponis.» Seneca, in *Oedip.* v. 705, «Qui sceptra duro saevus imperio regit, timet timentes.» Calepinus, *sept. linguarum*, notat: «Sceptrum... Regni insigne.» Vide Genesim XXV, 16 in hebraico ac graeco, et confer cum latino textu.—(3) Luc. I, 68-70.—(4) Ibid. et Matth. XXI, 5; Act. II, 25, 26; XIII, 46.—(5) Daniel IX, 26: Luc. XIX, 42-44.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

adventum. Rem tanti momenti, et ad prophetiae subjectum maxime pertinentem, putabimusne, Jacobum latuisse vel dissimulasse (1), qui dixit, velle se novissima filiis suis annuntiare?

37. Tandem, eventus ipse cogit rem ita intelligere. Tribus enim è Juda non fuit, donec veniret Messias, dissipata; post cujus adventum dispersa etiam fuit sicut aliae Israëlis tribus: at auctoritas summa saepe saepius ante Christi adventum in aliis tribubus, vel vicinarum gentium regibus extitit.

Imo literalis ipse sensus aliam refugit interpretationem. Nam σκῆπτρον, *schebhet*, aliquid debet significare quod originem a Juda ducebat, *mi Juda;* atqui tribus, utique a Juda oriebatur, non autem auctoritas summa, quam, cum tribus, vel ejusdem princeps aliquis illa potitus est, non a Juda, sed a solo Deo accepit. Hunc sensum exhibet Athanasius (2): «Jacob quoque »usque ad ipsum (Christum) permansurum Judaeorum regnum, »his verbis pronuntiat: *Non deficiet princeps...*» Et Cyrillus Hierosolym. (3) ait: «Signum igitur dedit Christi adventus, cum »desinet principatus Judaeorum.» Augustinus argumentatur advenisse Dominum etiam ex cessatione regni Judaeorum (4): «Itaque ipso jam veniente Domino, eversum est regnum Judaeo»rum, et sublatum est a Judaeis. Modo non habent regnum, quia »nolunt cognoscere verum regem.» Confirmat, Chrysost. hom. 67, *in Gen.* Andreas Cret. *orat in Natalem Deiparae.*

38. Secundo, dicimus: Cum tribus a Juda, id est, filio illo Jacobi. Nam sacro textui repugnat, hanc promissionem referre, seu extendere ad Israëlem universum; vox enim Judas, tum temporis, cum Moyses scribebat, et Jacob locutus est, nomen unius erat filii, uniusque tribus. *Oh fili*, dixit Jacob indicans cui benedicebat; et Moysis ait (5): *Benedixit singulis* (fratribus et tribubus), *benedictionibus propriis.* Unde Eusebius, putans benedictionem hanc de universo Israële intelligendam, nullatenus audiendus.

39. Tertio, adjicimus cum tribus a Juda oriunda. Nam, quod aliqui putant, promitti permansuram in Juda «auctoritatem super omnem Iaraëlem usque ad Messiam,» et factis contradicit, et contextui. Nam Judas ipse, cui, ut diximus, benedicebat Jacob, nullam accepit super universum Israëlem auctoritatem, sed solum ut tribum efformaret, et ut principes ex eo nascerentur: ipsa autem Judae tribus nonnisi Salomonis et Davidis tempore primatum et auctoritatem super totum

(1) Gen. XLIX, 1.—(2) *De Incarn. Verbi* 41, 42. *Dei.*—(3) *De Incarn. Christo*, Catech. XII. — (4) Enarr. in Ps. LXXXV.—(5) Gen. XLIX, 28.

obtinuit Israëlem. Tempore Jacob erant Josepho subjecti, deinde Moysi, Josue... etc.

40. Quarto, dico, Cum tribus a Juda oriunda, et principes ex ejusdem femore nascituri. Etenim, *sceptrum de* Juda, non significat, ut aliqui contendunt, *inhaerentiam* sceptri in Juda, quasi formam in subjecto: sed designat talis sceptri originem, *de Juda, a Juda;* quemadmodum, cum dicitur, *dux de femore ejus:* eadem enim praepositione *mi,* in hebraico, utraque relatio significatur. Jam vero, *Dux de femore ejus*, non innuit, quod femur sit subjectum in quo permaneat et inhaereat Dux, sed principium a quo orituri erant duces.

Pari modo intelligendum, *sceptrum de Juda*, id est, a Juda oriturum ac processurum.

Quinto, tandem, diximus. Cum tribus et principes deficerent, necessum erat jam advenisse Messiam. Id enim aperte asserit prophetia: *Non auferetur sceptrum de Juda et dux.... donec veniat, qui...* etc.

SCHOLIA.

Ad celeberrimam hanc Jacobi prophetiam plenius intelligendam, et ad aliquas praeveniendas difficultates, propter quas diversi interpretes ad diversas abeunt interpretationes, aliqua adjicienda est explanatio. Sermo est in prophetia, I.° de Benedictione, II.° de Sceptro, III.° de Duce et IV.° de Messia. De singulis pauca.

§ I.

De Benedictione.

41. Benedictio a Deo Abrahae saepe indulta (1), nec non Isaac (2), eadem et Jacob fuit concessa et confirmata (3), ut notavit Ecclesiasticus (4): *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus et testamentum confirmavit super caput* Jacob; *agnovit eum in benedictionibus suis, et dedit illi haereditatem, et divisit illi partem in tribubus duodecim.* Ejusmodi benedictiones duplicem amplectabantur bonorum promissionem: nempe, bonorum temporalium largitionem; scilicet terra promissionis, multitudo populorum, et principum; nec non aliud superioris ordinis bonum, *Semen Benedictum*, per quod forent omnes gentes benedicendae.

(1) Gen. XII, 2; XVIII, 18; XXII, 17, 18. – (2) Ibid. XXVI, 4.— (3) Ibid. XXVIII, 4, 14.—(4) XLIV, 25, 26.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Jacob benedictionem, quam ipse susceperat, filiis suis impertitus est (1); non quidem totam singulis, sed cuique partem tribuit illius totalis benedictionis, quam, post Abraham et Isaac, assecutus fuerat. Id manifestum est, tum ex contextu; non enim singulis eadem et aequalia praedicit, vel tantum, quantum sibi fuerat promissum: tum ex prooemio benedictionis (2) filiorum Joseph: tum ex Ecclesiastico (3): *Divisit illi partem in tribubus duodecim:* tum Moysis testimonio (4): *Benedixitque singulis, benedictionibus propriis.* Unde non tota promissionis terra, sed pars tantum singulis filiis contigit; unum populum seu tribum, et principatum singuli, excepto Levi, efformandum susceperunt, non multos; hinc de Manasse dixit Jacob (5): *Et iste erit in populum* (ita in hebraico; non *populos*): neque singulis, sed uni Judae, promissum *Semen benedictum, expectatio gentium.*

§ II.

De Sceptro

42. *Vox sceptrum*, hebraice *Schebhet* (virga), in SS. Scripturis significat tum tribum, tum symbolice auctoritatem, qua regitur tribus. Sic dicitur (6), quod Joroboamo dederit Deus decem *schebhet*, σκῆπτρα, tribus; Roboamo vero unam. Septuaginta Interpretes passim adhibent vocem σκῆπτρον ad tribum significandam, et vocem *Schebhet* vertendam. Vide Habacuc (7), et Hieronymi interpretationem, qui vertit vocem *metil* (virgam), tribus. Vocem autem *schebhet*, sive cum regimine, sive absque regimine, saepe invenies pro tribu significanda. Consulas Josue, XIII, 33; I.^{m} Paralip. XXIX, 6; Exodi, XXVIII, 21, Deuter. I, 13.

§ III.

De Ducibus

43. Filii Jacob, cum filiis duobus Joseph ab illo adoptatis, benedictionem susceperunt, ut tribum seu populum singuli constituerent (8), et insuper, quod capita et duces (mechokek) forent illarum. Sic Dan explicite dictum est (9): *Judicabit populum suum sicut et alia tribus in Israël.* Hinc in Exodo (10) laudantur

(1) Gen. XLVIII, XLIX.—(2) Ibid. XLVIII, 4-6, 19.—(3) XLIV, 26.—(4) Gen. XLIX, 28. — (5) Ibid. XLVIII, 19.— (6) III Reg. XI, 31, 32. —(7) III, 14. — (8) Gen. XLIX, 26.—(9) Ibid. v. 16.—(10) VI, 14-25; XXXIV, 31, 32.

Principes domorum cujusque tribus, et Principes populi: et in libro Num. (1) dicitur: *Hi nobilissimi Principes multitudinis, per tribus et cognationes suas, et capita exercitus Israël.* Videas etiam lib. III Regum (2). Isti Principes judicabant populum, et jurisdictione utebantur, uti legitur in libro Judicum (3), et lib. I. Machabaeorum (4). In Evangeliis quoque sermo est de Principibus populi. Id nempe promiserat Deus Abrahae (5): *Erit in nationes et reges populorum orientur ex eo.* In l. Jud. V, 14, Principes populi eadem voce, *mechokek*, appellantur.

Neque putandum, defecisse Principes tribuum cum Judices et Reges constituti fuere super Israël: quod patet ex l. 1 Paralipom. (6), et ex l. III, Regum (7). Hinc singulae tribus, etiam Regum tempore, instituebant bella, et dilatabant terminos suos (8). Vide etiam quantum valerent Principes tempore Jeremiae, (I, 18, XXXVIII, 4, 5).

§ IV.

De Messia

44. *Messias*, quare hoc fuerit insignitus nomine, supra, ad Cap. I, praenotavimus. Pluribus quidem aliis laudatur nominibus: *Domini, Emmanuelis, Regis, Pastoris, Principis, Consiliarii, Fortis, Admirabilis, Agni*, etc. In hac Jacobi prophetia appellatur *Schiloh*, seu *Scheloh*, vox admodum difficilis interpretationis. Sive autem vocis etimologiam, sive interpretum varias perpendas interpretationes, ad Messiam verissime pertinere, quemadmodum supra ostendimus, nullatenus in dubium potest revocari.

45. Ea vox hebraice, et sine punctis scribitur, שלה (*schlh*); vel ut existimavit Hieronymus; שלח (*schlch*). Hujus autem vocis multiplex esse potest radix, et significatio, et inde diversis vocalibus, seu punctis, est adnotanda.

a) Hieronymus putavit a verbo *Schalach* (שלח), quod *mittere* significat, procedere.

b) Alii plurimi interpretes existimarunt, a nomine *Schiliah* (שליה,) *secundina*, ortum ducere; quo nomine, *metonymice*, filius significatur.

c) Antiquiores autem interpretes, uti, inter alios, Samaritani, Alexandrini (LXX dicti), Aquila et Symmachus, Theodotio, Onkelos, Talmudici, etc., nec non Patres

(1) I, 16; X, 14-16.—(2) VIII, 1.- (3) V. 9.— (4) XIV, 28.— (5) Gen. XVII, 16.—(6) XXVI, 26.—(7) VIII, 1.—(8) I Paral. IV, V.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

communiter, ut Augustinus (1), Cyprianus (2), Ignatius, Irenaeus, Tertull. Ambros. Leo papa, Hieronymus, etc., repetunt ex litera ש, quae in principio dictionis, est relativum *qui, quae, quod;* et pronomine dativo לִי, *ei;* in fine enim ה pro י poni solet. Juxta ejusmodi etymologiam, vox illa sic scribitur: שלה. *Schelloh, quod ei.*

d) Recentiores interpretes a radice שלה *Schalah, pacificum esse,* vocem deduxere.

Ex dictis elucebit, quare interpretes diversimode vocem hanc *Scheloh* intellexerunt, juxta diversam punctuationem, vel, quam putabant, vocis etymologiam; et quo pacto Messiae illorum interpretationes optime congruant.

46. α) Aliqui verterunt igitur vocem hanc, non *materialiter*, seu juxta sensum etymologicum vocis, sed moraliter, seu ad mentem Prophetae; et expresse scripserunt: «Donec veniat Messias» Ita Paraphrasis Chaldaica, magnae apud Judaeos auctoritatis, et longe ante Christum conscripta. Simili modo verterunt Jonathas, Pagninus, Onkelos, Targ. Hierosolym: «et sic, ait Drack (3), »interpretantur omnes veteres Hebraei; quorum unum adscribemus »testimonium hic: In Talmude, quaeritur: *Quodnam est nomen* »Messiae? et respondetur: *Schiloh est nomen ejus.*»

47. β) Alii cum Septuaginta dixerunt: *donec veniant quae reposita sunt ei;* seu, *reposita illi.* Jam vero, id Messiae convenire apertum est: significatur enim bonum super omnia excellens et pretiosum Patriarchis a Deo promissum ac praeparatum: tale ac tantum ejusmodi futurum erat, ut exinde Judas super omnes fratres emineret, et ab omnibus adoraretur, illudque omnes expectarent Gentes. Quod quidem Messiae congruere nemo non videt. Alii eumdem fere sensum paulo aliter verterunt, dicentes: ᾧ ἀπόκειται, *cui repositum est.* Ita legitur in codice Oxfordiensi 70; sic legebat Hieronymus (4); sic vertisse LXX contendit Justinus (5); similiter verterunt, seculo II, Aquila et Symmacus; quod autem Aquila tenacissime inhaeret litterae, omnes fatentur cum Hieronymo. Jam vero quam apte Messiae haec significatio respondeat, clare patet: etenim, non solum tribus illa et regnum Judae, sed totus populus Israëlis ac lex judaica ad Christum respiciebant, imo et cetera omnia: *Finis Legis Christus* (6); *Quem constituit Deus haeredem universorum* (7).

48. Denique hanc significationem pressius ac litteraliter alii red-

(1) *De civit. Dei,* c. 16, c. 14. — (2) *Adver. Judaeos.* l. 1, c. 21. — (3) Lexic. Hebrai. — (4) In Ezech. l. V, c. 17. — (5) *Dial. cum Triph.* — (6) Rom. X, 4. —(7) Hebr. I, 2.

diderunt: in versione Syriaca, prout allegatur ab Ephremo; et in Arabica, prout eam legebat in Egypti et Babilonis codicibus Saadias Haggaom, vertitur *Scheloh, Ille cujus est.*

Patet omnes ejusmodi sensus respondere supra dictae tertiae, c) etymologiae, *Quod ei;* in ultimo autem mire notatur ineffabilis Messiae excellentia; qui, quatenus Deus, finis est omnium et ipsius Christi, seu Sui: quatenus homo et theandricum compositum, est Medium eminenter omnia in se complectens media, juxta Paulum (1): *Et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.* Nullo ergo potest aptiori insigniri nomine, quam illo: *Scheloh, Quod ei,* seu, *Ille Cujus est.*

Unde quemadmodum *Qui est,* nomen est Dei proprium (2), ita *Quod ei,* seu, *Ille cujus est,* nomen est Christi: illud plenitudinem, significat Essendi; istud Finis excellentiam, et Medii plenitudinem Qua de causa, haec simplex et literalis interpretatio ceteris praeferenda videtur, quia quod aliae solum partialiter, ista simpliciter et plene significat.

49. γ) Recentes quidam interpretes contenderunt, juxta quartam supra dictam, d) etymologiam vocis, significare *pacificus* seu *pacificans.* Quod sane nihil Messiae repugnat, cum venerit pacem inter Deum et homines instaurare, et in unum ovile omnes filios Dei reducere: unde et *Princeps Pacis* (3) vocatur; et Michaeas ait (4), *Et erit Iste Pax.*

δ) Hieronymus, in Vulgata Versione, significari voce illa putavit; juxta primam a) etymologiam, *Qui mittendus est.* Vere quidem poterat Messias sic appellari; nam et ipse se *Missum* a Patre dicit; et Moyses videtur illum etiam innuisse dicens (5): *Mitte quem missurus es:* Petrus autem (6) dicebat Judaeis: *Vobis primum Deus misit Eum benedicentem vobis;* Paulus autem (7): *Notum ergo sit vobis; quoniam gentibus Missum est hoc Salutare Dei.* Verum supponit haec interpretatio, quod in textu legatur *Schalach.*

50. Tandem alii, quia Messias toties per Prophetas a Davide et Juda nasciturus praedicatur, putarunt, juxta secundam b) vocis etymologiam, quod *Schiloh, Filius ejus,* significaret; quod, sane, antonomastice dictum, aptissime de Messia intelligitur: sic enim Deus promiserat (8). *Benedicentur in semine tuo* (seu Filio tuo) *omnes gentes terrae.*

Dices: Nomen *Schiloh* de quadam etiam dicebatur civitate, in qua fuit plures annos reposita Arca Domini: ergo prophetia haec Ja-

(1) Colos. I, 17.—(2) Exod. III, 14.—(3) Isai. IX, 6.— (4) V, 5.— (5) Exod. IV, 13.—(6) Act. III, 26.—(7) Ibid. XXVIII, 28.—(8) Gen. XXII, 18.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cobi ad illam potuit respicere civitatem, non vero ad Messiam.

Resp. conc. *ant.* et nego *conseq.*m Nihil enim pertinebat ad benedictionem Judae locus ille *Schiloh;* inveniebatur enim, ut notat Pererius, in sorte, seu tribu Ephraim: neque permanentia tribus Judae ullam exhibet cum civitate illa connexionem: neque tale oppidum gentes expectarunt, vel ullam obedientiam ei exhibuerunt. Unde plane stulta dicenda ejusmodi interpretatio.

THESIS XII.

Messias venturus erat intra 70 hebdomades Danieli ab Angelo designatas, quae definitis characteribus ab eodem describuntur.

51. **Nota** I.° Prophetia Danielis sic describitur (1): *Daniel, nunc egressus sum ut docerem te et intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi quia vir desideriorum es. Tu ergo animadverte sermonem, et intellige visionem.*

Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio, et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum.

Scito ergo, et animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum Ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexagintae duae erunt. Et rursum aedificabitur platea, et muri in angustia temporum: et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus; et non erit ejus populus qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; et in dimidio hebdomadis deficet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis; et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.

52. **Nota** II.ª Ut certum supponimus, agi in hac prophetia de Messiae adventu. Et quidem patet.

1.° Communi PP. nec non interpretum christianorum consensu. Hanc etiam fuisse fidem et traditionem Judaeorum ex libris patet Talmudicis; in iis enim ut certum docetur, sermonem esse in hac Danielis revelatione de Messia.

2.° De adventu illius agitur, quo, ait Angelus, *implebitur Visio et*

(1) IX, 22-27.

Prophetia. Atqui quod praecipuum viderunt ac praedixerunt Prophetae, fuit Messiae adventus; ut patet ex Thesi I n. 2. Unde et Petrus ajebat: *Omnes prophetae a* Samuel, *et deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt dies istos* (1).

3.° Tunc, dicit, delendum peccatum, adducendam justitiam sempiternam. Sed hoc a Messia erat praestandum, (vide supra, Thesi VI, n. 20): ergo.

4.° Angelus ait venturum *Sanctum Sanctorum Christum* seu, *Messiam Ducem:* sed haec, absolute ac simpliciter dicta, nequeunt nisi de promisso Messia intelligi, ab omnibus Prophetis praedicto, a Judaeis omnibus expectato; ergo.

53. I.ª Theseos pars elucet explicitis prophetiae verbis: *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum... ut finem accipiat peccatum... et ungatur Sanctus Sanctorum... Usque ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt.*

II.ª Pars ostenditur. 1.us Character clare a Propheta describitur: *Exibit sermo* (seu decretum et facultas) *ut aedificetur Jerusalem, et aedificabitur platea, et muri in angustia* (v. 25).

2.s Character. Deinde transactis sexaginta duabus hebdomadis occidetur Christus, et reprobabitur populus (v. 26).

3.s Character. Subsequentur defectio hostiae ac sacrificii, dissipatio Sanctuarii, et civitatis a duce et populo advena; et post bellum perseverabit desolatio usque ad finem et consummationem: (vv. 26, 27).

SCHOLIA.

Ad insignem hanc prophetiam facilius intelligendam, et ad aliquas minus probatas excludendas interpretationes, pauca subjicere necessum est.

54. I. Septuaginta hebdomades illae, vel dierum, vel annorum intelligendae erant: non enim Judaeis aliud hebdomadum genus notum ac usitatum. Jam vero aperte constat, characteres illos supra notatos locum non habuisse intra dierum septuaginta hebdomades; fuerunt ergo annis computandae.

De hebdomadibus dierum passim sermo est in Sacris Literis: ex. gr. Daniel ipse ait (2): *In diebus illis, ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus.* De annorum autem hebdomadis legitur in Levitico (3): *Numerabis quoque tibi septem hebdomadas*

(1) Act. III, 24.—(2) X, 2.—(3) XXV, 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

annorum, id est, septies septem, quae simul faciunt annos quadraginta novem.

55. II. Ab edicto Cyri aedificari coepit Jerusalem, ideoque inde sunt LXX hebdomadae computandae.

Nota: cum in Danielis prophetia de edicto edificandae Jerulem sermo fiat, et quatuor distincta decreta in SS. Literis exhibeantur, nempe: primum Cyri, secundum Darii Hystaspis, et tertium Artaxerxis Longimani anno regni septimo, et quartum ejusdem in anno vigesimo; inde hac de re quatuor surrexerunt sententiae.

Jam vero pro Cyri decreto stare opus est.

1.° Apud Isaiam (1) legitur: *Ipse aedificabit civitatem meam, et captivitatem meam dimittet, non in pretio, neque in muneribus.* Et rursus (2): *Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jerusalem: aedificaberis; et templo: fundaberis.* Jeremias scripsit ad captivos, quos traduxerat Nabuchonosor de Jerusalem in Babylonem, et dixit illis (3): *Cum coeperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, et suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum.* Jam vero, septuaginta anni captivitatis tempore Cyri impleti sunt, quem prophetiam illam explevisse, aperte legimus in Paralipomenon (4), nec non in Esdra (5): *Anno primo Cyri, Regis Persarum, ut compleretur verbum Domini ex ore* Jeremiae, *suscitavit Dominus spiritum Cyri regis Persarum: et traduxit vocem in omni regno suo, etiam per scripturam, dicens: Haec dicit Cyrus, rex Persarum: Omnia regna terrae dedit mihi Dominus Deus coeli, et ipse praecepit mihi ut aedificarem ei domum in Jerusalem, quae est in Judaea. Quis est in vobis de universo populo ejus? Sit Deus illius cum ipso. Ascendat in Jerusalem, quae est in Judaea, et aedificet domum Domini Dei Israël, ipse est Deus qui est in Jerusalem.*

56. 2.° Sub Artaxerxe, scilicet, filio Cyri, (non alio, Longimano dicto), aedificabant Judaei civitatem (6): atqui tunc nullum aliud exiverat edictum praeter illud Cyri; ergo. Sane, Judaeorum hostes eos accusarunt, quod civitatem contra Regis voluntatem construerent; at Judaei calumniam repulerunt, dicentes; nihil contra Cyri edictum efficere. Imo explicite Esdras asserit (7): *Aedificaverunt et construxerunt, jubente Cyro, et Dario et Artaxerxe, regibus Persarum.* Et alibi ipse Esdras orans ait (8): *Non dereliquit nos Deus noster, sed inclinavit super nos misericordiam coram rege (re-*

(1) XLV, 13.—(2) XLIV, 28.—(3) XXIX, 10.—(4) II, c. XXXVI, 22, 23.—(5) I, c. I, 1-3.—(6) Ibid. IV, 12.—(7) Ibid. VI, 14.—(8) Ibid. IX, 9.

ges. in hebraico textu) *Persarum, ut daret nobis vitam, et sublimaret domum Dei nostri, et extrueret solitudines ejus, et daret nobis sepem in Juda et Jerusalem.* Quae quidem dicebat Esdras sub Artaxerxe, anno septimo regni ipsius: jam vero in edicto anni illius nec verbum habet hic rex de aedificatione templi vel civitatis; ergo priores reges dederant facultatem aedificandi Jerusalem, ideoque et Cyrus: et sane Darius permisit solum ut compleretur Cyri decretum.

Nec objicias quod nonnulli, libitu suo, obtrudunt; non aedificari civitatem aliquam, donec struantur muri ipsius; hoc autem solus concessit Artaxerxes in secundo suo decreto. Negamus enim prorsus, requiri muros ad civitatem aedificandam; muri enim non ad formam civitatis, sed ad defensionem nonnunquam struendi sunt. Unde et Zacharias, prosperitatem et magnitudinem describens Jerusalem, ait (1): *Absque muro habitabitur Jerusalem, prae multitudine hominum et jumentorum in medio ejus.*

57. 3.° Anno vigesimo Artaxerxis Longimani, (inde volunt aliqui computandas Danielis hebdomades), non coeperunt Judaei aedificare civitatem; sed interrupta perficere (2): *Cum audissent, quod coepissent interrupta concludi, irati sunt nimis.*

4.° Daniel, sane, ex iis, quae ab Angelo audivit, intellexit praedictionem, initium, nempe, et finem hebdomadum: *Scito, ergo et animadverte*, ait illi Angelus; *Tu, ergo, animadverte sermonem, et intellige visionem.* Atqui Daniel Cyrum quidem agnovit, et edictum illius vidit, de aliis autem regibus et eorum edictis nihil sciebat; ergo fateri opus est, locutum fuisse Angelum de Cyro, et edicto ipsius.

5.° Denique, stat aperte pro nostra sententia Hieronymus (3) dicens: «Sub Cyro enim jussum est, ut aedificetur Jerusalem.»

58. Obj. 1.° Anno Darii secundo, filii Hystaspis, completi fuere anni captivitatis: ergo ex eo tempore computanda Judaeorum liberatio et civitatis aedificatio. *Antec.* ex Zacharia probatur (4): *Anno secundo Darii... Angelus Domini dixit: Domine exercituum, usquequo tu non miseriberis Jerusalem et urbium Juda? Iste jam septuagesimus annus est.*

Resp. Nego *ant.* Nam tunc, utique, completi sunt septuaginta anni desolationis templi; scilicet, a vigesimo septimo anno Nabuchodonosoris, cum urbs, templumque combusta fuere: septuaginta autem anni captivitatis, a Jeremia praenuntiati, completi sunt anno Cyri primo, ut supra ostensum est.

(1) II, 4.—(2) II, Esdr. IV, 7; VII.—(3) In Isai. l. 12, c. XLIV, v. 28.—(4) I, 1, 12.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Obj. 2.° In edicto Cyri nec verbum habetur de aedificanda Jerusalem: ergo nequeunt ex eo tempore hebdomadae computari.

Resp. *Indirecte et implicite*, clare tamen, non habetur in edicto Cyri, facultas Jerusalem aedificandi; nego. Directe et explicite; permitto. Scriptura non refert ad litteram integrum decretum; sed quoad sensum, et in compendio: dicit, in edicto facultatem fieri, ut *omnes* redeant in Jerusalem, ibique aedificent templum Domini. Quid autem necessum erat dicere, aedificate domos, struite civitatem ad habitandum? Imo prophetae populum arguebant, quod longe majorem in aedificandis sibi domibus haberent sollicitudinem, quam in domo Dei construenda.

Insuper, ait Esdras, per Cyrum impletam fuisse Jeremiae prophetiam; quae explicite de aedificatione Jerusalem agit: vide, supra, primam thesis rationem (n. 55).

59. Obj. 3.° In hebraico legitur, *Sanctitas Sanctitatum*, non vero *Sanctus Sanctorum*. Non ergo de Messiae adventu, sed de constructione Templi videtur locutus Angelus.

Resp. transeat *Ant.* et nego *conseq.*m Nam post septuaginta hebdomades annorum destructum, quidem, non autem unctum fuit templum. Quod si velis septuaginta dierum intelligere hebdomades, nulla tunc facta est templi consecratio, sed longe post, sub Esdram.

Dixi *transeat;* nam lectio ejusmodi a punctis repetitur, a Judaeis textui adjectis: LXX Interpretes et Vulgata ante punctuationem illam, legerunt; *Sanctus Sanctorum*. Nihil tamen obstat, quominus appelletur etiam Christus, *Sanctitas Sanctitatum*.

Obj. 4.° Ex historia et Chronologia discimus, a Cyro ad Christi adventum, longe plures percurrisse annos, quam Septuaginta hebdomadum: a Cyro ergo computari nequeunt.

Resp. Ex historia et Chronologia certa; nego; dubia et antilogiis scatenti; conc.

Historiae scriptores et Chronologi, tum in regibus qui post Cyrum extiterunt, tum in annis, quibus regnarunt, computandis, adeo inter se adversantur, et invicem mendacio accusant, ut stultum plane foret, velle sacras scripturas et dicta prophetarum ex eorum assertis definire.

60. Herodotus antiquior est scriptor, qui de Regno Persarum scripsit. Post illum, at eodem seculo, Ctesias: hic, ait Photius (in *Excerptis Ctesiae Historiis*), Herodotum in multis mendacem, et scriptorem fabulatum appellat; et «fere in omnibus repugnantia »Herodoto narrat.» Et quidem, Ctesias inter Persas morabatur, fuitque medicus Artaxerxi charissimus; quare potuit res eorum facile dignoscere. Herodotus autem è longe, et ex auditis aliorum relationibus, scripsit. Unde Diodorus et Trogus Pompejus sequuntur Ctesiam, potiusquam Herodotum. Tamen, neque fidem Ctesiae praebent alii antiqui historiatores, aitque Strabo; Homero potius, aliisque fabulosis poëtis fidem adhibendam, quam Herodoto, Ctesiae, aliisque similibus.

Vixit Ctesias temporibus Cyri (junioris), et ejusdem fratris, Artaxerxis: quorum pater dictus est. Ochus seu Darius seu Artaxerxes; mutavit enim nomina.

Thucydides minoris est auctoritatis; non enim de rebus scripsit Persarum, sed, longe post, de Graecorum bello Peloponneso.

Cesar Cantú, in sua *chronologia*, § 14, ait: «Non est hic necessum memoria repetere, chronologiae praecisionem recenter »fuisse invectam, et apud antiquos appropinquationem aliquam »quaeri tantum posse. Praeclari meriti scriptores ordinandis vaca»runt temporibus; verum unusquisque proprium invexit systema, »aliorum supputationibus adversum, demonstratum tamen aequalis »ponderis argumentis.» Inferius (§ 21,) ait: «Adjiciamus, insuper, »*Fasta consularia* sibi consentientia existere, ab anno 479 funda»tae Romae (275 ante Christum); verum ante istam aetatem, a se»metipsis discordare, nec non a scriptoribus.»

Videant ergo quam selegerint normam, ii, qui, Prophetarum et ceterarum scripturarum divinarum neglectis documentis, profanos amant audire historiatores, ad Danielis computandas Hebdomadas.

III. Hebdomadarum Danielis chronologica distributio.

61. Subjicimus chronologiam hebdomadis Danielis congruentem, juxta sententiam quam probavimus: eam excribimus ex Theologia PP. Soc. Jesu, qui Wirceburgenses dicuntur.

	Anno.
Ab anno I Cyri, quo Judaei ex captivitate Babylonem reversi, usque ad annum vigesimum Artaxerxis II, sive Longimani.	49
Inde ad initium regni Alexandri M. in Graecia. . .	68
Hinc ad mortem Darii Codomanni, regis illius opulenti, (Dan. XI) ab Alexandro devicti. . . .	6
A morte Darii ad mortem Alexandri M. . . .	6

Quia 1.° Machab. I, 8, dicitur: *et regnavit* Alexander *annis duodecim, et mortuus est;* hoc est annis sex in Macedonia, juxta illud (1.° Mach. I, 1); «*Qui primus regnavit in Graecia, egressus de terra Cethim;*» id est, Macedo-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

	Anno.
nia, teste Epiphanio (*haeres.* 30), et *percussit* Darium; deinde sex annis in Asia.	
A morte Alexandri M. ad initium aerae Graecae, sive Seleucidarum.	12
Exinde ad mortem Simonis Machabaei in Doch occisi (1.° Mach. XVI, 16).	178
A morte Simonis ad Christum natum.	134
A nativitate Christi ad ejus mortem, quae contigit anno aetatis ejus 34 inchoato, proinde, anni, sed non completi. .	34
Summa.	487

Quod est dimidium hebdomadae ultimae.

Proinde mors Christi, in hac sententia, incidit in annum Olympiadicum 808, hoc est, annum quartum Olympiadis 202. Nativitas vero, in 776, hoc est, annum quartum Olympiadis 194, ut vult sententia communis.

THESIS XIII.

Christus D. in Bethlehem erat nasciturus; et templum Zorobabelicum ab Illo erat, prae templo Salomonico, glorificandum.

62. I.ª Pars est fide certa et prob.

1.° De facto, et veluti a posteriori, patet ex Ev. Matthaeo (1): *Cum ergo natus essel Jesus in Bethlehem Juda...*

2.° Praedictum etiam id fuisse a Sp. Sancto certum est; ait enim propheta (2): *Et tu Bethlehem, Ephrata, parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis.* Planum non posse haec intelligi nisi de Duce illo, et Messia a Judaeis expectato, cui soli tanta excellentia poterat convenire. Sed ex consequentibus sacri textus amplius elucescit: ait enim, quod primum Dominator ille Judaeos dimittet ad tempus: deinde autem convertentur: quod stabit ac reget illos in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui, etc.

3.° SS. Patres, communi sensu, de Messia locutum Prophetam intellexerunt: Hieronymus (3): «Ex hoc parvulo viculo »egredietur Christus, qui est Dominator in Israël... carnis assump»tio divinam non impedit majestatem, de me enim natus est ante »omnia secula, et temporum conditor in tempore non tenetur.»

(1) II, 1.—(2) Michae., V, 2.—(3) In Michae., c. V.

Judaei quoque sic intelligebant: cum enim interrogasset Herodes omnes principes sacerdotum et scribas populi, ubi Christus nasceretur, dixerunt ei (1): *In Bethlehem Judae: sic enim scriptum est per prophetam; et tu, Bethlehem, terra Juda...* etc.

63. II. Pars prob. 1.° Ut Deus Zorobabelem et summum Sacerdotem et universum populum adhortaretur ad perficiendum templum, eosque erigeret et consolaretur; (lugebant enim, humilem illam domum cum templi Salomonici magnificentia conferentes) misit prophetam, et dixit eis (2): *Quis in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Numquid non ita est, quasi non sit in oculis vestris? Et nunc confortare Zorobabel... Confortare omnis populus terrae;... Quia haec dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum, et ego commovebo coelum et terram, et mare et aridam; et movebo omnes gentes.* Et Veniet desideratus cunctis gentibus; *et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, et meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum; et in loco isto dabo pacem.*

Ex his patet, templum illud humile (*quasi non esset* respectu prioris) gloria implendum et supra Salomonicum exaltandum, propter adventum *Desiderati cunctis gentibus* et propter pacem in illo exhibendam. Sed qui benedicturus erat Gentes, et allaturus pacem ac reconciliationem erat Messias; ut ex supra dictis patet, (Thes. III et VI): ergo.

64. Confirm. 1.° SS. Patres communi sensu de Messia fuisse haec dicta intellexerunt. Hieronymus ait (3): «Veniet deside»ratus cunctis Gentibus, *Dominus noster atque Salvator.*»

Confir. 2.°, ex Hebraeorum traditione. Etenim sermonem hic esse de Messia, docetur in Paraphrasi Chaldaica, in Thalmudistarum libris, et a praecipuis eorum Rabbinis.

2.° Malachias ait (4): *Ecce ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.*

Haec prophetia, ex definitis supra Messiae characteribus, aperte de eo loqui intelligitur: ille Dominator simpliciter et absolute a Judaeis expectatus, non est alius nisi Messias; similiter Angelus, seu Mediator, Novi et a Deo promissi Testamenti, Messiam ipsum refert. In consequentibus Propheta dicit, justitiam et

(1) Matth. II, 5, 6.—(2) Aggaei II, 4, 5, 7-10.—(3) In Aggae.—(4) III, 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

sanctificationem ab eodem afferendam; quod Messiae convenire, etiam ex dictis patet.

Unde ait Hieronymus (1): «Nullisque dubium est, quin Do»minator iste Salvator sit, qui Creator est omnium, et Angelus tes»tamenti, et magni consilii Angelus appellatur.»

Judaeos autem de Messia etiam hanc intelligere prophetiam, testatur (ibid.) Hieronymus: «Judaei hoc quod dicitur: *ecce »ego mitto Angelum meum*, de Elia propheta intelligunt; et quod se»quitur: *Statim veniet ad Templum suum Dominator*... etc. referunt »ad ηλειμμένον, hoc est, Christum suum, quem dicunt ultimo tempo»re esse venturum.»

Verum in hoc errant Judaei, quod velint Messiae istam praedictionem ad ultima referre tempora: hoc enim obvio sensui adversatur. Rem enim prope eventuram significat Propheta: *Ecce ego mitto Angelum meum... Et statim veniet ad templum...* Deinde loquitur de templo Domini, quasi Judaeis noto; ad illud ergo praesens templum referre dicta verba debebant; praesertim cum paulo ante dixisset Aggaeus; quod foret templum illud summe glorificandum, cum veniret *Desideratus cunctis gentibus*.

THESIS XIV.

Promissus Messias passurus erat, et dein resurrecturus.

65. Fide constat haec thesis. I.ª Pars prob.

1.° In symbolo fidei habetur: «Passus sub Pontio Pilato, »crucifixus, mortuus et sepultus.»

2.° Christus D. dixit (2): *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? Et incipiens a Moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis quae de ipso erant.* Et rursus: *Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati.*

Petrus (3); testabatur Judaeis: *Deus, quae praenuntiavit per os omnium prophetarum, pati Christum suum, sic implevit.*

3.° Aperte locutus est Daniel (supra Thes. XII): *Occidetur Christus.* Isaias autem (4): *oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum: sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum...* etc. Insuper videas caput L ipsius prophetae, nec non Ps. XXI. et LXVIII. in

(1) In Malach. c. III.—(2) Luc. XXIV, 26, 27, 46.—(3) Act. III, 18.—(4) LIII, 7, 8.

quibus historia, potius quam praedictio, passionis Christi describitur.

66. II.ª Pars prob. 1.° In Symbolo item Apost. dicitur: «Ter»tia die resurrexit a mortuis.»

2.° Ibidem, apud Lucam: *Aperuit illis* (Jesus) *sensum, ut intelligerent Scripturas, et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die.* Petrus (1) verba Davidis (in Ps. XV) commentans, nempe: *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem;* ait: *Propheta igitur cum esset et sciret quia jurejurando jurasset illi Deus, de fructu lumbi sui sedere super sedem ejus: providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.* Paulus quoque (2): *Auxilio Dei adjutus, usque in hodiernum diem sto, testificans minori atqui majori, nihil extra dicens, quam ea quae prophetae locuti sunt futura esse et Moyses; si passibilis Christus, si primus ex resurrectione mortuorum.*

Isaias (3) fore a mortuis resuscitandum Messiam, clare significavit: *Audite, et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus.* Quam promissionem respicere Christi resurrectionem, testatur Paulus (4): *Quod autem suscitavit eum a mortuis, amplius jam non reversurum in corruptionem, ita dixit: «Quia dabo vobis sancta David fidelia.* Etenim Messiam nomine David passim a prophetis vocari, quia futurus erat ipsius filius, supra diximus. Unde *Misericordias David fideles, seu, Sancta David fidelia*, id est Sanctum Filium David, futurum, *ex Pacto Dei sempiterno*, non tantum Judaeis, sed omnibus populis et Gentibus, *testem, ducem*, ac *praeceptorem* in aeternum, promittit Deus per Isaiam. Atqui ad hoc requiritur, ut Deus illum a mortuis suscitaret, ut supra, ex prophetia David argumentabatur Petrus: quomodo enim sedem haberet in aeternum Davidis super omnes populos, si in sepulcro et corruptione mansisset?

Perspicue etiam Messiae resurrectionem Isaias declarat (5), dum fructum et praemium passionis ac mortis illius praedicit. Ait enim: *Oblatus est quia ipse voluit... De angustia et de judicio sublatus est. Generationem ejus quis enarrabit? Quia abscissus est de terra viventium. Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur.* In hebraico: videbit semen, prolongabit dies, et vo-

(1) Act. II, 27, 30, 31.— (2) Ibid. XXVI, 22, 23.— (3) LV, 3, 4.— (4) Act. XIII, 34.—(5) Is. LIII, 7, 8, 10-12.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

luntas Domini per manus ejus prosperabitur.) *Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit et saturabitur... Ideo dispertiam ei plurimos et fortium dividet spolia* (in hebr. et cum fortibus partietur spolium), *pro eo quod tradidit in mortem animam suam.* Jam vero, ejusmodi promissiones, in praemium passionis et mortis Christo factae, optime cum ejusdem resurrectione cohaerent; si autem mortuus sub mortis dominio in sepulcro jacuisset, omnia ista lato quodam et improprio sensu fuere dicta. Quo pacto enim videt semen, prolongat dies, cooperatur voluntati Dei, dividit, ut triumphator, cum fortibus spolia...? Ideo jure Chrysostomus (1) haec de Christi intelligit resurrectione.

67. Confirm. Angelus dixit Mariae (2) *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum.* Pariter Jeremias (3): *Non dominabuntur ei amplius alieni; sed servient Domino Deo suo, et David regi suo, quem suscitabo eis.* Et infra: *Germinare faciam* David *germen justitiae, et faciet judicium et justitiam in terra. Non interibit de* David *vir, qui sedeat super thronum Israël.* Pariter Daniel (4) *de* Messia ait: *Dedit ei potestatem et honorem et regnum: et omnes populi, tribus et linguae ipsi servient: potestas ejus, potestas aeterna, quae non auferetur; et regnum ejus, quod non corrumpetur.* Sed nisi Messias resurgeret, non posset ei tale regnum tribui: ergo Messias resurrecturus erat.

ARTICULUS IV.

De Messiae Adventu.

Vidimus promissum fuisse Messiam, nec non, certis notis ac characteribus, Judaeis per Prophetas descriptum: nunc igitur, adversus incredulitatem Judaeorum, jam pridem advenisse facile ostendi poterit.

THESIS XV.

Messiam jampridem advenisse non est dubitandum.

68. Thesis, ut patet, est fide catholica omnino certa.

Prob. 1.° Mulier illa Samaritana ajebat (5): *Scio quia* Messias *venit (qui dicitur Christus): cum ergo venerit ille, nobis an-*

(1) In Ep. I, ad Corinth. hom. 38, n. 3.—(2) Luc. I, 32.—(3) XXX, 8, 9; XXXIII 15, 17.—(4) VII, 14.—(5) Jo. IV, 25, 26.

nuntiabit omnia. Dicit ei Jesus: Ego sum, qui loquor tecum. Id quoque testatus est Zacharias (1): *Benedictus Dominus Deus Israël; quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suae; et erexit cornu salutis nobis, in domo David pueri sui; sicut locutus est per os prophetarum ejus.*

2.° Juxta Jacobi vaticinium (supra, Thes. XI), non poterat deficere sceptrum è Juda, et dux è femore ejus, donec adveniret Messias. Sed nisi jam venerit Messias, nullum a multis seculis existit sceptrum è Juda, nullus dux è femore ejus: ergo certissime venit Messias.

3.° Septuaginta hebdomadae a Daniele praedictae jam pridem transierunt. Sed intra illas dixit Angelus venturum esse Messiam (supra, Thesis, XII); ergo jam pridem venit.

Maj. patet. Primo: hebdomades illae initium habuerunt ab edicto Cyri, (ibid. Schol. II. n. 55); ergo jam pridem transactae. Secundo: illae hebdomadae decurrere debebant inter sermonem de aedificatione Jerusalem, civitatis et templi aedificationem, utriusque dissipationem et desolationem a populo et duce advena, et cessationem hostiae ac sacrificii. Sed haec omnia a multis abhinc retro annis completa fuere; ergo et hebdomadae.

4.° Venturus erat Messias extante templo Zorobabelico, (supra Th. XIII). Atqui templum illud dirutum fuit ante mille septingentos annos; ergo.

69. Obj. 1.° Jacobi verba: *Non auferetur sceptrum de Juda... donec* etc. possunt *continuationem* et perpetuitatem sceptri indicare non autem *cessationem* ipsius. Sed in hac hypothesi nihil concludere licet pro adventu Messiae: ergo venisse non probatur.

Resp. 1.° Verba Jacobi, absolute et abstracte perpensa, possunt *continuationem* significare; conc. *major*. Si de adjunctis ratio habeatur, scilicet, perpensis etiam aliis prophetiis, nec non facto ipso totius Judaeorum populi dispersionis; nego: vel si placeat, subdist. Possunt verba illa significare *continuationem* sceptri proprie ac literaliter intellecti; nego: spiritualiter et metaphorice; conc. Etenim *spiritualiter* populus ille et nunc perseverat in Ecclesia et in christianis, qui per fidem filii sunt Abrahae, ut dixit Apostolus (2).

Resp. 2.° Dist. *min.* Nihil potest ex Jacobi prophetia concludi pro Messiae adventu, si indicaret *continuationem* sceptri proprie ac literaliter sumpti; conc. quid enim probari posset ex falsa prophetia? Si solum indicaret *continuationem* sceptri mystice et eminenter accepti, concedo etiam, nego autem suppositum; quia

(1) Luc. I, 68-70.—(2) Galat. III, 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

adversatur communi Patrum et Doctorum catholicorum consensui.

Et sane, ut supra illam expendendo prophetiam vidimus, agitur in ea de constitutione tribus Judae proprie sumptae: et de Principibus ipsius; cum ergo dicitur, non defecturum tribum, neque Principes ejus, debet hoc in sensu quoque proprio intelligi, sive adsit praeterea alius sensus mysticus, sive non: numquam enim sensus proprius est rejiciendus, nisi cogat evidens necessitas. Nullatenus ergo audiendi sunt pauci illi auctores, qui voluerunt; agi tantum in hac prophetia de *continuatione* sceptri mystice et spiritualiter intellecti.

Particula *donec* indicat rei vel actus continuationem versus aliquem terminum; utrum autem ea duratio in eo termino sistat, vel ultra progredi debeat, ex adjunctis definiendum est. Sub utroque sensu adhibetur particula haec in sacris Literis. Ex. gr. Juravit David (1): *Si dedero somnum oculis meis...* donec *inveniam locum Domino, tabernaculum Deo Jacob.* Intelligitur quidem, quod abstinebit a somno, dum non inveniat locum aptum templo aedificando; quod autem illa vigilia ultra non progredietur, ex ipsa rei natura dignoscitur. Pariter dictum est (2): *Consenserunt eum esse ducem suum, et summum Sacerdotem in aeternum,* donec *surgeret Propheta fidelis.* Patet consensum in termino illo sistere, nec ultra progredi: volunt enim, quod, Propheta fideli surgente, hic decernat, quis futurus sit dux ac summus Sacerdos. E contra; dicente Petro (3): *Habemus propheticum sermonem, cui benefacitis attendentes,* donec *dies elucescat in cordibus vestris;* nullatenus indicare vult, ut, postquam fuerint illuminati, non amplius attendant sermoni prophetico; sed indicat tantum, quem fructum ac terminum desideret eos capere ex prophetiis, ad quas perpendendas eos hortatur. Similiter, dixit Deus Christo (4); *Sede a dextris meis* donec *ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum:* non sane, quod tunc recedere debeat a dexteris Dei; sed quo pervenire debeat triumphi Christi magnitudo; nempe, ut inimici omnes scabellum fiant gloriae ejus significatur. Pariter dixit Matthaeus (5): *Et non cognoscebat eam* donec *peperit filium suum primogenitum;* ut explicaret conceptum ac nativitatem Christi virginalem, ex sola, scilicet, Spiritus Sancti virtute; non vero ut indicaret, post divinum partum, recessisse Josephum et Mariam a proposito virginatis colendae.

Ex hisce exemplis patet, in prophetia Jacobi particulam *donec* continuationem, utique, *sceptri* usque ad Christum significare;

(1) Ps. CXXXI, 4, 5.— (2) I Machab. XIV, 41.— (3) II Petr. I, 19.— (4) Ps. CIX, 1, 2.—(5) I, 25.

utrum autem ultra progredietur, vi vocis definiri nequit: cum autem *sceptrum* defecerit, Messiam advenisse recte concluditur.

70. Objic. 2.° Messias, cum venerit, salvabit domum Juda et Joseph, et *erunt sicut fuerunt quando non projecerat eos* (1); *conteret jugum ejus, et non dominabuntur ei amplius alieni, sed servient Deo suo et* David *regi suo,* Messiae nempe (2). Ergo nondum venit Messias.

Resp. conc. *ant* et explico: quae ibi dicuntur fient, cum Messias primum venerit; nego: tum enim potius rejicientur Judaei et dispergentur propter eorum infidelitatem; (vide supra, Thes. IV) Haec praestabit Messias, cum tandem Judaei convertentur (supra, Thes. V); concedo.

Obj. 3.° Neque inter Doctores christianos certo constat, quale sit hebdomadum Danielis initium: ergo neque liquet, utrum fuerint completae.

Resp. Dist. *ant.* Non constat certum initium *positive* et *individualiter;* transmitto; *negative* saltem et *confuse;* nego. Constat enim certo nec initium, nec complementum earum hebdomadum in suspenso esse, vel posse expectari.

THESIS XVI.

Jesus Christus est Messias olim a Deo promissus.

71. Probatur thesis, quae est fide credenda.

1.° Samaritana dicenti (3): *Scio quia* Messias *venit; cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia;* respondit ei Jesus: *Ego sum qui loquor tecum.*

2.° Jesus Christus confirmavit se esse Messiam miraculis, prophetiis, et sua ipsius resurrectione: ergo. *Ant.* prob. Ait Dominus (4): *Si opera non fecissem in eis, quae nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem et viderunt, et oderunt et me, et Patrem meum.* Cum autem Jesum interrogassent Judaei (5); *Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam. Respondit eis Jesus: loquor vobis et non creditis. Opera, quae ego facio in nomine Patris mei, haec testimonium perhibent de me.* Denique, in nomine Dei a summo Sacerdote interrogatus (6): *Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei. Dicit illi Jesus: tu dixisti.* Vide alibi (7) et resurrectionis argumentum.

3.° Eo tempore, quo vixit Christus, debuit adventus esse Mes-

(1) Zachar. X, 6.—(2) Jer. XXX, 8, 9.—(3) Jo. IV, 25, 26.—(4) Ibid. XV, 24.—(5) Ibid. X, 24, 25.—(6) Matth. XXVI, 63, 64.—(7) Ibid. XII, 39, 40.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

siae. Sed tunc non alius fuit, praeter Jesum, cui notae ac characteres Messiae convenirent; nempe, expectatio salusque Gentium, sanctissimus, potentissimus, signaque faciens, Filius David, etc. Ergo ipse est Messias. *Major* patet ex thesi praecedenti. Nam eo tempore complebantur Danielis praedictae hebdomadae: post paucos annos tribus Juda dispersa fuit, omnisque sceptri et principatus umbra evanuit; dissipata civitas, subversum Sanctuarium; ablata hostia et sacrificium; etc.

72. 4.° Messias talis sit oportet, ut dignosci valeat; nempe, *Lux Gentium* (1), *Signum populorum* (2). Sed nisi Jesus Christus sit ipse Messias, nullatenus hic dignosci poterit: ergo. *Min.* patet. Nam, nullum signum, nota nulla in Jesu Christo desideratur, ut Messias esse existimetur: si ergo ipse non esset verus Messias, notae quibus est dignoscendus, ambiguae forent, inanes et incertae. Qua de causa factum est, ut Judaei, negato Jesu Christo, post plures et fallaces abirent Messias, et tandem desperarent, ita ut suis in ritibus solemnes deprecentur maledictiones adversus omnes, qui de adventu Messiae sermonem inducant.

5.° Messias jam venit (ex Thes. praec.): vel est igitur Christus, quem duodecim Judaei Apostoli, magnis signis et portentis, suoque sanguine praedicarunt; vel alius David et Abrahae filius, cui superius expositae conveniant notae: atqui non est ullus alius Messias, ut ipsi fatentur Judaei; ergo Jesus Christus est verus Messias.

73. Obj. 1.° Veniet Messias in diebus *novissimis* (3): ergo nondum venit.

1.° Resp. Dist. *ant. Novissimis* respectu legis Naturae et legis Mosaicae; conc. *Novissimis absolute;* nego. Vide 1.ª ep. Jo. II, 18.

2.° Dici quoque forsitan potest, loqui Isaiam ibi de tempore illo Legis Novae, quo Gentes omnes simul cum Judaeis ad fidem redeuntibus Christum adorabunt.

Obj. 2.° Ante Messiae adventum praecedet Elias. Sed Elias nondum venit; ergo neque Messias.

Resp. Dist. *ant.* Praecedet adventum secundum in gloria; conc. Adventum primum in humilitate; subd. Praecedet Elias in spiritu; conc. In persona propria; nego. Qua de re vide Matthaeum (XI, 14; et XVII, 11-13), et Joannem (I, 21, 25), nec non Lucam I, 17.

Obj. 3.° Messias allaturus nobis erat justitiam et abundantiam pacis; sed nondum haec visa sunt; ergo.

Resp. Dist. *Ant.* Pro iis qui Messiae fide plena adhaereant;

(1) Isai. XLII, 6.—(2) Isai. XI, 10.—(3) Is. II, 2.

conc. Pro caeteris; nego. Unde dixit Dominus (1): *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Qua de re vide et Paulum (2); nec non et Danielem (3), ut ad alia id possis referre tempora.

74. Obj. 4.° Messias regna omnia, gentesque subjugabit. Sed haec non perfecit Christus; ergo non est Messias.

Resp. Dist. *ant.* In secundo adventu; conc. Cum primo in humilitate venerit; nego, vel subd. Quatenus Messiae Gentes omnes, Judaei quoque, vel volentes, vel reluctantes subjicientur; conc. Aliter; nego. Ad rem Origenes (4): «Id autem et Celsum et illius Judaeum, et quotquot Jesu non credunt latuit, duos a Prophetis praedictos esse Christi adventus; priorem humilem et humanis infirmitatibus obnoxium, ut cum hominibus degens eos doceret viam quae ducit ad Deum, nullique hominum relinqueret locum excusandi se futuri judicii ignoratione: alterum gloriosum, divinum tantummodo, et ubi divinitas nihil humanae infirmitatis admixtum est habitura.» Ad hunc ergo secundum adventum refert infra (5) Origenes eam Christi gloriam et potentiam. Et Justinus (6) etiam: «Quod si in primo adventu, qui inglorius et informis et despectus fuit, tantum resplenduit... Nonne in glorioso adventu omnes prorsus evertet, qui eum oderint, et qui ab eo inique defecerint; suos autem inducet in requiem, omnibus eos expectatis bonis remunerans?» Videas et Irenaeum (l. 4, c. 33); Tertull. (l. *advers Judaeos*, c. 14).

Obj. 5.° Messias reducturus erat Judaeos a captivitate. Sed hoc fecit Cyrus, non autem Jesus Christus: ergo nequit ipse esse Messias.

Resp. Dist. *maj. Universos Judaeos*, et in *perpetuum* cum ceteris bonis, quae, etiam post reditum a captivitate Babylonis praedixerunt prophetae; et quidem cum Judaei ad Christum convertentur; conc. A captivitate illa Babylonica; nego *maj.* Et contra distincta *minori*, nego *conseq.*

(1) Jo. XIV, 27.—(2) Eph. II, 17, 18.—(3) VII, 21-27.—(4) *Contra Celsum*, l. 1, n. 56.—(5) L. II, n. 29.—(6) *Dial. cum Triph.* n. 121.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT II.

De Christo Quoad Ejus Esse.

ARTICULUS I.

De Christo quoad esse divinum.

THESIS XVII.

Christus D. habet naturam divinam, seu est verus Deus.

75. **Nota**: cum ipsa christiana religione haeresis negans Christi Divinitatem exhorta est. Judaei quidem Christum crucifixerunt, quia *se Deum faciebat*. Cerinthiani et Ebionitae in eumdem lapsi sunt errorem, et adversus illos Evangelium S. Joannes scripsit, uti tradit in *L. de Script. Eccles.* B. Hieronymus. Deinde eamdem Ariani haeresim professi sunt, et in postremis saeculis Sociniani et grex universus Rationalistarum.

Patet thesim nostram esse de fide, et totius christianae fidei fundamentum.

Prob. 1.° ex Nicaen. Syn. «Credimus in unum Dominum »Jesum Christum... Deum de Deo, Deum verum de Deo vero... »consubstantialem Patri.»

2.° Apostolus (1) dicit: *In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis*. Et alibi ajebat (2): *Vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo:* διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος. Joannes quoque explicite et absolute (3) dixit: *Et scimus quoniam Filius Dei venit, et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, et simus in vero Filio ejus. Hic est, verus Deus et vita aeterna*. In graeco legitur: ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ· οὗτός ἐστιν ὁ ἀληθινὸς θεος, καὶ ζωὴ αἰώνιος.

Videas etiam Dominum Jesum adprobantem Thomae fidem, qui ipsius Divinitatem confessus erat (4): *Dominus meus, et Deus meus*. His enim verbis Christum, Dominum suum et Deum suum esse, protestatus est, ut observavit Concilium Oecumenicum. V, can. 12. Christus autem laudavit fidem hanc: *Quia*

(1) Colos, II, 9.—(2) Act. XX, 28.—(3) I Jo. V, 20.—(4) Jo. XX, 28.

vidisti me, Thoma, credidisti; beati, qui non viderunt et crediderunt. Sed si creatura esset, ait Cyrillus (1), non fuisset passus audire; *Tu es Deus meus.*»

Denique manifestum habemus etiam testimonium, initio Evang. S. Joannis (2): *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum... et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis:* καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος. Sensus, nempe, obvius et litteralis est, quod *Verbum erat Deus*.

76. 3.° Antiqui Prophetae divinitatem Messiae praenuntiarunt. Isaias (3) ait: *Parvulus natus est nobis, et Filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum ejus: et vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus*. Loqui autem prophetam de Christo, evidens est ex contextu. *Multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis: super solium* David, *et super regnum ejus sedebit: ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, amodo et usque in sempiternum*. Quae ad Messiam pertinere ex antea dictis constat (Thes. VIII et X).

Jeremias quoque (4): *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et suscitabo* David *germen justum; et regnavit rex, et sapiens erit, et faciet judicium et justitiam in terra... Et hoc est nomen quod vocabunt eum: Dominus* (Jehovah) *justus noster*. Baruch propheta (5) clare praedixit, post legem populo Israëlitico traditam, ipsum Deum inter homines versaturum: *Hic est Deus noster, et non aestimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinae, et tradidit illam Jacob puero suo, et Israël dilecto suo. Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est*. Quae conferas cum simili Isaiae sententia (6). Michaeas, loquens manifeste de Christo (7), ait: *Egressus ejus ad initio, a diebus aeternitatis:* quae Christi generationem aeternam clare exhibent.

77. 4.° Patres et Concilia Christi divinitatem docuisse post Nicaenam Synodum, non audent haeretici negare: en ex PP. antenicaenis nonnulla selecta testimonia.

S. Ignatius M. (8) ait: «Cur non omnes prudentes sumus, »accepta Dei cognitione, qui est Christus Jesus?» Item: «Deus nos»ter J. C. in utero gestatus est a Maria.» Rursum: «Vetus regnum »labefactatum est, Deo humanitus manifestato.»

Irenaeus (9): «Qui Deus? De quo dixit: *Deus manifeste veniet, »Deus noster, et non silebit:* hic est Filius.»

In Syn. Antioch. fuit Paulus Samosatenus damnatus, et

(1) *Thesauri*, l. V, c. 1. — (2) I, 1, 14. — (3) LIX, 6, 7.— (4) XXIII, 5, 6. — (5) III, 36-38.— (6) LII, 6.— (7) V, 2.— (8) Ep. ad Eph. cc. 17, 18, 19.— (9) L. III, *contra haeres.* 10.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Patres in epist. ad eumdem dixerunt: «Hunc Filium genitum, uni-»genitum Filium... Verbum et virtutem Dei, qui est ante saecula, »non praescientia, sed substantia et hypostasi, Deum et Dei Filium »in Veteri et Novo Testamento agnoscentes confitemur.»

In primo Arianae haereseos ortu. Alexander, episc. Alexandriae, antiquos Arianis opponebat Patres; et haereticos, «solos dog-»matum inventores» appellabat (1).

S. Athanasius (2): «Ecce nos, ait, demonstramus vobis, »nostram sententiam a Patribus ad Patres transiisse; vos autem, o »novi Judaei, quos Patres... exhibere potestis? Nullum certo pro-»fertis, omnes a vobis abhorrent, praeter unum diabolum.» Et quidem refert ibi, inter alia, insigne testimonium Dionysii Romani, quod sic habetur: «Hic (Sabellius) blasphemat ipsum Fi-»lium, dicens esse Patrem: illi tres Deos quodammodo praedicant, »dum Sanctam Unitatem in tres diversas hypostases ad invicem »omnino separatas dividunt. Neque igitur admirabilis et divina »unitas in tres divinitates est separanda, neque *factionis* vocabulo »dignitas ac summa magnitudo Domini est diminuenda: sed cre-»dendum est in Deum Patrem omnipotentem, et in Christum Je-»sum ejus Filium, et in Sanctum Spiritum. Quippe *Ego*, inquit, *et* »*Pater unum sumus*. Ita divina Trinitas et Sancta Monarchiae prae-»dicatio servabitur.»

78. Ipse Eusebius (3), etiamsi Arianis saepe consenserit, fragmentum antiqui auctoris in sua historia exscripsit, quo priscorum Patrum fides exponitur. «Affirmant (haeretici) priscos quidem »omnes, et ipsos Apostolos, ea, quae ab ipsis nunc dicuntur, et ac-»cepisse et docuisse: ac praedicationis quidem veritatem esse cus-»toditam usque ad Victoris tempora, qui tertius decimus a »Petro Romanae urbis episcopus fuit: a Zephyrini autem »temporibus, qui Victori successit, adulteratam fuisse verita-»tem. Ac fortasse id quod dicunt credibile videretur, nisi eis refra-»garetur primum quidem divinae Scripturae, deinde fratrum »quorumdam scripta, Victoris aetate antiquiora, quae illi ad-»versus Gentes et contra sui temporis *haereticos* pro veritatis de-»fensione scripserunt: Justinum intellige, et Miltiadem, »et Tatianum, ac Clementem, *aliosque quamplurimos;* »in quorum omnium libris Christi divinitas adstruitur. Nam Ire-»naei quidem et Melitonis, et reliquorum scripta, quis est »qui ignoret, in quibus Christum Deum simul atque hominem »praedicarunt? Psalmi quoque et cantica fratrum jam pridem a »fidelibus conscripta, Christum Verbum Dei concelebrant, divini-

(1) Theodor. l. I, c. 4.—(2) L. De decr. Syn. Nicae. – (3) *Histor. eccles.* l. V, c. 28.

»tatem ei tribuendo. Cum igitur tot ab hinc annis ecclesiastica »doctrina praedicata sit, quei fieri potest, ut omnes usque ad Vic-»toris tempora eam, quam isti dicunt, doctrinam promulgave-»rint? Quomodo eos non pudet hujusmodi calumniam adversus »Victorem concinnare, cum certo sciant, Theodorum Coria-»rium, qui defectionis illius Deum abnegantis parens et auctor fuit, »primusque Christum nudum esse hominem asseruit, per Victo-»rem a communione Ecclesiae ejectum fuisse? Nam si, ut ajunt, »Victor eadem sentiebat quae illorum docet impietas, cur Theo-»dorum opinionis illius auctorem ab Ecclesia removit?»

Haec abunde ostendunt, Patres antenicaenos eamdem habuisse quam Patres Nicaeni definiverunt, fidem.

79. Obj. 1.° *Pater major me est*, dicit Christus (1): Sed si Deus foret Christus, non esset major illo Pater; ergo non est Deus.

Resp. Dist. *min.* Si haberet naturam Dei tantum; conc. Si inferiorem etiam habeat naturam; nego *min.*

Obj. 2.° Christus fassus est, non nisi improprie, et more aliorum hominum, se Deum dicere (2): *Respondit eis Jesus: Non ne scriptum est in Lege vestra: Quia Ego dixi, dii estis? Si illos dixit deos... Quem Pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis; quia blasphemas: quia dixi: Filius Dei sum?* Ergo non est verus Deus.

Resp. Nego assertum. Vide supra (Disquis. V. n. 79, pag. 156.)

80. Obj. 3.° Unitas Christi cum Patre talis est, qualis ea, qua nos cum illo et ad invicem unum sumus (3); ergo nequit verus esse Deus. Resp. Dist. *ant.* Unitas Christi, qua homo est, cum Patre, talis... Conc. Unitas Christi, qua Deus est... Nego *antec.* vel subd. Talis est per quamdam analogiam; conc: proprie, nego. Unitas nostra cum Christo ita comparatur ad unitatem Christi cum Patre, sicut perfectio nostra ad perfectionem Patris (4).

Obj. 4.° Patres antenicaeni, in Antiochaeno Concilio, noluerunt Christum dici consubstantialem Patri, ὁμοούσιον: ergo ante Nicaen. Conc. non credebatur Christus verus Deus. Resp. dist. *ant.* Noluerunt Patres ad sensum Pauli Samosateni, conc. Ad sensum Patrum Nicaenorum, id est, quatenus unam vox illa significat essentiam Patris et Filii; nego. Nempe Samosatenus ex voce illa, jam tunc a Patribus usitata, argutiam fingebat ut negaret aeternitatem et divinitatem Filii: putabat ipse, vel fingebat, ὁμοούσιον non aliam significare unitatem substantiae, quam quae invenitur in distinctis numismatibus de aere cusis. Ex hoc autem inferebat plures existere in Deo essentias, si Filius sit verus Deus et consubstantialis Patri. Patres autem Antiochaeni Filium ὁμοούσιον non di-

(1) Joan. XIV, 28.—(2) Ibid. X, 34-36.—(3) Ibid. XVII, 21. – (4) Matth. V, 48.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

cendum judicarunt in eo ficto et falso sensu; an vero posset aliter vox illa adhiberi non inquisiverunt: errorem vero Pauli negantis Christi divinitatem damnarunt, tamquam «mortiferam doctrinam, »Deum negantem malitiam, scelestam haeresim:» et ipsum Paulum appellarunt, «Apostatam a fide, Deo bellum indicentem.»

81. Obj. 5.° Ex antenicaenis PP. ut Justinus, Irenaeus, Tertullianus, etc. dicunt Filium ministrum Patris, minorem, instrumentum, et alia hujusmodi. Sed haec nequeunt de vero Deo dici. Ergo Filius non est verus Deus.

Resp. Dist. *maj*. Hoc dicunt ut explicent originem Filii a Patre, Conc. Ut indicare velint distinctionem aut differentiam naturarum Nego. Sic Justinus explicat genuinum illarum vocum sensum; «Propheticus sermo, *Pluit Dominus ignem a Domino de coelo*, duos »numero esse declarat, alium quidem in terra (Filium); alium au»tem in coelis, qui et illius in terra apparentis Domini Dominus »est, *quatenus* Pater et Deus, qui ei praestat, ut et potens sit et Do»minus et Deus.» Identitatem autem essentiae perspicue declarat: «Virtutem illam ex Patre genitam, virtute et voluntate ipsius, non »vero per abscissionem, quasi Patris substantia divideretur» (1).

Obj. 6.° Christus ait ad Patrem (2): *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum verum* Deum *et quem misisti Jesum Christum:* ergo nequit Deus esse Filius. Resp. nego suppositum et *conseq*. Nam vox illa *solum* non afficit Patrem, sed quod de Patre praedicatur, nempe, *verum Deum;* ut patet ex textu graeco. Sensus ergo est, *unicum esse Deum*, et Patrem esse hunc verum Deum. An vero et aliae personae, praeter Patrem, sint ille *unicus verus Deus*, noluit tunc Christus explicare.

ARTICULUS II.

De Christo quoad esse hominis.

THESIS XVIII.

Christus verus est homo.

82. **Nota**. Tempore ipso Apostolorum ortum habuit haeresis negantium Christi humanitatem, qui dicti sunt Δόκηται, Docetae, et putabant apparentem seu phantasticam fuisse Christi carnem. Coepit hunc errorem evulgare Simon Magus, et secuti plures, ut Valentinus, Cerdo, Marcio, etc. inter celebriores autem Manes. Eutiches autem concedebat, Christum hominem fuisse ante unionem, sed postea, ajebat, «a divinitate absorpta fuit humanitas.» Eos omnes damnavit Joannes Evangelista (1): *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jesum Christum venisse in carne: hic est seductor et Antichristus.*

Propositio est de fide catholica.

83. Prob. 1.° ex Chalced. Gen. Syn. «Sequentes SS. Pa»tres... consonanter omnes docemus, Jesum Christum perfectum »in Deitate et eumdem perfectum in humanitate, Deum vere et ho»minem vere; consubstantialem Patri, secundum Deitatem, con»substantialem nobis eumdem secundum humanitatem.»

2.° Christus D. ait (2): *Quaeritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum.* Et Paul. (3). *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David, secundum carnem.* Praeterea, passim se *Filium hominis* appellat Christus; et supra (Thes. VIII) ostendimus, ex David et ceteris patriarchis eum fuisse natum.

3.° Athanasius (4): «Potuitne christianis hominibus in du»bium revocari, utrumnam Dominus noster ex Maria editus, subs»tantia et natura Dei Filius sit; at secundum carnem ex semine »David et ex carne Santae Mariae?»

Tertullianus (5): «Utriusque substantiae census hominem »et Deum exhibuit: hinc natum, inde non natum; hinc carneum, »inde spiritalem; hinc morientem, inde viventem.»

4.° Christus et sensu et ratione donatus erat: ergo verus homo. *Ant.* patet ex Evangelio. Esuriebat, sitiebat... Item voluntatem rationalem, Patrique subditam ostendebat (6); nec non et ratiocinationem (7).

84. Obj. 1.° Si Christus esset Deus et homo haberet attributa inter se contraria; adorandus, et non adorandus, etc. Resp. Contraria secundum eamdem rationem, negatur; diversam, conc.

Obj. 2.° Si sint in Christo duae naturae, erit in ipso pluralitas, numerus, divisio. Sed numerum rejiciebant antiqui christiani; divisionem negat Syn. Oecum. V. Ergo unam tantum habebat naturam.

Resp. Dist. *maj*. Erit numerus et divisio simpliciter, nego: secundum quid, Subd. Quatenus numerus et divisio involvunt distinctionem sine confusione, conc: quatenus praesupponunt separationem absque unitate substantiali; nego.

---

(1) Dialog. *Contr. Triph.* 128, 129.–(2) Joan. XVII, 3.

(1) Ep. 2.ª 7.—(2) Jo VIII, 40. – (3) Rom. I, 3.—(4) Ep. ad Epict.—(5) L. de *Carne Christi*, c. 5.–(6) Jo. XII, 49, 50.–(7) Matth. XVII, 25.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

THESIS XIX.

Natura humana Christi fuit integra, id est, carneo corpore et anima rationali constans.

85. **Nota**: thesis est de fide: prima pars, de vero corpore, contra Manichaeos et alios; secunda autem adversus aliquos Arianos et Apollinaristas.

1.° Oecumen. V, seu Constant. II, can. 4. «Qui non »confitetur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima ratio»nali secundum compositionem factam... Anath. sit.» Item Profes. fidei ab Innocent. III. Waldensibus praescripta: «Corde credimus, fide intelligimus... quod Filius Dei... veram car»nem habens et animam rationalem... natus ex Virgine M. vera »carnis nativitate.»

2.° Dominus ait (1): *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Ergo et animam habebat, et corpus; aliter mortalis non fuisset. Item dixit (2): *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Rursus (3): *Palpate et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.*

86. 3.° Ex PP. testes possunt adhiberi, Conc. Hispaniarum et Lusitaniae, jussu Leonis I habiti (447), ad normam Ep. Dogmaticae ejusdem *adver. Priscill.*tas «Credi»mus... nec imaginarium corpus aut phantasticum in eo fuisse, sed »solidum atque verum... Si quis dixerit vel crediderit, carnem tan»tum sine anima a Filio Dei fuisse susceptam, anath. sit.»

Athanasius cum aliis PP. inter quos Eusebius Vercell. cum quosdam interrogassent de fide Trinitatis et Incarnationis, ait Athanasius: «Hoc item profitebantur, non corpus inanimatum »Salvatorem assumpsisse.» Eusebius autem suscribens dixit: «In eamdem quoque fidem conveni... Dei Filium hominem factum »esse, et omnia praeter peccatum assumpsisse, cujusmodi erat an»tiquus noster homo.»

S. Augustinus (4): «Totum redemit, qui totum creavit; to»tum suscepit, totum liberavit Verbum. Ibi mens hominis et inte»llectus; ibi anima vivificans carnem; ibi caro vera et integra, pec»catum solum non ibi.»

4.° Rationem theologicam educes ex thesi VIII. Non enim posset esse verus homo, si aut anima aut caro deficeret Christo.

(1) Matth. XXVI, 38.—(2) Joan. VI, 54.—(3) Luc. XXIV, 39.—(4) Sermo 237.

87. **Coroll.** Anima et corpus Christi erant invicem substantialiter unita. Patet ex verbis Conc. Oecum. V; ex doctrina laudata Athanasii et Eusebii; nec non ratione theol. adjecta. Insuper, Viennense Conc. sub Clemente V, definivit: «Aperte cum Sancta Matre Ecclesia »confitemur, unigenitum Dei Filium... partes nostrae naturae si»mul unitas, ex quibus, in se verus Deus existens, fieret verus ho»mo, humanum videlicet corpus passibile et animam intellectivam »informantem assumpsisse ex tempore in virginali thalamo ad »unitatem suae hypostasis et personae.»

Confirm. Nisi forent in Christo corpus et anima ad invicem unita, et quidem substantialiter, essent tres naturae in Christo: atqui definivit Agatho pp. et Conc. V. «In duabus naturis... in»divise cognoscendum, salvata proprietate utriusque naturae.» Ergo substantialis est unio.

88. Obj. 1.° *Caro non prodest quidquam* (1). Ergo non est assumpta a Christo. Resp. Dist. seu explico: caro, spiritali modo comesta, non prodest quidquam; nego: caro, carnali modo sumpta, non prodest quidquam, concedo, vel subd.: non prodest ad vivificandum, conc: ut vivificetur, nego.

Obj. 2.° Quidquid anima in Christo efficere deberet, a Verbo divino perfici poterat: ergo inutiliter fuisset assumpta.

Resp. Dist. *ant.* Quidquid efficere deberet pure efficienter; conc: quidquid efficere deberet formaliter; nego. Vel permisso *Antec.*, negatur *conseq.;* non enim ad efficiendum tantum, sed et ad patiendum assumpsit Verbum divinum animam.

ARTICULUS III.

De Christo quoad unitatem essendi

THESIS XX.

In Christo non est facta unio secundum naturam; id est, dici nequit unam esse naturam Christi, sed duas dicere oportet.

89. **Nota** I.° Thesis est de fide, adversus Eutichetem, Dioscorum Patriarcham Constant.m; etc., etc. qui dicebant, *ex duabus naturis*, non vero *in duabus naturis* Christum esse. Natura enim humana, ajebant, ut gutta mellis in mari, conversa fuit in divinitatem. Alii

(1) Jo. VI, 64.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vero è contra, ut Apollinaris, divinitatem, ajebant, vel particulam ejus, in humanitatem fuisse conversam.

Nota II.° Non negamus sane unionem naturarum; revera enim unitae sunt cum terminum habeant communem. «In duabus natu»ris... *indivise* cognoscendum, numquam extincta differentia ha»rum naturarum propter *unitionem*» (1).

90. Prob. 1.° Ex Oecum. Conc. (2): «Si quis ex duabus na»turis, Deitate et Humanitate, confitens unitionem factam fuisse... »unam naturam sive substantiam Deitatis et Carnis Christi intro»ducere conatur, talis anath. sit... Non confusionem quamdam ad »invicem naturarum factam fuisse dicimus, magis autem, manente »utraque hoc quod est, unitum esse carni intelligimus Verbum.»

2.° Natura Dei nequit esse una et eadem cum natura hominis. Sed Christus est verus Deus et verus homo (Thes. XVII et XVIII): ergo duas et distinctas habet naturas. Quo argumento usa est Syn. V, ibid.) «Propter quod et unus est Christus, idem Deus et »homo, consubstantialis Patri secundum Deitatem, nobis item se»cundum humanitatem.»

3.° Ratione (3). Si unio facta esset in natura, vel ita, ut manerent natura humana ac divina tamquam aliquid perfectum in suo esse; vel ita, ut transmutaretur eorum esse perfectum; vel ita, ut ex duabus imperfectis exurgeret una natura perfecta. Sed neutrum dici potest. Non 1.ᵐ; nam in ea hypotesi non aufertur dualitas naturarum, quod in praesenti intendimus. Non 2.ᵐ; quia nec natura divina est transmutabilis in aliam, cum sit immutabilis; nec alia in divinam, cum haec sit a se et ingenerabilis. Non 3.ᵐ; quia natura divina et humana sunt perfectum quid in sua ratione.

91. Obj. 1.° In mixtione perfectorum, puta, elementorum, fit unio in natura, licet maneant naturae singulorum; ergo licet maneant natura humana et divina, potest unio esse in natura, seu una nova natura in Christo dari. *Ant.* prob. Quod fiat unio in natura patet; nam, ut ait D. Thomas (ibid.), «quod est commixtum »nulli miscibilium est idem specie:» ergo miscibilia uniuntur in una natura, seu specie. Quod autem maneat natura illorum, patet etiam ex eodem D. Thoma; nam ideo «Ex his quae plurimum »distant nequit fieri commixtio, quia solvitur species unius eo»rum:» ergo requiritur ut in commixto maneat species seu natura miscibilium.

Resp. dist. *antec.* Manent naturae miscibilium, ita ut commixtum sit unum natura cum illis; negatur: aliter, subd. Manent naturae miscibilium, ita ut non transmutentur; nego: ita ut non

(1) Syn. VI, *in Definit. fidei.*—(2) Syn. V, can. 8. (3) S. Thomas, p. 3, q. 2, a. 1.

omnino solvantur; conc. Deinde, nego *consequentiam* et *consequens*.

Obj. 2.° S. Cyrillus, qui inter SS. PP. in hoc Incarnationis mysterio defendendo princeps visus est, ajebat (1): «Unum asseri»mus Filium, ut et SS. Patres dixerunt, unam naturam Dei Verbi »incarnatam.» ergo a) unio in natura, non vero in Persona, constituta fuit; b) neque duplex natura post unionem, sed una tantum existit.

Resp. Concedo textum laudatum Cyrilli, at utramque nego *consequentiam*. Nam primam manifeste excludit ipse Cyrillus dicens: «unam naturam Dei Verbi incarnatam.» Cum enim eadem sit trium Personarum natura, clare indicat non nisi mediante Verbo factam unionem, seu in Persona: secundam pariter ipse rejicit dicens; «naturam Verbi incarnatam.» Hinc calumniam ipse S. Cyrillus repulit (2): «Si minime adjunxissemus *incarna»tam*, esset fortassis illorum oratio non inepta, dum interrogare se »simulant: ubinam est in humanitate perfectio?»

Obj. 3.° «Affirmamus, ait ipse Cyrillus, dum ea, quibus »constat unus et solus Filius ac Dominus J. C., cogitando versa»mus, duas unitas esse naturas; post unitionem vero, tamquam su»blata jam sectione in duo, unam esse credimus Filii naturam, ut »unius, sed hominis facti et incarnati (3).» Ergo post unitionem duas Cyrillus rejicit naturas.

Resp. Dist. *consequens*. Duas S. Cyrillus naturas rejicit, quatenus dualitas importat divisionem naturarum; conc. *consequentiam*. Rejicit duas naturas, secundum perfectionem et distinctionem earumdem; nego. Cum enim pluralitas, stricte dicta, teste S. Thoma (4), consequatur divisionem; et Nestorius contenderet, Naturarum unionem in Christo moralem tantum esse, non vero personalem et physicam; hinc S. Cyrillus, Nestorii excludens errorem, nolebat, duas post unitionem dici naturas; quo, nempe, tueretur unionem personalem, et rejiceret divisionem, non vero distinctionem et perfectionem utriusque naturae.

THESIS XXI.

In Christo facta est unio secundum personam, id est, una est tantum persona in Christo.

92. **Nota** 1.° Haec doctrina est de fide et adversus Nestorium definita.

II.° Persona est rationalis naturae individua subsistentia, seu

(1) Ep. 1 ad Successum.—(2) Ep. 2 ad Succes.—(3) Ep. ad Acacium.—(4) P. I, q. 30, a 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

suppositum, quod a graecis hypostasis dicitur. In hac definitione aliud significatur in recto, aliud vero in obliquo: in obliquo, nempe, venit *natura*, qua significatur essentia; directe autem notatur *subsistentia* individua. Cum ergo dicimus unam esse personam in Christo, id de subsistentia, per quam natura constituitur persona, intelligendum est.

93. Prob. 1.° «Si quis conatur introducere in mysterio Christi »duas subsistentias, seu personas, et unam dicit personam per dig»nitatem et adorationem... sed non confitetur unam ejus hyposta»sim, vel unam personam, talis anathema sit.» Syn. Oecum. V. can. 5.

Prob. 2.° In SS. Litteris de Christo loquentibus, praedicantur tamquam de uno et eodem ea, quae propria sunt divinae naturae et ea quae humanae. Sed si essent duae personae, altera divina, altera vero humana, falso utriusque proprietates de uno et eodem praedicarentur: ergo unica est persona.

Min. patet: nam nulla foret identitas inter subjectum et praedicatum; nec formalis, seu secundum naturam; nec materialis, seu ratione supposití. *Major*, autem constat passim (1): *Verbum caro factum est*. Et Apoc. (2): *Ego sum alpha et omega*. Et iterum (3). *Nemo ascendit in coelum nisi qui... Filius hominis qui est in coelo*. Et Apostolus (4): *Qui descendit, ipse est et qui ascendit ut impleret omnia*. Et item, Joannes (5): *Ego et Pater unum sumus* (6): *Pater major me est*.

94. 3.° Dionys. Alex in ep. Synod. ad Paulum Samosat. illum reprehendit quod dicat: «duas hypostases, et duas »personas unius Christi, et Christos duos, duosque filios.»

Athanasius, docebat (7). «Sicut homo persona est una et ani»mal unum è spiritu et carne concretum; ita Christum unum esse »et non duas personas: quod recens impietas violenter invehere »conatur.» Sic Ambrosius, (in Symb. Apost. c. 31). Et Augustinus, (Tract. 20 in Jo). «Verbum habens hominem non »facit duas personas, sed unum Christum.»

95. 4.° Rationem theologicam insinuavit Syn. V. can. V. Unio talis est quale est unum ex ea consistens: sed unio Verbi cum natura humana est substantialis; ergo et unam cum eo constituit substantiam: non quidem quatenus substantia est natura vel essentia, ut dictum est (Thes. XX); ergo quatenus substantia est persona, seu ultimo terminata et subsistens. «Si quis non confitetur »Dei Verbum carni substantialiter uniri et propterea unam ejus »hypostasim seu personam...»

---

(1) Jo. I. 14.—(2) I, 8.—(3) Jo. III, 13.—(4) Ephes. IV, 10.—(5) Jo. X, 30.—(6) Ibid. XIV, 28.—(7) L. de Incarn.

Substantialem autem esse in Christo naturarum unionem, definivit Later. sub Martino I (an. 649): «Si quis secundum »SS. PP. non confitetur proprie et secundum veritatem naturarum »substantialem unionem... condemnatus sit.» Verum et aperte patet ex SS. Scripturis, cum aequali modo de Christo sive humana sive divina substantialiter praedicentur (1). *Quem dicunt homines esse Filium hominis... Tu es Christus Filius Dei vivi*. Et alibi (2). *Videte manus meas... Dominus meus et Deus meus! Quia vidisti me, credidisti* (3).

Unde in his et aliis similibus, substantia de substantia, Filius Dei de Filio hominis, Deus de homine, praedicatur: ergo datur identitas substantialis, uti veritas postulat propositionum; non quidem quatenus substantiae sunt naturae: ergo quatenus sunt subsistentiae. *Verbum caro factum* (4): atqui unio mere accidentalis cum carne non sufficit ut res unita caro fiat.

96. Obj. 1.° Natura humana Christi est substantia et est individua; est ergo secundum se persona. Idem dicas de natura divina. Igitur existit in Christo duplex persona, sicut duplex natura.

Resp. Substantia in definitione personae intelligitur completa in se, seu subsistens: jam vero natura humana Christi habet hujusmodi complementum per Verbum, ut probabimus (Vide D. Thomae (5) rationem); ideoque nego *consequens* et *consequentiam*.

Obj. 2.° Ratio personae est ratio dignitatis et perfectionis: sed humana Christi natura nullam amisit dignitatem et perfectionem; habet ergo per se rationem personae.

Resp. dist. *min*. Non amisit perfectionem spectantem ad naturam conc. Spectantem ad modum subsistendi, subdist. Quatenus habet nobiliorem et aeternam subsistentiam; conc. Quatenus habeat subsistentiam ex ipsis principiis humanae naturae causatam; nego. Vid. D. Thom. (6).

THESIS XXII.

Christi persona est divina, nempe ipsa Persona Verbi, seu Filius Dei.

97. Propositio est de fide. Prob. 1.° ex Chalced. Conc. Oecum. IV, in *Definitione Fidei*. «Docemus... unum eumdem»que Christum... non in duas personas partitum atque divisum, »sed unum et eumdem Filium unigenitum Deum Verbum Domi»num Jesum Christum.»

---

(1) Matth. XVI, 13, 16.—(2) Luc. XXIV, 39.—(3) Jo. XX, 28, 29.—(4) Ibid. I, 14.—(5) Summ. p. 3, q. 2, a. 2, ad 3.—(6) P. 3, q. 16, a. 12, ad 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

2.° (1) *Et Verbum caro factum... Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre.* Item ait Petrus (2): *Tu es Christus, Filius Dei vivi:* ergo Christus est persona divina.

3.° Damasus pp. in Syn. Rom. IV, docuit in *Anathem.* 7.° «Ipse Filius est Verbum Dei, qui nostram, id est, intelligibilem »animam suscepit, atque salvavit.» Insuper vide PP. Antiochaenos (supra Thesis XVII).

98. 4.° D. Thomas (3) optimas exponit congruentias, quod Persona Filii, non autem alia, unita humanae naturae fuerit. Prima desumitur ex unionis natura, quae convenientius perficitur inter ea, quae similia sunt. Jam vero Filius est Verbum Patris, per quod omnia facta sunt; artifex enim per suae mentis verbum sua efficit artefacta ad ipsius verbi similitudinem, quam participant. Sicut ergo res omnes in suo esse naturali ac mobili fuerunt constitutae per *participatam* Verbi similitudinem; sic convenienter per *non participatam*, sed personalem unionem cum Verbo, reparatae sunt ad immobilem et aeternam perfectionem. Praeterea, perpensa speciali et specifica hominis similitudine cum Deo, major elucet convenientia: propria enim hominis perfectio est sapientia; jam vero Filius ipsa est personalis Sapientia Patris; per illius ergo participationem, a quo omnis sapientia hominum derivatur, reparari homo debebat, sicut discipulus instruitur per hoc, quod recipit verbum magistri. Unde dicitur (4): *Fons sapientiae Verbum Dei in excelsis.*

Alia ratio elucet ex fine Incarnationis, qui est impletio praedestinationis, scilicet, praeordinationis ad haereditatem coelestem. Atqui haereditas non debetur nisi filiis: ergo congruum fuit, ut per Eum, qui est Filius naturalis, homines similitudinem hujus filiationis secundum adoptionem participarent; sicut ait Apost. (5): *Quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui.*

Plures alias tradunt hujusce mysterii congruentias Sancti Patres, quarum summam exhibet Suarezius (6).

99. Obj. B. Petrus ait (7): *Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt Sancti Dei homines.* Atqui ille incarnatus est qui per prophetas loquebatur (8): *Ego ipse, qui loquebar, ecce adsum;* ergo.

Resp. 1.° Explico *maj.* Quatenus inspiratio *appropriatur* Spiritui Sancto; conc. Quasi inspiratio sit proprietas personalis Sp. Sancti; nego *major.* Nam actiones ad extra sunt tribus Personis communes; ideoque omnes aequaliter loquebantur per prophetas.

2.° Explico *min. Ecce adsum*, quatenus Filius est verus ille Deus

(1) Jo. I, 14.— (2) Matth. XVI, 16.— (3) P. 3, q. 3, a. 8.— (4) Eccli. I, 5.— (5) Rom. VIII, 29. — (6) *De Incarn.* disq. XII, sec. 1. — (7) II Petr. I, 21.— (8) Isai. LII, 6.

qui loquebatur in prophetis; in Filio autem, propter naturae unitatem, sunt et Pater et Spiritus Sanctus; conc. Quasi eamdem unionem et praesentiam habeant cum humanitate Christi tres divinae Personae; nego. Locutio Dei per prophetas unionem quamdam efficiebat accidentalem, scilicet, per actionem ad mentes prophetarum terminatam; et haec communis erat divinis Personis: Deus autem adest in Christo per unionem substantialem Verbi cum humanitate; Verbum autem est proprietas personalis, ideoque, non eodem modo adest in Christo, sicut aderat in Prophetis.

THESIS XXIII.

Persona tantum Verbi unita est humanae naturae; non quidem per proprietatem ullam absolutam, id est, communem aliis divinis personis, sed relativam et propriam.

100. **Nota** I.° Licet sola Verbi persona assumpserit humanam naturam, non est impossibile quod tres divinae personae eamdem illam assumpsissent naturam, ut docet D. Thomas (1).

II.° Verbum divinum, verus Deus, naturae divinae uni ac simplici identificatur, absque ulla actuali distinctione reali. Haec autem unitas et identitas trium personarum quoad naturam non impedit realem earumdem distinctionem inter se; qua de causa Verbum opponitur *personaliter* caeteris personis divinis, non vero secundum naturam. A pari, idem Verbum unitur personaliter immediate naturae humanae, non vero quoad naturam, nisi media subsistentia.

III.° Thesis, quoad primam partem, de fide esse dicitur a Doctore Eximio: secunda pars ita est cum fide connexa, ut non possit sine errore oppositum doceri.

101. Prima pars prob. 1.° ex Syn. VI, in Definitione fidei. «Definientes Dominum Jesum Christum, verum Deum nostrum, »*unum de Sancta Trinitate...*» Deinde adjicit: «Proprietate utrius»que naturae in unam personam et in unam subsistentiam concu»rrente, non in duas personas partitum vel divisum, sed unum »eumdemque Dei Verbum Dominum Jesum Christum.»

Item, in Professione fidei Waldensibus ab Innoc. III praescripta: «Corde credimus... Incarnationem Divinitatis non in »Patre, neque in Spiritu S. factam, sed in Filio tantum.»

2.° In SS. Scripturis tamquam unius Verbi propria exhibetur In-

(1) P. 3, q. 3, a. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

carnatio. *Verbum Caro factum est...* (1). *Ego exivi a Patre et veni in mundum, iterum relinquo mundum et vado ad Patrem* (2).

3.° PP. Conc. Tolet. XI, in Symbolo fidei, ajunt: «Solus »filius formam servi accepit in singularitate personae, non in unita»te divinae naturae, in id quod est proprium Filii, non quod com»mune Trinitati.»

102. II.ª Pars fluit ex 1.ª I.° Incarnatio est propria Filii: sed si fuisset humanae naturae unitus per proprietatem absolutam talis non esset.

2.° Explicite hoc notarunt laudati PP. Toletani: «In id quod »est proprium Filii...» S. Fulgentius ait (3): «Non Patris, non »Spiritus Sancti, solius Verbi est caro, quia Deo Verbo non est cum »Spiritu Sancto unius personae communio.»

103. Obj. 1.° cum Durando. Facta est unio naturarum in subsistentia: atqui una tantum est in Trinitate subsistentia et quidem essentialis: ergo tota Trinitas est unita. Resp. Nego *min.* cujus falsitas, argumentum retorquendo, demonstratur.

Instabis. Licet natura sit principium generandi, tamen solus Pater generat: ergo a pari, potest solus Filius uniri, licet proprietas communis sit ratio terminans unionem.

Resp. Nego paritatem. Generatio enim est actus notionalis ad intra, ideoque necessario requirens personam constitutam, quae est Pater. E contra, incarnatio est communicatio ad extra, supponens omnes personas constitutas: ideoque si *hic Deus*, ut sic, seu proprietas aliqua absoluta est ratio terminandi unionem, omnes personae aequaliter uniuntur.

Obj. 2.° Natura divina identificatur cum Persona Verbi; ergo si unitur natura humana immediate cum Persona Verbi, et unitur cum Natura divina.

Resp. Dist. *antec.* Identificatur, ita ut distinguatur virtualiter; conc. Aliter, nego *antec.* Deinde dist. *consequens:* unitur Natura divina *mediate*, conc. Unitur *immediate*, nego *consequentiam.* Propterea D. Angelicus ait (4): «Primo et propriissime persona dici»tur assumere; secundario autem potest dici, quod etiam natura »assumpsit naturam ad sui personam... Unde Damascenus di»cit naturam Dei incarnatam esse, secundum Athanasium et »Cyrillum.

(1) Joan. I, 14. — (2) Ibid. XVI, 28. — (3) *Contra Serm. Fastidiosi*, c. 18. — (4) P. 3, q. 3, a. 2.

THESIS XXIV.

Non tantum consequenter ad unionem, verum nec antecedenter humana Christi natura propriam habuit subsistentiam.

104. **Nota** I.° Unitatem Christi excludentem plures simul personas ostendimus: nunc autem pluralitatem *successivam* personarum nullatenus locum in Christo habuisse defendimus. Etenim Cerinthiani et Nestoriani errantes dixerunt, prius Christum fuisse purum hominem.

Nota II.° Per vocem illam *antecedenter* significamus tum prioritatem temporis, tum naturae. Primo sensu (de prioritate temporis) thesis est de fide: secundo autem sensu etiam, vel ita saltem cum fide connexa, ut oppositum sit plane erroneum.

105. Prob. 1.° Conc. Later. sub Martino I. «Si quis »non confitetur... immaculatam Mariam... Deum Verbum veraci»ter... concepisse ex Spiritu S... condemnatus sit.» Si ergo ipsa conceptio Christi terminata est veraciter ad ipsum Deum Verbum, cum Christus non extiterit antecedenter ad suam veram conceptionem, multo minus potuit *subsistere;* nam subsistere est quidam existendi modus.

In Confessione fidei Justiniani Augusti, a Synodo V Oec. approbata, dicitur: «Unitio secundum subsistentiam indi»cat Deum Verbum, hoc est, unam Subsistentiam de tribus divini »Subsistentiis, non ante subsistenti homini adunatam fuisse; sed in »utero Sanctae Virginis fabricatum esse sibi ex illa in propria Sub»sistentia carnem animatam anima rationali et intelligenti, quae »est hominis natura.» Vide supra (Thes. XX) can. 8. Synod. V. «Manente utraque natura hoc quod est, unitum esse carni Verbum.»

In Symb. fidei Coc. Tolet. XI. «Maria, eodem Spi»ritu S. obumbrante, concepit... In quo mirabili conceptu... Ver»bum caro factum est...» Atqui si unionem Verbi praecessisset aliqua humana persona, non factum fuisset caro in ipso conceptu: ergo nulla praecessit humana subsistentia.

2.° Apostolus ait (1): *Ingrediens mundum dicit: Corpus aptasti mihi... Ecce venio...* Loquitur de Christo homine, nempe quatenus subjecto voluntati Patris; loquitur de Christo Deo, nempe capaci ad redimendum; loquitur denique de ipso primo instanti, seu de in-

(1) Hebr. X, 5, 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

gressu in mundum. Ergo numquam fuit in Christo alia subsistentia praeter divinam.

3.° S. Leo P. in epistolis 10, 11, 97, impugnat Eutichetem eo quod dixisset, extitisse naturas ante unionem. Etiam Vigilius (1). Augustinus (2); «Sicut dixi, et valde commendandum »est, una persona est. Ipse namque unus Christus et Dei Filius »semper, natura; et hominis Filius, qui ex tempore assumptus est, »gratia: nec sic assumptus est ut prius creatus post assumeretur, »sed ut ipsa assumptione crearetur.» Item, Damascenus (3).

106. 4.° Rationem videas apud D. Thomam (4).

Coroll. Exinde eruitur solutio quaestionis a D. Thoma propositae: Utrum Filius Dei assumpserit personam? Respondet negative: «Quia id quod assumitur debet praeintelligi assumptioni.» Natura utique fuit vere et proprie assumpta, ideoque praeintelligebatur assumptioni, (prioritate naturae, non temporis).

Objic. 1.° Concil. Francoford. in epist. ad episcopos Galliae, ait: «Persona Dei consumpsit personam hominis.» Ergo haec praecessit.

Resp. cum D. Thoma. Consumpsit, quasi destruendo quod prius fuerat; nego: impediendo quod aliter natura humana habuisset; conc.

Objic. 2.° Natura humana Christi praeintelligitur assumptioni, saltem prioritate naturae, ut ait D. Thomas (ibid.) Sed quod praeintelligitur assumptioni, ut videtur perspicuum, intelligitur esse *per se:* nam idem est esse per se ac non esse assumptum, seu unitum. Ergo humana Christi natura prius fuit subsistens quam assumeretur, saltem prioritate naturae; ergo vera consumptio personae facta est in Christo, et vera personarum successio.

Resp. Nego suppositum, scil. subsistentiam alicujus naturae in mera negatione consistere: sed de hac re infra.

THESIS XXV.

Nec anima nec corpus Christi prius extiterunt, quam a Verbo divino assumerentur.

107. **Nota.** Negamus in thesi prioritatem temporis; nam naturae prioritas, abs dubio, tum animae tum corporis est concedenda. Thesis est doctrina catholica certa, imo doctrina fidei, ait Suarezius; quod probabilius est.

Prob. 1.° Leo pp. (5). Eutycheti hunc errorem tribuit; «Quod

(1) L. 3, *contra Eutichet.* (in principio). — (2) *Contr. Sermon. Arianor.* c. 8.— (3) L. 3, c. 12. - (4) Q. 4, a. 2, Summ.— (5) Ep. 11, *contra Eutichetem.*

»anima, quam Salvator assumpsit, prius in coelis sit commorata, »quam eam sibi Verbum in utero Virginis copularit; sed hoc ca»tholicae mentes auresque non tolerant.»

Nicephorus (1), refert can. 1.m Synod. Oecum. V, adversus Originem, in quo fabulosa damnatur animarum praeexistentia.

2.° Sophronius, Patriarch. Hierosoly. in ep. Synodica ad Sergium Constantinop., approbata autem a Syn. Oecum. VI, ait: «Incarnatum esse Verbum, non carni copulatum »ante formatae vel figuratae, neque subsistenti animae composi»tum; sed cum eisdem unitum, tunc ad existendum prodeuntibus »quando Verbum ipsum cum illis conjungebatur... Unita sunt ipsi »secundum hypostasim simul atque ad consistendum producta »sunt.»

Maximus martyr (2), refert haec Athanasii verba: «Si»mul caro fuit, simul Dei Verbi caro, animata, rationalis.»

Item, Damascenus, et Fulgentius.

3.° Anima naturaliter est forma corporis: ergo nequit naturaliter ad existendum creari nisi formato et disposito corpore.

Item: corpus humanum est materia tali modo disposita, scilicet, ut formam seu animam humanam suscipiat. Sed materia disposita ad animam nequit naturaliter sine illa existere. Ergo. *Min.* prob. 1.° Carere actu, ad quem est potentia disposita, est ei violentum: sed violentum non est naturale. Ergo. 2.° vel materia disposita ad animam humanam haberet aliam formam, vel nullam: sed utrumque est contra naturam. Ergo non fuit corpus ante unionem.

THESIS XXVI.

Persona, formaliter ut talis, seu subsistentia propria personae, non est mera negatio, sed perfectio positiva.

108. **Nota** I.° Sentiunt aliqui AA. naturam quamlibet ex eo tantum subsistere, quod cum alia perfectiori non uniatur: si enim adjiciatur naturae cum ente perfectiore conjunctio, tunc, ajunt, suam amittit totalitatem, seu esse in se et per se totam, ideoque subsistentiam. In illa ergo negatione unionis, subsistentiam, seu personalitatem (si sermo sit de natura rationali), compleri existimant.

Nota II.° Persona et subsistentia ad constitutiva mysterii Incarnationis et aliorum fidei mysteriorum spectant: unde multum re-

(1) Hist. l. 17, c. 28. — (2) L. *De duabus volunt.* — (3) L. 4, c. 6, *De fide.* — (4) De *Incarn.* c. 5, circa finem.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

fert nihil falsum, nihil fictum in mente gerere dum personam cogitamus vel dicimus; ne forsan, irrito conatu, ad falsa vel ficta credenda nitamur. Si quis, ex. gr. putaret nihil aliud significare esse *Patrem*, quam esse *Factorem* Filii, falso sane ac absurde diceret: credo in Deum *Patrem*, et in ejus Filium J. C.

109. **Nota** III.° Esse *per se* non tantum rei convenit subsistenti, sed cuilibet etiam substantiae; verum aliter et aliter. Substantiae enim convenit quia ejus entitas talis est perfectionis, ut non indigeat inesse, seu sustentari in subjecto ut existat; hoc enim est proprium accidentium. Unde humana Christi natura hoc modo est *per se*, cum non sit accidens sed vera substantia.

Subsistentiae autem convenit esse *per se*, quatenus subsistens entitas est terminata et completa in sua perfectione substantiali, seu in existendo *per se*: ideoque non indiget aliquo termino substantiali, seu existente *per se*, ut compleatur; imo repugnat ei, ut, dum est ita terminata et completa, alius terminus tali termino adjiciatur.

Sit exemplum. Intelligimus per virtutem intelligendi, quae intellectus seu intelligentia vocatur. Haec virtus seu intellectus debet compleri quodam actu seu determinatione ejusdem ordinis, ut fiat intellectio. Ipse utique intellectus intelligit, sed nonnisi determinatus et completus intellectione, quae dimanat ab ipsa intelligendi virtute, et est ultimum ejus complementum in ratione seu perfectione intelligendi. Jam vero hujusmodi complementum est perfectio positiva, licet illud quaedam comitetur negatio; nam posito quod intellectus sit actuatus et terminatus, nequit jam in eo ordine actuari et terminari, ita ut fiat actus ipsius actus, terminus ipsius termini.

Sensus ergo theseos est; illud complementum, vi cujus substantia aliqua dicitur subsistere, non est mera negatio. Ita Suarez, Valentia, *(De Incarn.* Disp. I, q. IV, p. 2.)

110. Prob. 1.° Complementum alicujus perfectionis debet esse ejusdem ordinis. Sed subsistentia est complementum perfectionis positivae: ergo subsistentia est perfectio positiva.

Major est aperta: nemo enim putabit visionem compleri formaliter per auditionem, intellectionem per volitionem.

Min. prob. Subsistentia est ultimum complementum substantiae seu existendi *per se*, ut docet D. Thomas (1): «Hypostasis sig»nificat substantiam particularem, non quocumque modo, sed prout »est in suo complemento.» Sed existere *per se* est perfectio positiva; etenim aliter perfectius esset accidens quam substantia; ergo subsistentia est complementum...

(1) P. 3, q. 2, a. 3, ad 2.m

Confirm. eadem *major*. Eatenus completur et perficitur natura humana a Verbo, quatenus eidem Verbum unitur (fiunt *unum*) secundum subsistentiam seu hypostasim. Sed talis unio est substantialis, ut supra vidimus, et Lateranensis docet, (Thes. XXI): ergo subsistentia est complementum substantiae, et quidem ultimum in hoc ordine, quia per illam fit incommunicabilis.

111. Prob. 2.° Christus est vere et proprie persona, seu subsistens in natura rationali, per *positivam* perfectionem a natura distinctam: item, Deus est tres Personae, seu vere subsistens, per *positivas* proprietates non essentiales, aliquatenus a natura divina distinctas, prout fert simplicitas divina. Ex quo arguitur: si ratio personae, formaliter sumptae, in negatione quae naturae adjicitur consistit; verius erit Christum non esse personam, Deumque non esse tres Personas, quam esse. Sed hoc est absurdum: ergo non fit per negationem constitutio personae.

Prob. *min.* Si ratio personae completur per negationem naturae adjectam, non convenit Deo et Christo, nisi aequivoce; nihil enim est adeo diversum quemadmodum perfectio positiva et negativa. Sed quae de aliquo aequivoce dicuntur, verius est illi non convenire, quam è contra: verius est, ex. gr., idolum non esse Deum, pulchrum juvenem non esse angelum, leonem non esse regem, Deum non irasci: etc. Ergo si ratio personae formaliter...

112. Prob. 3.° Impossibile est conferri effectum formalem per negationem formae; ut ignarum efficere per sapientiam, nigrum per albedinem. Ergo repugnat efficere effectum formaliter negativum per formam positivam. Subsumo: Atqui natura humana Chris»ti vere subsistit; «Christi duas naturas praedicamus... ex quibus »et in quibus etiam post admirabilem unionem subsistit,» (Constan. Oecum. VI. act. 4); item Hispal. II, can. 13: subsistit autem per ipsam Verbi Subsistentiam, ideoque per formam positivam. Ergo habemus effectum formaliter negativum causatum per formam positivam: ergo ratio formalis subsistendi nequit compleri per negationem.

Dices, forsan, ad hoc vitandum absurdum: Verbum divinum est quidem proprietas positiva, Subsistentia formaliter positiva: verum involvit quoque negationem, nempe incommunicabilitatem cum Patre et Spiritu Sancto, ita ut nec terminetur, nec terminari possit per aliam personam creatam, vel increatam. Proinde, licet humana natura in Christo subsistat per Verbum, non tamen quatenus Verbum est proprietas positiva, sed quatenus involvit illam negatio-

(1) P. 3, q. 2, a. 3, ad 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nem: ideoque effectus negativus non causatur formaliter per formam positivam.

Resp. quod hic secundus error sit pejor priore. Verbum divinum est formaliter persona, seu subsistit in natura divina, non per illam solam negationem communicabilitatis, sed per ipsam *positivam* proprietatem relativam qua constituitur in esse personae; nam personae divinae *qua personae* sunt, et non aliter, sunt *res realiter* distinctae et positivae. Si ergo natura divina subsistit per proprietatem Verbi et natura humana Christi solum per negationem, sequitur naturam divinam et humanam non esse *unum* in Subsistentia, ideoque in Persona differre. Vides errorem manifestum?

113. Praeterea notanda est alia contradictio, aliusque error. Dicunt, illam negationem constitutivam personae excludere adjectionem perfectionis *majoris;* tunc enim, ajunt, aufertur totalitas propria. Jam vero, Persona divina non constituitur tali negatione, sed per oppositionem cum perfectione *aequali* alterius personae: sequitur igitur, si concedamus eam personae et subsistentiae notionem quam AA. isti defendunt, personas divinas non opponi ad invicem *quatenus personae* sunt et subsistentes. Quid autem inde sequatur apertissimum est: nempe, idem et unum esse in ratione personae. Imo, non ne fateri oportebit ipsam divinam Naturam esse unam, perfectam et absolutam personam!

Nam licet communicetur et terminetur personis relativis (nos quidem esse personas veras supponimus, et nemo negare potest) non sunt Personae majoris, quam Natura, perfectionis. Ergo per hanc communicationem non amittit Natura divina suam *totalitatem*... ergo...

114. Prob. 4.° Natura humana Christi prius (prioritate naturae) extitit quam fuisset a Verbo divino assumpta (1): «Sicut illud quod »movetur localiter praeintelligitur ipsi motui.» Quam Angelici Doctoris doctrinam commentans Suarezius ait: «Quod as»sumitur supponitur assumptioni: quae doctrina est valde notanda »in hac materia; quam adeo per se notam D. Thomas existi»mavit, ut nulla probatione, sed sola terminorum explicatione in»digere putaverit.»

Atqui quod supponitur assumptioni supponitur non assumptum, non unitum, ut per se patet: ergo supponitur subsistens et persona, si ex mera negatione ratio subsistentiae seu personae completur. Ergo generativa B. Virginis actio terminata esset ad personam a Persona Verbi diversam.

Dices: retorqueo argumentum. Prius, prioritate naturae, extitit

(1) Summ. p. 3, q. 4, a. 2.

humanitas Christi quam assumeretur; «nam quod assumitur prae»intelligitur assumptioni.» Atqui quod supponitur assumptioni supponitur non assumptum; ergo actio generativa B. Virginis non est terminata ad personam Verbi, et ideo non erit Mater Dei.

Resp. Quamvis natura Christi supponatur assumptioni, seu non assumpta, tamen exigit ab intrinseco subsistere seu terminari.

Jam vero hanc exigentiam complevit Verbum Divinum uniens sibi, seu assumens illam naturam, eidemque communicans suam positivam Subsistentiam in eodem temporis momento.

Proinde negatur quod actio generativa B. Virginis non sit terminata ad Divinum Verbum.

In opposita autem sententia contrarium plane accideret. Nam semel completa et constituta persona, natura non amplius exigit compleri et terminari: imo potius excludit et repellit aliam terminationem seu subsistentiam; ita ut censeat D. Thomas, non sine corruptione aliqua posse naturam a priori subsistentia exui. «Si anima, ait, aliquando habuisset propriam subsisten»tiam sine Verbo, cum fuisset a Verbo assumpta, vel non esset »unio secundum subsistentiam, vel corrupta fuisset subsistentia »animae praeexistens.» (Q. 6, a. 3.)

115. Obj. 1.° Si substantiae subsistenti, seu completae in existendo per se, adjiciatur alia perfectio in eo ordine; illud prius complementum non erit *ultimum*, etiamsi permaneat: è contra, si fingamus auferri illud adjectum complementum, prius rursus evadet *ultimum*, ac proinde vi illius erit substantia vere subsistens, seu persona. Ergo patet, per solam negationem compleri rationem personae seu subsistentiae.

Resp. Nego suppositum vere fictum et absurdum. Supponis substantiae completae in existendo *per se*, adjici complementum in eodem ordine: ergo est capax hujus complementi; ergo neque est ultimo completa, neque subsistens. Sane, ejusmodi complementum talis est naturae ut reddat substantiam *incommunicabilem;* repugnat enim in eo ordine et respectu rem compleri, in quo est ultimo completa. Hac de causa D. Thomas (loc cit.) necessum esse affirmat, quod sit pluralitas personarum, vel quod prior persona corrumpatur, si res subsistens aliam subsistentiam assumat.

116. Obj. 2.° Dicunt PP. nullum defectum esse in Christo, nullam desiderari perfectionem. Ergo nequit esse aliquid positivum naturae humanae personalitas seu subsistentia.

Resp. Dist. cum D. Thoma (1): nullus est defectus, nulla deest perfectio, quae pertineat ad perfectionem naturae; concedo:

(1) Q. 4, a. 2, ad 2.m

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

quae pertineat ad personam: subdist. Quatenus quaelibet perfectio spectans ad personam, continetur in eminentiore perfectione Verbi, conc. Quatenus *formaliter* sit in Christo ipsa perfectio personalis naturae humanae; nego. «Neque enim adjectionem personae vel »subsistentiae Sancta Trinitas suscepit,» ita Conc. Oecum. V. Et D. Thomas (Q. 16, a. 12.) «Hoc est proprium homini Chris»to, quod persona subsistens in humana natura ejus non sit causa»ta ex principiis humanae naturae, sed sit aeterna.» Quae verba perpendas videasque, utrum negationes indigeant efficientia et principiis!

117. Obj. 3.° Subsistentia seu hypostasis, formaliter sumpta, nullam importat negationem, etiamsi *sola ratione* a natura distinguatur. Ergo incassum urgentur praedicta argumenta, ratione talis negationis, adversus opinionem quae tenet; *subsistentiam non esse perfectionem aliquam positivam realem naturae superadditam. Ant.* prob. Persona rite definitur; *naturae rationalis individua substantia.* Atqui quod substantia sit *individua* nullam formaliter importat negationem: ergo. *Minorem* ostendunt ex *individui* definitione: «*Individuum enim nihil aliud est, nisi ipsum esse rei, ut illud in se indivisum est, et divisum seu distinctum ab omni alio.*» Atqui distinctio unius ab alio per aliquid positivum est; negatio autem solum est quid consequens: et certe, idem omnino, quod est principium essendi, est simul principium distinguendi, ut patet in differentiis specificis, quarum proprium est, constituendo distinguere: ergo quod substantia sit individua nullam indicat negationem.

Horum conceptum illationem, seu potius seriem exscripsi, ut confusionis, contradictionis et falsae opinionis patescat origo. Ratio nem substantiae primae, substantiae individuae, personae, hypostasis, (idem haec esse putant) non nisi negatione aliqua favente sibi aliqui confingunt; deinde quia argumentis punguntur, quae ex ea negatione nascuntur, in eam ingrati insurgunt, et exulare et abscondi jubent.

Resp. Dist. *minorem* ultimi syllogismi in qua est fallacia, et tota errandi occasio. Distinctio unius ab alio per aliquid positivum est *fundamentaliter;* conc. Est per positivum aliquid *formaliter;* nego.

Quod quidem ut intelligatur, parum est allaborandum; sufficit *distinctionis* descriptio quam ipse arguens tradit. «Quodlibet ens »ab alio distinguitur, eo quod aliquid est aut habet, quod aliud »non est, aut non habet.» Quaero autem: Non ne definitio exhibet formam rei? Numquid in hac tua definitione non ponis *negationem* tamquam differentiam? Res quidem patet: non enim potes sistere in iis verbis tantum; «Quodlibet ens ab alio distinguitur, *ex eo quod aliquid est.*» Nam ex eo quod *aliquid est*, potest dici *idem* vel *distinctum;* dicitur *idem,* si secum conferatur: et dicetur *distinctum,* si conferatur cum alio. Necessum habes adjicere: «Quod aliud non »est aut non habet.» En igitur *negationem,* ecce *formalem* distinctionem.

Vere sane dicitur: «Quod est principium essendi, est simul principium distinguendi.» Verum, quid hoc ad rem? Numquid quaestio est de *principio* distinctionis, et non de ipsa *formali* distinctione? Vis ne quoque ut confundamus *ipsum esse cum principio essendi?*

118. Auctor ille, qui definit personam: «Naturae rationalis individua substantia;» notionem deinde *individui* sic evolvit: «Nihil »simpliciter individuum est, a quo non est *exclusa* quaecumque »communitas τοῦ esse cum alia re.» Quid clarius dici potest, ut concedatur, negationem esse de ipso formali conceptu *individui,* ideoque, distinctionis?

Quapropter recte docet Suarez (1), nec id deberet Auctori illi displicere, quod «Distinctio ipsa *formaliter* semper in negatione »consistit.» Juvabit integrum exscribere textum, nam inde naturarum in Christo distinctionem, divinarum Personarum, et alia similia elucidabuntur. «Illud etiam est in hac distinctione observan»dum; solere distingui in positivam et negativam; quae partitio »non tam ex parte ipsius distinctionis, quam extremorum ejus data »est; distinctio enim ipsa formaliter semper in negatione consistit, »ut supra dictum est: tamen negatio haec intercedit aliquando in»ter res positivas et reales, *quarum una non est alia;* et tunc dicitur »distinctio positiva, et haec est propria distinctio realis, de qua nos »locuti sumus. Aliquando vero consideratur talis distinctio inter »ens et non ens, aut inter non entia omnino diversa; et tunc voca»tur distinctio realis negativa: quia unum illorum extremorum non »habet realitatem quam habet aliud, si ens positivum et reale sit: »vel si utrumque sit ens privativum, ut tenebrae et caecitas; quia »ita separantur et distinguuntur inter se, quod, si positivae res es»sent, realiter distinguerentur, vel certo, quia fundamenta habent »realiter distincta, in quibus suo modo esse censentur.»

Cum ait D. Thomas (2), «ad *distinctionem* non sufficere op»positionem affirmationis et negationis,» loquitur de negatione subjectiva, seu logica. Et recte: nam haec supponit, ut (ibidem) dicit, *oppositionem* objectivam, quae est ipsa distinctio, seu negatio unius de alio.

---

(1) Disp. VII, sec. 1. *Metaph.*—(2) *De Potent.* q. 10, a. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

THESIS XXVII.

Natura humana Christi habet existentiam distinctam ab existentia Verbi; non tamen completam ab intrinseco.

119. **Nota.** Ait D. Angelicus unum esse Christum «secundum esse:» id aliqui non intelligentes, inferunt, unam tantum esse in Christo existentiam. Thesis nostra est communissima inter Theologos.

Pars 1.ª prob. 1.° Concilia et Patres docent, creaturam esse et opus commune SSmae. Trinitatis humanam Christi naturam: habet ergo suam *actualem* entitatem creatam. Sed id vocamus creaturae existentiam: ergo distinguitur ab existentia Verbi, quae non est creata.

2.° Humanitas Christi, ut actualis entitas, id est, extra causas posita, praesupponitur ordine naturae assumptioni. Atqui facta unione manet utraque natura hoc quod erat, ut definivit Oecum. V. can. 8. Ergo manet cum sua propria actualitate, seu existentia.

3.° Verbum Divinum existit per suam Essentiam, cum sit ens a se. Ergo si natura humana existeret per Verbi Existentiam, existeret per Essentiam divinam. Subs. Atqui existere per Essentiam divinam est uniri immediate cum Essentia divina: ergo Verbum et humana natura unirentur secundum aliquid absolutum; quod supra rejectum est: (Thes. XXIII).

4.° Existentia non distinguitur realiter ab essentia: ergo quemadmodum Christus non potest esse homo per Essentiam divinam, ita neque existere potest, qua homo, per Existentiam divinam. V. Suarez. *Metaph.* D. 31, S. VI; et Vazquezium, D. 72, in 3.ᵐ p. cap. 2. Item: Valentiam (1), etc. Kleutgen (2).

Prob. 2.ª pars. Existentia, quae non est per se complete independenter ab alio, non est perfecta ab intrinseco. Atqui talis est existentia naturae humanae Christi, cum sit per se, seu subsistens, per Verbum divinum (3): Ergo.

120. **Coroll.** Ex dictis intelligi potest, quo sensu a D. Thoma dicatur, Dominum Jesum Christum habere tantum *unum esse:* loquitur enim de *esse perfecto*. Nam licet esse Verbi sit simplex et perfectum, tamen esse humanae naturae non est perfectum nisi quatenus *unum esse* compositum efformat cum divino Verbo. Itaque sine causa dicunt nonnulli AA. retractasse hic D. Thomam quod in quaestione de *Unione Verbi Incarnati*, a. 4, aperte docet; nempe, duas esse in Christo existentias.

(1) In D. Thom. *De Deo*, Disp. I, q. 3, p. IV. — (2) Philosoph. Scholast. Tom. 3, *De essent. et Exist.* pag. 80, 88. – (3) Supra Thes. XXI.

Praeterea, quam consona sit menti D. Thomae haec explicatio ex his elucet, quae ipse tradit (1): «Unitas personae requirit »unitatem ipsius esse *completi* et personalis.»

121. Objic. 1.° Sophronius, in Syn. VI, Act. 11, ait: «In ipso et et non in se habuit humanitas existentiam *cum Verbo*.»

Resp. Illa, *cum Verbo*, non sunt Sophronii, sed arguentis (Medinae). Sophronius tantum dixit: carnem, animam et compositum utriusque, unam fuisse existentiam a Verbo assumptam, et in Verbo extitisse.

Instabis. Adjunxit Sophronius: «persona composita... esse »unum, et permanere unum individuum sortitur;... esse unum »sortitur natura duplex.»

Resp. Esse personale et perfectum: concedo: aliter, nego.

Objic. 2.° Substantia quae existit, etiam subsistit: ergo si fuerit duplex existentia, etiam duplex subsistentia.

Resp. Dist. *antec.* Etiam subsistit naturaliter; concedo. Absolute et necessario; subdist. Vel actu et complete, vel aptitudinaliter et incomplete; concedo. Actu et complete; nego.

SCHOLION.

122. De mente D. Thomae in hac quaestione, disputant AA.: verum abstinebimus ab ejusmodi lite, et satius videtur exscribere, quae ad rem praesentem habet Vazquezius (3). «Quod supe»rest, mentem S. Thomae in hac re explicemus; quem Docto»res prioris sententiae pro se adducunt, quibus nullo modo favere »existimamus. Atque in primis praemittendum est, ex discipulis et »familia ipsius Paludanum, loco citato, dixisse; posteriorem »sententiam, quam secuti sumus, potius esse S. Thomae, quam »priorem: eam enim plane docuit, *quodlib.* 9, a. 3; et in *Quaestione. »Disput. de virtutibus;* ibi enim (a. 4) plane affirmat; Christo unum »solum esse integrum, et (ut vocant) totale tribui debere, duo au»tem esse secundum quid, propter duas naturas: ex quo infert, na»turam humanam non habere in Christo proprium *esse simpliciter* »quia non est per se, sed in Verbo. Quocirca in illo articulo compa»rat esse totius hypostasis cum esse totius entis naturalis; in quo »sunt diversae partes, quarum quaelibet si separetur, incipit habe-

(1) Q. 19, a. 1, ad 4. – (2) Syn. VI, Act. 11. — (3) In 3, p.ᵐ, Disp. LXXI, c. 3.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»re esse: non quia antea non haberet aliquod esse proprium, sed »quia illud esse quod habeat in toto, non dicebatur *esse simpliciter* »sed esse partis. Neque vero in hoc praesenti articulo quidquam »contra hanc sententiam docet: quin imo si conferatur cum prae»dictis articulis, plane constabit idem in eo omnino sensisse. Qua»re ego non video, qua ratione, aut quibus verbis nixus Cajeta»nus, in hoc articulo dixerit, Doctorem sanctum posteriorem »hanc nostram sententiam, quam in illo *Quodlibeto*, et in *Disputata* »illa quaestione fuerat secutus, retractasse in hoc articulo; cum fere »eisdem verbis, et exemplis utatur. His omnibus, in confirmatio»nem nostrae sententiae, addi potest id, quod ipse S. Thomas »docet (1): nempe, esse non posse separari a forma, sicut nec ro»tunditatem a circulo. Nam quod respondet Cajetanus, in hoc »art. ad 8.^m argumentum Scoti, videlicet, ibi loqui S. Tho»mam, de potentia causarum naturalium creatarum, non tamen »de potentia absoluta Dei (quasi id facere possit Deus, circulum »absque rotunditate!), parum habet momenti; id enim dixit S. Doc»tor, ut ostenderet, Angelum non esse corruptibilem, ex eo quod »esse ejus non potest ab eo separari, sicut neque esse a forma sepa»rari potest: quod si aliquo modo separari posset, saltem per poten»tiam Dei, diceret procul dubio, eo modo esse a Deo corruptibilem »Angelum, ac proinde concederet, assumi posse ejus naturam a »Deo ad idem esse existentiae, quia eo ipso amitteret suum esse, ac »proinde corrumperetur. Quo circa in solutione tertii (argum.) ea »solum ratione dicit Angelum posse a Deo in nihilum redigi, quia »potest a Deo non conservari, non dixit quia *esse illius potest ab eo* »*separari;* sed quia, cum pendeat a Deo, potest ab eo non conserva»ri, ac proinde in nihilum decidere.»

THESIS XXVIII.

Persona Christi *in recto*, seu ut subsistentia, est simplex; in obliquo autem, seu ut significans naturam, est composita.

123. Prima pars ex se patet.

Prob. 2.ª pars 1.° Agatho pp. in Ep. dogmat. ad Imperatores: «Differentiam naturarum... discernimus ex quibus est »compositus» Christus.

2.° Sophronius (2): «Quae extat persona composita ex in»confuso constans temperamento... est unum et duo: unum secun»dum subsistentiam, duo vero secundum ipsas naturas.»

(1) P. 1, q. 50, a. 5. (2) Syn. VI, Act. 11.

3.° Natura aliquo modo spectat ad definitionem seu constitutionem personae; ut patet ex praenotatis (in Thes. XXI). Ergo si natura non est una et simplex, sed duplex et composita, persona quoque composita dicenda est.

124. Obj. Compositum est quod coalescit ex partibus; sed natura divina non potest esse pars. Ergo neque persona Christi dici valet composita.

Resp. dist. *min.* Quatenus pars est quippiam relative imperfectum; conc. *min.* Quatenus pars est aliquid conveniens in unum; nego. Scilicet, omnis pars, in creatis, fert secum communiter aliquam imperfectionem, quia illud in quod partes conveniunt est perfectius iisdem: cum autem ratio compositi possit ab ista abstrahi imperfectione componentium, nihil obstat quominus Persona Christi composita sit et dicatur. (V. D. Thom. P. 3, .q 2, a. 4.)

SCHOLION.

125. Quae sint in hac Christi compositione extrema componentia, facile intelligitur. *Immediata* sunt Verbum et humanitas: mediatum autem Divinitas, quae per Verbum humanitati unitur.

Hinc patet, quomodo Persona Christi dici humana potest; non quidem materialiter seu in *recto;* sed formaliter seu in *obliquo*, quatenus est persona seu subsistentia naturae humanae.

Item: Persona Verbi non facit compositum cum natura humana, tamquam modus ejus vel accidens; sed tamquam purus *terminus perficiens*. Ideo, neque sustentat naturam humanam ut *subjectum ejus*, neque per modum agentis, actione quicquam in ea efficiens; sed ut complens defectum, sine quo non posset naturaliter esse, scilicet, sine subsistentia.

THESIS XXIX.

Christus Dominus dicendus *unus et unum.*

126. Propositio est de fide, et errori opponitur Nestorianorum.

Prob. 1.° Syn. Oecum. III, can 3. «Si quis in uno (τοῦ »ἑνὸς) Christo dividit substantias, (nempe ὑποστάσεις, subsistentias)... »anath. sit.»

Item, Chalced. Oecum. IV. «Sequentes SS. PP., unum »(ἕνα) eumdemque confiteri Filium et Dominum N. J. C. omnes do»cemus.»

Et Syn. Oecum. V, can. 3. «Si quis dicit alium esse »Deum Verbum, et alium Christum... vel in ipso esse alterum cum »altero (ἄλλον ἐν ἄλλῳ), et non unum (ἕνα), eumdemque Dominum N. »J. Christum, Dei Verbum.., Anath. sit.»

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Prob. 2.° In Symb. Athanasii: «Non duo tamen. sed unus »est Christus... Unus omnino, non confusione substantiae, sed uni»tate personae.»

Gregorius Naz. in ep. *ad Cledon*. «Aliud quidem et aliud »ea ex quibus est Christus... non autem alius et alius, absit: haec »enim ambo unum τὰ γὰρ ἀμφότερα ἕν.

3.° Si duo esset Christus, id propter duas esset naturas. Sed hoc non sufficit; ergo dici nequit duo.

Prob. *min*. Naturae sunt duae in abstracto tantum. Sed cum dicitur Christus, naturae significantur in concreto: ergo non sufficit ut Christus dicatur duo, quod duae sint naturae.

Maj. patet. Cum naturae dicuntur in concreto (homo, Deus), significatur suppositum. Sed suppositum est unum tantum: ergo naturae...

Obj. Plures PP. cum D. Thoma (1) dicunt, Christum esse *aliud* et *aliud*. Sed *aliud* et *aliud* sunt duo; ergo non unus et unum dicendus.

Resp. Dist. *min*. Sunt duo in puris creaturis; concedo. In Christo, nego. Nam in Christo sunt duae naturae in uno supposito. (V. D. Th. q. 17, a. 1.

ARTICULUS IV.

De consequentibus Christi unitatem.

THESIS XXX.

De duabus Christi naturis in concreto sumptis (Deus, homo.) potest fieri mutua praedicatio et possunt mutuo earumdem proprietates in concreto praedicari.

127. Propositio est de fide.

Nota I.° Haec mutua proprietatum praedicatio vocatur *Communicatio idiomatum;* ex voce ἴδιος; proprius. In hac re multipliciter errarunt haeretici, pro varietate suorum errorum, uti notant D. Thomas (2) et Suarez (3). a) Aliqui dixerunt esse hominem per similitudinem, ut Manichaei: sicut cuprum figuratum dicitur homo. Sic loquebantur putantes, phantasticam esse humanitatem Christi. b) Alii dicebant esse hominem, vel Deum, ratione partium

(1) Q. 2, a. 3, ad 1.—(2) Ibid.—(3) Disp. 35, *De Incarn.*

tantum; quia ponebant naturas ut partes tantum, sine unitate. (c Quidam negabant veritatem ex parte Dei; ideo dicebant Christum Deum per participationem, seu gratiam. d) Aliqui concedunt quidem veritatem utriusque termini. sed negant veritatem praedicationis: quia ponunt tantum conjunctionem moralem. *dignitatis*, *auctoritatis*, *affectionis*, etc. id est, accidentalem. Isti, proinde, duas hypostases fingebant.

II. Ut de veritate alicujus locutionis judicemus, duae regulae prae oculis habendae. 1.ª regula: nisi aliter constet, ex praedicato cognoscitur quomodo supponit (loquimur de *Suppositione logica*) subjectum. Ex. gr. Homo est ens: homo est species. Deus est omnipotens: Deus est nomen. 2.ª regula: voces accipiendae ut nummi, id est, juxta valorem et aestimationem: haec autem a Conciliis et SS. PP. potissimum intelligenda in rebus fidei.

III. Quidam sentiunt nomina concreta significare *in recto* naturam, *in obliquo* autem personalitatem: sic Arriaga. (Tom. I, d. 54).

Alii vero putant utrumque directe significari. Alii è contra, existimant personam *in recto* notari, et *in obliquo* naturam: ita D. Thomas, et quidem juxta 11.ᵐ Reg. supra traditam. Tamen haec D. Thomae sententia aliquibus subjacet exceptionibus propter haereticorum abusus.

128. Prob. thesis 1.° In Ephesina Syn. can. 5. definitur: «Si quis audeat dicere, hominem Christum theophorum, id est, »Deum ferentem, ac non potius Deum esse veraciter dixerit, anath. «sit.» Item in can. 1. «Sanctam Virginem esse Θεοτόκον, id est, Dei »genitricem et genuisse Dei Verbum.» Et in can. 12. «Si quis non »confitetur Dei Verbum passum carne, et crucifixum... sicut est »vita et vivificator ut Deus.» ...Similiter alia loquuntur Concilia.

2.° Joan (1): *Verbum caro factum est et habitavit in nobis*. Jam vero *esse carnem* et *habitare in nobis*, ratione humanitatis, ei conveniebat. Item, (2) vocat Joannes Christum. *Vitam aeternam. Verum Filium Dei, Deum verum*. Et Thomas (3) *Dixit ei* (quem vidit, tetigit et palpavit): *Dominus meus, et Deus meus*.

129. 3.° Gregorius Nys., *ep. ad Theophil*. «Propter exac»tam unitionem... mutuo transferuntur vocabula, ut humanum »ex divino et divinum ex humano denominetur.»

Damascenus (4). «Deus suscepit ea quae sunt carnis idioma»ta, dum Deus passibilis nominatur, et Deus gloriae crucifixus est.»

Similia profert Augustinus (5).

(1) I, 14.—(2) I Jo. I, V.—(3) Jo. XX, 28.—(4) L. 3, c. 4, 6. — (5) *Cont. Serm. Arianor.* c. 8.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

4.° Ratione. De quolibet supposito vere praedicatur in concreto natura, in qua subsistit, et quaelibet ejusdem proprietas; ut Plato est homo, est mortalis etc. Atqui suppositum divinum subsistit in natura divina et humana: ergo de supposito divino, significato per nomen Deus, in propositione, «*Deus est homo.*» vere praedicatur quod est homo, passibilis etc; et de supposito divino significato in propositione, «*Homo est Deus.*» vere praedicatur quod sit Deus, dans vitam aeternam, aeternus, etc.

130. Objic. 1.° Repugnat quod de eodem opposita praedicentur. Atqui Deitati et humanitati prorsus oppositae conveniunt proprietates: ergo de Christo nequeunt affirmari.

Resp. Dist. *maj.* Quod praedicentur secundum eamdem rationem; conc. Secundum rationem diversam; nego.

Objic. 2.° Nequeunt tribui Deo defectus; ergo nequit homo vel proprietas hominis de Deo praedicari.

Resp. Dist. *antec.* Secundum deitatem; conc. Secundum humanitatem; nego.

Objic. 3.° Christus non potest dici creatus, creatura, coepisse in tempore, etc. Ergo non datur communicatio idiomatum.

Resp. Dist. *antec.* Per se, seu logice, non potest dici creatus, etc. nego: per accidens, seu, ne suspicionem erroris Arriani praebeamus; conc.

THESIS XXXI.

De naturis earumque proprietatibus, in abstracto sumptis (sive in subjecto, sive in praedicato), non datur idiomatum communicatio: neque de concretis reduplicative intellectis.

131. **Nota.** Sensus primae partis est; non posse dici, ex. gr. Deitas est humanitas, vel est homo; Deus est humanitas, vel homo est Deitas. Sensus secundae partis est; non est dicendum: homo, qua talis, est Deus: Deus, qua Deus, est homo vel mortalis.

Prima pars prob. 1.° In conc. Hispaniarum et Lusitaniae, contra Priscillianistas, jussu Leonis celebrato, (a. 447) definitur: «Si quis dixerit Deitatem Christi... passibilem, anath. sit.»

2.° Damascenus, (1). «Deitatem dicentes non nominamus »de ea quae humanitatis idiomata sunt; non enim dicimus deitatem »possibilem vel creabilem.»

(1) L. 3, c. 4.

3.° Nequeunt praedicari invicem quae non habent identitatem. Sed naturae earumque proprietates, in abstracto, non habent identitatem: ergo.

Major est logice evidens. *Minor*, est de fide ex multis Conciliis Oecum., quorum doctrinam breviter tradidit Lateran. sub Martino I. Can. 7. «Si quis non confitetur, proprie et secundum »veritatem, substantialem differentiam naturarum inconfuse et in»divise in Christo servatam; anath. sit.»

132. Pars. 2.ª prob. 1.° Synod. Oecum. IV. sub Damaso; can. 14. «Si quis dixerit quod dolorem sustinebat Filius Dei »Deus, et non caro cum anima, qua induerat formam servi; anath. »sit.»

2.° Concretum reduplicative sumptum supponit pro abstracto: atqui de abstractis nequit mutua fieri praedicatio. Ergo. *Minor* patet ex prima parte.

Objic. Christus dicitur Dei virtus et sapientia; item, Deus est Deitas, ideoque et Christus poterit Deitas dici.

Resp. Dist. Haec sunt vera, ratione materiae; conc. Logice, seu ratione formae; nego. Videlicet in divinis, propter summam simplicitatem, concretum et abstractum identificantur.

Vide D. Thomam, 3. p. q. 16, ubi rem hanc fuse et multis adhibitis evolvit exemplis.

ARTICULUS V.

De hypostatica unione secundum se.

THESIS XXXII.

Unio humanae naturae ad Verbum divinum distinguitur realiter ab extremis, et est quiddam creatum.

133. **Nota:** id defendimus cum Suarezio, aliisque pluribus DD. adversus Gonet, aliosque. Non tamen illam realem intelligimus distinctionem quae inter *rem* et *rem* existit, sed, quae inter *rem et modum realem* ejusdem, locum habet. De hac autem reali et modali distinctione consulas Doctorem Eximium, qui in *Metaphysica*, (1) totam rem clare et solide explicat et demonstrat.

1.° Ex D. Thomae doctrina (2) thesim probamus. «Quod

(1) Disp. VII, Sec. 1.—(2) Q. 2, a. 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»nascitur ex mutatione creaturae,» distinguitur a creatura; «quod »non est realiter in Deo,» distinguitur a Deo. Atqui talis est unio Verbi cum humana natura; ibid. in corpore articuli: ergo distinguitur realiter ab extremis.

Confirm. Id cujus esse dependet a creatura, ut a subjecto, distinguitur a Deo et a creatura. Atqui creatura (humanitas) est subjectum a quo dependet unio, (ibid. ad 2.m); ergo. *Major* est evidens; nec enim potest Deus pendere a creatura, neque potest haec se ipsam praesupponere.

134. 2.° Incarnatio involvit necessario veram et realem actionem: ergo huic actioni respondet terminus proprius et intrinsecus. Subs. Sed hic terminus nec est humanitas nec Verbum: ergo est unio, ut quid distinctum ab utroque.

Antec. est certum: *Verbum caro factum est;* fieri autem et facere importat actionem; insuper, Incarnatio est opus ad extra et commune toti Trinitati, ut infra dicetur. Sed repugnat opus reale ad extra, sine actione similiter reali ad extra; ergo incarnatio reali efficitur actione.

Min. subsumpta est aperta: Verbum enim non fit per actionem incarnativam: Humanitas autem Christi utique fit, seu creatur; attamen non per illam actionem, sed prius natura quam fiat Incarnatio, et cum indifferentia intrinseca ad terminandam unionem cum Verbo. Ergo terminus intrinsecus propriusque actionis incarnativae, id est, unitivae Humanitatis cum Verbo, est aliquid aliud distinctum realiter ab Humanitate et Verbo.

3.° Quae possunt realiter separari, realiter distinguuntur. Sed unio potest realiter separari a Verbo et humanitate; poterat enim illa Christi humanitas existere absque unione cum Verbo: ergo...

135. 2.ª Pars ex 1.ª facile deducitur. Si enim unio Verbi cum Humanitate distinguitur realiter ab ipso Verbo, necessario est quid creatum.

Conf. Quod est aliquid, et non est aeternum, est quid creatum. Atqui unio Verbi cum Humanitate est aliquid, et non est aeternum: ergo et creatum.

D. Thomas claram exhibet rationem (1): «Omnis relatio quae »intercedit inter Deum et creaturam, realiter quidem est in crea»tura, per cujus mutationem talis relatio innascitur: non autem est »realiter in Deo, sed secundum rationem tantum; in humana autem »natura, quae creatura quaedam est, realiter est. Et ideo oportet di»cere quod sit quid creatum.»

136. Obj. 1.° Ait Gonet: Humanitas est indifferens ad unionem: ergo indiget alio modo ut recipiat unionem; de illo autem modo idem dicemus, unde habebimus processum infinitum.

(1) P. 3, q. 2, a. 77.

Resp. Licet Humanitas (et Verbum quoque) sit indifferens ad unionem, unio non est indifferens ad Humanitatem, sed per se ipsam unit: ideo, concesso *antec.* nego *conseq.*

Obj. 2.° Sufficit ad Incarnationem actio unitiva, vel unitio, vel passio. Ergo non requiritur unio modalis realis.

Resp. Haec et alia quaelibet, quae dicas et fingas, vel sunt ipsum solum Verbi et Humanitatis complexum, vel non. Si primum dicas; ergo Verbi et Humanitatis complexum non est indifferens ad unionem, seu Incarnationem: quod quidem est plane falsum. Si aliud autem concedas, quaero: illud quod vocas *actionem unitivam* vel *unitionem*, vel *passionem*, etc. suntne ipsa formalis unio Verbi et Humanitatis? Vel sunt aliquid cum eadem formali unione connexum, seu inferens unionem? Si 1.m concedas, fateris unionem formalem esse distinctam realiter a Verbo et Humanitate. Si autem secundum dederis; sequitur quod praeter complexum Humanitatis et Verbi, et praeter *actionem unitivam*, *unitionem*, etc. datur aliquid tertium quod sit ipsa *unio formalis:* nam, ut dictum est, solum complexum Verbi et Humanitatis non est unio, seu Incarnatio. Ideoque, nego vel permitto *antecedens*, et nego *conseq.*

137. Obj. 3.° Ad actus liberos Dei non requiritur aliqua actualis et realis entitas voluntati divinae superaddita et ab eadem distincta: ergo neque ad unionem Verbi cum Humanitate est necessaria aliqua modalis entitas distincta.

Resp. Concesso *antecedente*, (licet aliqui insignes theologi illud negaverint) nego *consequentiam* et paritatem. Imo, ex illo *antecedenti* potius deberent adversarii nostram inferre thesim et amplecti. Nam, quam ob causam tale ac tantum docent Theologi (communiter) mysterium? quod, nempe, absque ulla reali mutatione liberos Deus eliciat actus! Non quidem hoc dicunt ex solo opinandi vel philosophandi libitu, vel solius rationis ductu; sed fidei doctrina constricti, quae Deum simplicissimum, infinitum in omni actualitate, ac liberrimum tamen esse docet. Etenim Deus hoc habet jus, ut in obsequium illius *omnem captivemus intellectum* (2 Cor. X, 5): theologi autem non mysteria fingendi munus susceperunt, sed potius difficultates, quoad fieri possit, dissipandi. Quanta autem sit inter mysterium de libertate Dei et mysterium unionis hypostaticae disparitas, nemo non videt. Actus liberi in Deo sunt immanentes, id est, tamquam in principio et subjecto; unio quidem hypostatica est in humanitate tamquam subjecto, Verbum autem divinum respicit ut terminum. Jam vero numquid mutationi verae et propriae non subjicitur humanitas? Numquid et ipsa est sim-

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

plicissima, immutabilis, et actus purus? Insuper actus divinae libertatis sunt aeterni et increati: at Incarnatio, seu unio Humanitatis cum Verbo, est aliquid in tempore effectum, actione propia et ad extra trium divinarum Personarum. Numquid potest aliquid fieri in tempore absque ulla nova, reali et temporali entitate? Praeterea: Deus nulla accrescit perfectione, actus suos liberos eliciendo; quemadmodum enim ex se summe esset in actu, licet nullos actus elicuisset liberos, ita et summe perfectus. Verum humanitas Christi, è contra; per ipsam formalem unionem hypostaticam evecta est ad summam quamdam supernaturalem perfectionem, longe superantem quamlibet aliam creatam. Potestne tanta concipi in humanitate perfectio, quin ea ullo modo intime et realiter immutetur?

138. Obj. 4.° Verbum *per se* humanitatem perficit, *immediate* eidem unitur: ergo nihil entitatis concipi potest inter Verbum divinum et humanitatem.

Resp. dist. *antec. Per se* perficit, *immediate* unitur, ut *quod;* conc. *Ut quo;* nego. Ut hanc calleas distinctionem, perpende: si Christus non esset illi Humanitati unitus, numquid deesset quidquam Verbo *per se*? Quod si Verbum uniretur alii humanitati, Adami, ex. gr.; numquid aliquid fieret in Verbo *per se*? Nam *per se* nunc non unitur ei; tunc autem *per se*, ut dicis, uniretur: ergo *per se* Verbum esset aliud!

Similiter distinguas *consequens:* ergo nihil, *ut quod*, concipi potest, inter Verbum et Humanitatem; conc. Nihil, *ut quo;* nego.

Obj. 5.° Si unio Verbi cum humanitate modus sit positivus ac realis ab extremis distinctus, accidens quoddam erit; unde unio erit accidentalis, quod est erroneum.

Resp. Nego *ant.* Unio enim non est modus *accidentalis*, qualis est unio accidentis cum subjecto; sed *substantialis*, juxta naturam extremorum; quemadmodum unio animae cum corpore.

ARTICULUS VI.

De Christo secundum esse divinum participatum, seu de Sanctitate Humanitatis Christi.

THESIS XXXIII.

Humanitas Christi sanctificatur, sanctitate increata, per unionem cum Verbo.

139. **Nota** 1.° Supponimus esse fide notum, Christum vere sanctum esse saltem per communicationem idiomatum. «Si quis non

»confitetur, crucifixum carne Dominum Nostrum Jesum Christum »esse Deum verum et Dominum gloriae, et unum de Sancta Trini»tate; anath. sit.» (Syn. Oec. V. can. 10.)

Atqui esse Deum verum, esse Dominum gloriae, esse unum de Sancta Trinitate est formaliter esse *sanctum*. Ergo.

Christus D. ait de se ipso: *Quem Pater sanctificavit et misit...* (1).

Ergo saltem sanctitate illa, quam accepit a Patre antequam mitteretur in mundum, Christus est sanctus. Item (2), dixit Angelus Mariae: *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.*

Nota II.° Supponimus deinde, ipsam Christi Humanitatem esse in se et immediate sanctam. Sic Apostolus de Christo, ut homine, ait: *Ut nobis esset pontifex, sanctus, innocens...* (3). Et Conc. Oecum. VI. «Quemadmodum *Sanctissima* atque immaculata ani»mata ejus caro deificata, non perempta, ita et humana ejus voluntas...»

Nota III.° Dubium movent AA., an Humanitas sit sancta formaliter per ipsam Sanctitatem increatam, an solum radicaliter per efficientiam physicam et moralem. Durandus, Alvarez, Medina, etc., dicunt non sanctificari formaliter: D. Thomas, Suarez, Vazquez, Lugo... affirmant, etc.

140. Prob. 1.° Sancti PP. docent Christum unctum fuisse Divinitate, et hac de causa vocari *Christum*. Sed unctio significat sanctificationem. Ergo. *Maj.* prob. Nazianzenus (4) ait: «Chris»tus (dicitur) propter divinitatem; ea enim humanitatis unctio est, »non operatione, ut in aliis christis, sed totius unguenti praesentia »*sanctificans:* cujus hic effectus, ut id quod ungit homo vocetur, »et quod ungitur Deus fiat.» Irenaeus autem (5): «In Christi »nomine subauditur qui unxit, et ipse qui unctus est, et ipsa unc»tio, in qua unctus est. Et unxit quidem Pater, unctus est vero Fi»lius in Spiritu, qui est unctio. Quemadmodum per Isaiam ait »sermo: *Spiritus Dei super me, propter quod unxit me:* significans »et ungentem Patrem, et unctum Filium et unctionem qui est Spi»ritus.» Damascenus pariter, qui et aliorum PP. confirmat doctrina (6): «Nos vero Filium, Deique Verbum, tum demum fuis»se Christum, vocatumque esse dicimus, cum sanctae semperque »Virginis uterum inhabitando, caro citra mutationem ullam factus »est, unctaque caro fuit Divinitate. Haec namque humanitatis unc»tio extitit, ut ait Gregorius Theologus. Sanctissimus »item Alexandriae praesul Cyrillus, imperatori Theodosio scri-

(1) Jo. X, 36.—(2) Luc. I, 35.—(3) Hebr. VII, 26.—(4) Orat. 30, n. 21.—(5) L. 3, c. 18.—(6) L. 4, c. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»bens, in hunc modum loquitur: «Equidem necessarium esse arbi»tror, ut nec Verbum, quod ex Deo sine humanitate natum est; nec »rursus templum, quod ex muliere partu editum est, si Verbo uni»tum non sit, Jesum Christum nuncupemus. Etenim Verbum, quod »ex Deo est, non aliter Christus censetur, nisi quatenus per dispensa»tionis unionem, arcano modo, cum humanitate conjunctum fuit.» «Rursumque ad Imperatrices ita scribit: «Quidam Christi nomen, »Verbo soli, singulatimque in se considerato et existenti, ut a Pa»tre genitum est, convenire asserunt. Nos vero ita sentire et loqui »nequaquam edocti sumus. Nam quando Verbum factum est caro, »tum primum etiam *Christum* Jesum nominatum fuisse dicimus. »Nam quia exultationis oleo, sive Spiritu, a Deo et Patre unctus »est, eatenus Christus appellatur. Quod autem unctio in humani»tate facta sit, in dubium nemo vocabit illorum, qui recte sentire »consueverunt.» Hucusque Damascenus. Athanasius quoque ait (1): «Ego enim Verbum sum unguentum; quod autem a »me unctum est, homo est; quapropter Unctus sive Christus, sine »me, minime dicatur, sed qui mecum est, et in quo ego sum.

Minor probr. a) Unctio erat signum institutum ad res Deo consecrandas seu sanctificandas. b) Joannes, ut significaret susceptionem Sp. Sancti, dixit: (2) *Unctionem habetis a Sancto*. Angelus autem: *Ungatur Sanctus Sanctorum*, id est, ita ungetur ut sit sanctissimus. (3) c) Augustinus autem (4) ait: «Donum gratiae »visibili significatur unguento, quo baptizatos ungit Ecclesia.»

141. Prob. 2.° Gratia habitualis sanctificat formaliter, quatenus est divinae naturae quaedam participatio. Sed unio hypostatica est substantialis unio cum Divinitate, ita ut Humanitas dicatur Deificata a PP. et a Conc. Oecum. VI. Ergo etiam Humanitas Divinitate sanctificatur.

3.° Per gratiam unionis est Humanitas Christi summe grata et dilecta Deo supernaturaliter; excluditur ab ea omne peccatum; debentur illi omnes supernaturales perfectiones, quibus ad rectam et snpernaturalem operationem et beatitudinem disponatur. Sed haec constituunt sanctitatem. Ergo sancta est Humanitas Divinitatis unione.

Confirm. D. Thomas (5) docet: «Ex unione ad Verbum, »Christum non potuisse peccare et jus habuise ad gloriam.» Ergo gratia unionis facit Christum summe gratum et sanctum. Vide etiam eamdem in *Summa* doctrinam (6).

142. Obj. 1.° Quod non est forma praestare nequit effectum

(1) Orat. 4, *contr. Arian.*—(2) I Jo. II, 20. - (3) Dan. IX, 24.— (4) L. 15, *De Trinit.* c. 26.—(5) 3, dist. 13, q. 1, ad 5.^{m}—(6) Pars. 3, q. 22, a. 2, ad 3.^{m}

formalem. Sed sanctitas increata non est forma: ergo non praestat sanctitatem formalem.

Resp. Dist. *min*. Non est forma proprie dicta, id est, cum imperfectionibus propriis formae, ut ordinari ad subjectum etc. conc. Non est *quasi forma* ad praestandos eos respectus ad Deum, qui a forma sanctificante (gratia) praestantur, imo et nobiliores; nego.

Videlicet, eum *formalem* splendorem, eam specialem nobilitatem et ordinationem ad vitam aeternam, quae praestantur a gratia, non praestat Unio hypostatica; sed alium eminentiorem splendorem et nobilitatem, aliud nobilius et altius ad divinam haereditatem et ad amicitiam cum Deo ineffabile jus.

Ex his intelliges quo sensu interpretandus D. Thomas dicens, indiguisse Christum gratia habituali (1): scilicet, ne careret illa *formali* et *speciali* habitudine gratiae habitualis ad vitam aeternam et ad caetera supernaturalia dona; non autem quod illa indiguerit absolute ad sanctitatem.

Obj. 2.° Patres dicunt, Christum unctum fuisse, id est, sanctificatum fuisse Spiritu Sancto, idque dicit Scriptura: *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me* (2). Sed Spiritus Sanctus non est ei hypostaticae unitus; ergo solum unctus est Christus per gratiam sanctificantem, ut ceteri justi.

Resp. Disp. *maj*. Unctus Christus Spiritu Sancto per appropriationem; conc. Per proprietatem; nego. Etenim Spiritus Sanctus dicitur *unctio*, quemadmodum Pater dicitur ungens; non quidem quod solus Pater unxerit, cum tota Trinitas unionem hypostaticam operata sit: sic et Spiritus Sanctus dicitur *unctio*, licet Divinitate unctus fuerit Christus per unionem cum Verbo divino.

THESIS XXXIV.

Christus Dominus sanctificatus fuit gratia habituali.

143. **Nota**: certa et catholica est doctrina, imò probabilius de fide, ut censet Doctor Eximius.

Prob. 1.° In Actibus Ap. (3) dicitur: *Unxit illum Deus Spiritu Sancto et virtute*. Atqui tali unctione significat Petrus gratiam Spiritus Sancti, non ipsam divinitatem. Ergo et gratiam habuit Christus.

Min. prob. tum auctoritate S. Cyrilli, in ep. *ad Solitarios;* et Eusebii (4); tum contextu: cum enim dicit, virtute, intelligitur donum et gratia miraculorum, ut ex contextu patet: at-

(1) Q. 7, a. 1.—(2) Luc. IV, 18.—(3) X, 38.—(4) L. 4, *Demons. Evang.* c. 15.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

qui non est credendum hanc gratiae miraculorum unctionem, immediate et uno ac eodem verbo, significatam cum ipsa unctione divinitatis: ergo per illam Spiritu Sancto unctionem donum et gratiam Spiritus Sancti etiam intelligere debemus. Quod et alius parallelus locus confirmat (1).

Confirm. Dicit Joannes (2): *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis... et de plenitudine ejus nos omnes accepimus, et gratiam pro gratia.* In sensu proprio intelligenda verba Scripturae, si nihil cogat ad improprium transire. Atqui si gratia Christi sola fuit hypostatica Unio, nonnisi improprie de ejusdem plenitudine accepimus. Ergo de gratia sanctificante intelligendum.

144. 2.° Athanasius (3) ait: «Ex eo quod ipse, ut homo, »eam gratiam Spiritus Sancti accepit, factum est, ut nos illam ex »plenitudine dimanantem accepimus.» Ita et Hieronymus (4). Ambrosius etiam, (5) qui dicit: gratiam esse communem Christo et nobis. Augustinus autem (6). «Dominus ipse Jesus, non »solum Spiritum Sanctum dedit ut Deus, sed etiam accepit ut ho»mo, et propterea est plenus gratia, quia unxit eum Deus Spiritu »Sancto... dono gratiae, quod visibili significatur unguento quo »baptizatos ungit Ecclesia.»

3.° Jesus Christus est gratiae habitualis capax, et aliunde expedit valde ut eam habeat. Ergo fateri oportet illam plene accepisse.

1.ª pars *antecedentis* prob. Utraque natura in Christo manet id quod est, nempe cum suis differentiis et proprietatibus: ergo natura humana in Christo eadem capacitate donatur, ut gratiam sanctificantem suscipiat. *Ant.* patet ex thes. XX.

Confirm. Subsistentia naturalis nullatenus obstat quominus habitus quoslibet naturales natura suscipiat: ergo neque subsistentia supernaturalis impedire susceptionem habituum supernaturalium potest. Imo, subsistentia naturalis potius disponit et viam sternit ad quoslibet habitus naturales; ergo, a pari, subsistentia supernaturalis disponit ad habitus supernaturales. Cum enim subsistentia sit substantiae complementum in existendo *per se;* cumque habitus et quaelibet accidentia aliquod subjectum per se existens requirant: connaturalius est habitus naturae subsistenti inhaerere, quam non subsistenti.

145. 2.ª pars *antecedentis* prob. Expedit ut Christus, tamquam caput electorum et principium omnium actuum supernaturalium eorumdem, et tamquam persona intrinsece supernaturalis; per actus intrinsece supernaturales etiam operetur. Atqui ut connaturaliter hoc modo operetur, requiruntur habitus supernaturales in gratia radicati. Ergo plenitudine gratiae donatus fuit Christus.

(1) I Io. II, 20.—(2) I, 14, 16.—(3) Serm, 2, *contra Ar.* circa finem. (4) In cap. 3, Abac.—(5) L. de Spir. S. c. 8.—(6) *De Trin.* l. 15, c. 26.

Obj. Sola Verbi subsistentia sufficit ad sanctificandam naturam. Ergo non ei opus est gratia habituali.

Resp. dist. *antec.* Ad eam formalem sanctificationem quam praebet gratia, et connaturalem habitudinem ad actus supernaturales; nego. Ad aliam sanctificationem altioris ordinis; concedo. Etenim non est ejusdem speciei sanctitas omnis.

146. **Coroll.** Christus habuit plenitudinem gratiae, et quodammodo infinitam.

1.° Quia Christo donata fuit gratia congruenter ad suam dignitatem; aliis autem, sive Angelis, sive hominibus, congruenter ad eorum merita vel finem. Atqui dignitas Christi continet eminentissime dignitatem meritorum et finis Sanctorum omnium Ergo omnium gratia est plenissime et eminenter in Christo.

2.° Christo data est gratia, tamquam capiti et principio universali. Sed in principio universali continetur eminenter plenitudo omnium quae ab eo fluunt. Ergo data fuit Christo gratiae plenitudo.

Dicimus *quodammodo infinitam:* quia gratia Christi non fuit secundum aliquam regulam finitam mensurata, sed ex sola divina sapientia ad dignitatem Verbi respiciente.

147. Obj. Gratia infinita repugnat, vel gratia etiam omnium possibilium gratiarum maxima. Ergo gratia infinita esse in Christo nequit.

Resp. Dist. *ant.* Gratia infinita *simpliciter*, vel omnium possibilium maxima *simpliciter*, repugnat; trans. *antec.* Non enim de hac re disputare intendimus: gratia infinita *secundum quid*, id est, modo in **Coroll.** explicata, repugnat; nego *antec.* et *consequentiam.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT III.

De Jesu Christo quatenus est terminus actionis vel efficientiae

ARTICULUS I.

De Christo ut termino actionis effectivae

THESIS XXXV.

Verbi Incarnationem operata est tota Trinitas.

148. Propositio est de fide, et prob. 1.° ex Lateran. IV, cap. *Firmiter:* «Unigenitus Dei Filius J. C. a tota Trinitate communi»ter incarnatus est.»

2.° PP. Conc. Tolet. XI, in Symbolo fidei, ajunt: «Incarnationem quoque hujus Filli Dei tota Trinitas operasse cre»denda est.

3.° Incarnatio Filii Dei est quoddam opus ab ipso Deo distinctum. Sed opera Dei extrinseca sunt facta a tota Trinitate. Ergo et Incarnatio.

Maj. prob. Incarnatio facta est ex muliere, et quidem in tempore (1); item, est substantialis cum carne seu humanitate unio; ex semine David (2). Sed ejusmodi nequeunt esse idem cum Deo. Ergo Incarnatio est opus a Deo distinctum.

Min. prob. 1.° Ex Tolet. XI, in Symb. fidei. «Inse»parabilia sunt opera Trinitatis.» 2.° Ex Profes. fídei ab Innoc. III. praescripta: «Patrem, Filium et Spiritum S., unum »Deum factorem omnium visibilium et invisibilium, corporalium »et spiritualium, credimus et confitemur» (3).

4.° In tribus Personis omnia sunt unum, ubi non obviat relationis oppositio; quod «Sancta Romana Ecclesia firmiter credit;» (Bulla Eugenii IV pro *Jacobitis*). Sed productio unionis Verbi ad carnem nulli personae opponitur: ergo est tribus Personis communis.

(1) Galat. IV, 4.—(2) Rom. I, 3.—(3) Vide August. Ser. LXXI, de *Verb. Matth.* n. 27.

149. Obj. 1.° Unio Verbi cum Humanitate non est aliquid distinctum ab ipsa unitione, seu actione unitiva. Sed unio non est communis Trinitati; ergo tota Trinitas Incarnationem, seu actionem unitivam non est operata.

Resp. Nego *maj.* Etenim actio non est confundenda cum effectu seu termino ipsius.

Obj. 2.° Unio Verbi cum Humanitate nihil est ab ipso Verbo realiter distinctum: atqui Verbum divinum non est totius Trinitatis opus: ergo neque unio incarnativa.

Resp. Nego *majorem*, cujus falsitatem supra ostendimus, (Thesis. XXXII) et praesens certissima doctrina evidentiorem exhibet.

THESIS XXXVI.

Natura humana Christi a Verbo solo assumpta est.

150. **Nota.** Verbo tantum unitam fuisse humanam naturam supra ostensum est; quia vero assumptio actionem significat, et actio incarnativa fuit omnibus divinis Personis communis, dubitari potest an assumptio possit et ceteris Personis, praeter divinum Verbum, attribui.

Prob. 1.° Conc. Tolet. XI. in professione fidei dixit: «Non dicimus ut hujus Trinitatis unitatem Maria Virgo ge»nuerit, sed tantum Filium, qui solus naturam nostram in unitate personae suae *assumpsit*.»

2.° Assumere est ad se trahere, sibi unire. Atqui soli Verbo unita est humana natura, (supra Thesis XXIII): ergo.

3.° Augustinus, (2) ait.» De Filio multa sunt dicta, quia »Filius suscepit hominem, non Pater, non Spiritus Sanctus; sed »carnem Filii tota Trinitas fecit. Inseparabilia enim sunt opera »Trinitatis.»

151. Obj. Assumptio est actio quaedam circa humanam naturam. Sed actiones ad extra sunt communes toti Trinitati; ergo et assumptio.

Resp. Disp. *maj.* Inadaequate; conc. Adaequate; nego. Quod ut evidentius fiat, sequentem Thesim subjicimus.

(1) Serm. 213, c. 6.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

THESIS XXXVII.

Assumptio et unio in Incarnatione non sunt idem formaliter: quatenus assumptio est actio, differunt non solum ratione, sed etiam re.

152. Prob. 1.ª pars. Unio est quaedam relatio in tempore facta (supra, Thes. XXXII); assumptio autem significat (in recto) actionem, et (in obliquo) passionem, ex quibus ipsa unio efficitur; *ad se sumere*. Atqui relatio effecta, et actio ac passio quibus efficitur, sunt formaliter diversa. Ergo formaliter differunt assumptio et unio.

Confirm. exemplo. Vere dicitur; corpus est unitum animae, habet unionem cum anima; numquid dici potest, quod assumpsit animam? vel quod anima assumpsit corpus?

2.° Quae uniuntur, seu unione referuntur, aequaliter dicuntur unita. Atqui, è contra, quae assumptione referuntur non aequaliter dicuntur; nam alterum extremum dicitur assumens (per actionem), alterum vero assumptum (per passionem): ergo assumptio et unio formaliter discriminantur.

153. Prob. 2.° pars. Primum autem **nota**: assumptio, adaequate accepta, includit actionem assumentis, naturam assumptam, terminum ad quem assumitur, et unionem, qua assumptio completur; unde unio includitur in assumptione, ideoque haec adaequate, seu ex omni parte, non distinguitur ab illa; inadaequate autem, prout est actio, distinguitur.

Prob. 1.° Actio realiter a suo effectu distinguitur. Sed unio est effectus actionis assumentis: ergo realiter distinguitur ab assumptione.

2.° Natura assumpta unionem realem habet ad Verbum divinum. Sed actionem ad eumdem non habet: ergo quatenus assumptio est actio, realiter distinguitur ab unione.

154. **Coroll.** Ex his elucet, quare Pater et Spiritus Sanctus humanam naturam non assumpserint, licet simul cum Filio unionem effecerint et assumptionem. Assumptio enim, praeter *actionem* efficientem, aliud postulat, ut dictum est.

THESIS XXXVIII.

Christus Dominus, quatenus est quoddam compositum, nequit proprie aliquid creatum dici, sed improprie tantum.

155. Prob. 1.ª pars. Creatum proprie dicitur quod est ex nihilo. Sed Christus, ut compositum, non est ex nihilo. Ergo neque aliquid creatum.

Prob. 2.ª pars. Creatum improprie dicitur quod per veram actionem fit in tempore; quod nunc est et antea non fuit. Atqui hoc compositum, *Christus*, ita se habet. Ergo. Vide infra, Thes. XLIII.

Obj. Anima Christi est vere et proprie creata. Sed quod vere et proprie convenit animae Christi potest dici de Christo. Ergo et creatus dici potest.

Resp. Dist. *min.* Potest dici de Christo, *ut composito;* nego *min.* Potest dici de Christo secundum animam; conc. *min.*

ARTICULUS II.

De Christo ut termino generationis et relationis divinae.

THESIS XXXIX.

Christus proprio et speciali modo est Filius Dei.

156. Propositio est de fide catholica.

Prob. 1.° Ex Symbolis Nicaen. Constantinop. et Apostolico. «Credo... in Jesum Christum Filium Dei Unigenitum...» Et in Symb. S. Athanasii: «Filius a Patre solo est, non fac»tus, non creatus, sed genitus... Unus Filius, non tres Filii.»

2.° Ex SS. Literis. *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum Unigenitum daret... Qui non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei* (1). Item (2): *Proprio Filio suo non pepercit Deus.*

In proprio et literali sensu accipienda Scriptura, si ad improprium transire nihil urgeat. Atqui Filius Unigenitus significat propriam et specialem filiationem; ergo.

Vide quoque ad Hebr. 1, 5; et Joan. I, 18; et Ps. II, 7; et 2 Reg. VII, 14.

3.° PP. Synod. Antiochenae (Sec. III), in Epist. ad Paulum Samosat. «Hunc Filium genitum, Unigenitum... confitemur.» Augustinus (3) ait: «In Verbo intelligo verum Dei Filium, in »carne agnosco verum hominis filium; et utrumque simul in unam »personam Dei et hominis, ineffabili gratiae largitate, conjunctum.»

4.° Christus est Verbum Dei (Thes. XXII). Sed Verbum Dei est,

(1) Joan. III, 16, 18.—(2) Rom. VIII, 31.—(3) *De Trinit.* l. 13, c. 19.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

proprio et speciali modo, Dei Patris Filius (Disq. V, Thes. XXII, n. 201): ergo et Christus.

Obj. Christus vocat alios homines, fratres; ergo sicut alii homines est Filius Dei.

Resp. dist. *antec.* Fratres secundum naturam divinam; nego. Secundum naturam humanam, vel alia ratione, permitto, vel concedo. Dein, nego *consequentiam.*

THESIS XL.

Christus Dominus est Filius Dei naturalis.

157. Prop. est de fide, et Prob. 1. Ex Nicaen. Symb. «Credimus in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei Unigenitum ex Patre genitum, hoc est et substantia Patris... genitum, non »factum, consubstantialem Patri.»

Ex quibus sic argues: nihil est plus rei connaturale quam quod ei secundum substantiam seu essentiam convenit.

Atqui Pater gignit Filium ex sua substantia seu essentia (ἐκ τῆς οὐσίας), et Filius constituitur talis per essentiam communem cum Patre, ὁμοούσιον τῷ πατρί: ergo Christus est Filius Dei naturalis.

2.° Christus est Verbum Dei. Sed Verbum Dei est Filius naturalis Patris (Disq. V, n. 201). Ergo. Ideo ait Augustinus (1): «Christus quid est? Filius Dei, Verbum Dei.»

3.° Qui ita est Filius ut habeat eamdem naturam Patris et ab eodem Patre, est sane Filius ejus naturalis. Atqui Christus est Filius Dei (ex Thesi praec.), et habet eamdem naturam Patris (Thes. XVII), et illam habet a Patre (2). Ergo.

158. Obj. 1.° Spiritus Sanctus habet etiam naturam Patris et a Patre: ergo licet Christus etiam habeat, non est Filius Dei naturalis.

Resp. Conc. *anteced,* et nego *conseq.* Disparitas in eo est quod Spiritus S. non est filius; si autem esset, naturalis foret filius. Christum autem esse Filium in Thes. praeced. probatum est.

Obj. 2.° Filiatio Christi nihil aliud est quam ejusdem sacerdotium: ergo est metaphorica, non autem vera et naturalis.

Ant. prob. Paulus ostendit Christum esse pontificem, quia dictum est illi: *Filius meus es tu, ego hodie genui te;* (3). Ergo Filiatio Christi...

Resp. Nego *antec.* et probationem: nam Paulus non probat per illa verba pontificatum Christi, sed tantum ostendere vult, Christum non se ipsum fecisse Pontificem, sed a Patre factum esse, seu ab eo *qui eum genuit:* pontificatum vero probat per aliud testimonium, (ibid.).

(1) Serm. 237.—(2) Io. V, 26, 27.—(3) Hebr. V, 5.

Obj. 3.° Filiatio Christi sita est in ejus resurrectione: ergo est impropria. *Ant.* prob. Paulus deducit Christi resurrectionem, quia dictum fuit illi; *Filius meus es tu...* (1). Ergo Christi Filiatio in resurrectione reponitur.

Resp. tum *antec.*, tum ejusdem probationem negando. Etenim Paulus illa verba affert ut ostendat; *Christum Filium Dei repromissum fuisse Patribus.* In illo enim Psalmo (2) promittitur Messias et revelatur fore Filium Dei; propterea Paulus textum illum insignem profert, ut videant non aliud eum adnuntiare, praedicando Christum Dei Filium, quam quod fuerat repromissum per prophetas. Resurrectionem autem Christi alio probat testimonio, (ibid. v. 34).

THESIS XLI.

Christus, in quantum homo, non est Filius Dei adoptivus.

159. **Nota** I.° Quod Christus sit Filius Dei adoptivus, in *quantum homo*, potest in eo sensu dici, quasi Christus *in quantum homo* sit aliud suppositum non divinum. Cum hoc sit haereticum, thesis, si ita intelligatur, est de fide.

Nota II.° In alio sensu, juxta quem dicatur Christus Filius Dei adoptivus, quia *in quantum homo* sanctificatus est gratia sanctificante, vel unione hypostatica; cum id sit falsum quidem, sed non haereticum, thesis vera et certa dicenda.

160. Prob. 1.° Ex Concil. Francoford. ab Adriano I approbato: «Male sentientes, in Dei Filio asserebant adoptionem; »quam omnes Patres respuentes una voce contradixerunt, atque »hanc haeresim funditus a sancta Ecclesia eradicandam statuerunt.»

Praeterea ait: «Invenimus in libelli vestri principio scriptum: »credimus Deum Dei Filium... non adoptione, sed genere. Credi»mus eum factum ex muliere, non genere esse Filium, sed adop»tione; non natura, sed gratia. Ecce serpens inter pomifera paradisi »latitans ligna, ut incautos quosque decipiat.»

Patet ex his reprobasse Patres, tum quod absolute dicatur Dei Filius adoptivus, tum quod dicatur reduplicative, *quatenus homo*, seu factus ex muliere.

Adrianus I, in *ep. Synod.* ad episcopus Hispaniae: «Rejicien-

(1) Act. XIII, 33.—(2) Ps. II, 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»da adoptio Jesu Christi Filii Dei, secundum carnem. Hoc catholica »Ecclesia numquam credidit... numquam male credentibus assen»sum praebuit.»

Prob. 2.° Adoptio nequit esse nisi de extraneo; sed cum Christus dicitur Filius Dei *ut homo*, non significatur extraneus. Ergo nec adoptivus.

Prob. *min.* Cum Christus dicitur Filius Dei *ut homo*, significatur etiam suppositum. Sed suppositum Christus non est erga Deum extraneum. Ergo verba illa *ut homo* non innuunt extraneum.

Hac ratione arguebat Concil. Francoford. «Si ergo Deus »unus est qui de Virgine natus est, quomodo potest adoptivus »esse?»

161. Obj. 1.° Reduplicatio *in quantum homo* significat in recto humanitatem. Sed ratione humanitatis est Christus Deo extraneus. Ergo Christus, *in quantum homo*, vere est adoptivus.

Resp. Dist. *maj.* Humanitatem tantum; nego: significat etiam suppositum; conc. Item distinguo *min.* Ratione humanitatis, exclusive sumptae; conc. Tamquam subsistentis acceptae; nego.

Inst. Christus, *ut homo*, aut non est Dei Filius, aut est Filius Dei naturalis, aut Filius Dei adoptivus. Atqui primum est plane falsum; secundum dici nequit (Thes. XXXI): ergo tertium fatendum.

Resp. dist. *min.* quoad secundam partem, prima concessa. Christus dici nequit Filius Dei naturalis *ut homo*, quatenus haec filiatio in identitate fundatur naturae; concedo: quatenus *ex unione* in eadem natura oritur; nego. Et, denique, nego *consequentiam*.

Obj. 2.° S. Hippolytus (1) ait: «Neque enim Verbum per »se et sine carne perfectus Filius erat.» Atqui ille qui non est perfectus filius et tamen ad haereditatem suscipitur, vere adoptatur. Ergo est adoptivus.

Resp. Dist. seu explico Auctoris illius dictum. Non erat perfectus filius quoad eam filiationem quam habere ex divina oeconomia debebat; conc. Quatenus filius dicit simplicem respectum ad patrem; nego. Elucet solutio difficultatis et mens Patris ex ipsius verbis: «Cum Filius vocatur, commune nomen amoris erga homi»nes sumit.» Vocat ergo perfectam filiationem, quatenus nobis aliquo modo communicatam, ita ut possit dici Christus, *Primogenitus in multis fratribus*. Fatetur namque Verbum antea fuisse Unigenitum: «Cum tamen esset perfectum Verbum, Unigenitus.»

Quae doctrina ut clarius eluceat, sit:

(1) L. *Contr. haeres. Noëti*, n. 15.

THESIS XLII.

Christus, in *quantum homo*, est Filius Dei (1).

162. **Nota.** Non intelligitur illud *in quantum homo*, ratione suppositi praecise, sed ut *compositum Verbi et Humanitatis*. Nam subsistit persona Christi in duabus naturis: ut subsistit in natura divina est Filius Dei naturalis, *ejusdem naturae* cum Patre: ut subsistit in natura humana, est frater noster, ejusdem naturae nobiscum, gratia sanctificante, elevatae, imo et gratia Unionis *deificatae*, ut loquitur Synod. Oecum. VI.

Dicimus ergo, Christum esse (plus quam nos simus) Filium Dei, *ut hominem*, seu ut subsistentem in tali humanitate *adeo sanctificata et deificata*.

163. Prob. 1.° Concilia et Patres docent; Christum, ut Deum, esse Unigenitum Dei, ut hominem vero esse Primogenitum: ergo Christus ut homo est Filius Dei.

Antec. prob. Illud Apostoli ad Rom. (2): «*Primogenitus in multis fratribus;* et ad Colos. (3), *Primogenitus omnis creaturae:* intelligendum esse de Christo *ut homine*, non vero de illo ut Unigenito Dei, docent Conc. Sardic. in (4) epistola ad omnes fideles; et Conc. Tolet. XI. in symb. fidei, «Uni»genitus propter Deitatis substantiam, primogenitus propter as»sumptae carnis naturam:» Hieronymus; Cyrillus Alex. L. de *fide ad Theodosium*, et in altero *ad Reginas;* Anselmus; et Catechismus Conc. Trid. in art. 2.° *Symboli*, n. XVI. idem docent.

Prob. 2.° Gratia accidentalis constituit homines Dei filios: ergo a fortiori gratia substantialis, seu unio ad hypostasim et naturam divinam, uti Christus ipse arguebat (5): Quam Christi argumentationem, de sanctificatione ejusdem *ut hominis* per unionem humanitatis ad Verbum intelligunt Athanasius, Chrysostomus, Hilarius, quos affert Toletus (in *Evang. Joan*).

Prob. 3.° Christus, *ut homo*, id est, propter sanctificationem talem suae humanitatis, habet jus ad gloriam plus quam nos; participat divinam naturam melius quam ceteri justi; nempe, non per solam similitudinem, sed per realem et substantialem unionem: ergo plus quam nos est Filius Dei.

(1) Conferas hanc Thesim cum Thes. XXXIII.—(2) VIII, 29.—(3) I, 15.—(4) Nonnulli AA. dubitationum umbras suscitarunt de authenticitate hujus epistolae: inanes quibus nituntur rationes nequeunt nos movere.—(5) Joan. X, 35, 36.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

164. Obj. Synod. Tolet. XI, Augustinus, Doctorque Angelicus (1) negant Christum Filium esse totius Trinitatis. Sed si concedamus esse verum Filium Dei quatenus ejus Humanitas est deificata, sequetur esse Filium totius Trinitatis. Ergo.

Resp. Dist. *maj*. Negant esse Filium totius Trinitatis ratione illius determinatae filiationis de qua agebatur; conc. Negant aliam filiationem de qua nos egimus; nego.

Scilicet, negant Christum esse Filium Trinitatis, quatenus fuit virtute Spiritus S. conceptus; negant quoque quatenus fuit gratia sanctificante ornatus: quia filiatio fundata in gratia habituali foret mere adoptiva; fundata in conceptione de Spiritu S. esset impropriissima et veluti *monstruosa*, nam pater et Filius forent *diversae* naturae. Vide D. Th. ibidem.

Inst. Duas tantum aliqui DD. dicunt esse Christi nativitates, aliam aeternam sine matre; aliam vero temporalem sine patre. Ergo et duae sunt tantum filiationes.

Resp. dist. *antec*. Nativitates naturales *ex identitate naturae*, concedo. Nativitates sub qualibet ratione intellectas; nego. Ecce differentias: nativitas naturalis Filii Dei est ex identitate numerica divinae naturae; nativitas naturalis Filii Mariae, ex identitate specifica humanae naturae; alia autem nativitas est in Christo ex unione naturae humanae ad Verbum et naturam divinam, vi cujus unionis habet *eminenter* omnia jura, quae praestantur a gratia sanctificante, sublata imperfectione adoptionis. Haec autem filiatio licet non sit naturalis quatenus significetur *identitas* naturae, est vere naturalis quatenus non est adoptiva, sed ex *unione* in eadem natura.

ARTICULUS III.

De Christo ut termino actionis et relationis humanae.

THESIS XLIII.

B. V. Maria vera fuit Christi Mater.

165. **Nota**: haeretici illi qui corpus Christi phantasticum fuisse somniarunt, de quibus supra (Thes. XIX); vel qui a coelo delapsam carnem finxerunt; veram Christi filiationem a Maria negarunt.

Thesis est de fide catholica.

(1) Q. 32, a. 3.

Prob. 1.° Ex Symb. Apostolorum: «Natus ex Maria Vir»gine.»

Item ex Symb. fidei Conc. Tolet. XI. «De Patre sine »matre ante secula genitus, et in fine seculorum sine patre de Ma»tre est generatus; qui, secundum quod Deus est, creavit Mariam, »secundum quod homo, creatus est a Maria.»

Vide Innocentium III supra, (Thes. XIX).

2.° Ex singulis constat Evangeliis: Lucae (I, 31): *Ecce concipies in utero et paries filium*. Unde argues: vera est relatio maternitatis quae ex vero fundamento, verisque terminis exurgit. Sed talis est B. V. Mariae maternitas respectu Christi; ergo Maria est vera Christi Mater.

Prob. *min*. Termini sunt B. Virgo et Christus ejusdem naturae; fundamentum autem conceptio, partus. Sed in qualibet matre non alii sunt relationis termini nec aliud fundamentum: ergo vera est Mariae maternitas.

Item: Matth. (1). *Accipe puerum et matrem ejus*. Et Joan. similiter (c. II).

3.° Ambrosius, ep. 82; Hieronymus, ep. 47; Chrysostomus, hom. 84 (2); dicunt, Christum nos docuisse in cruce honorare parentes.

4.° Quidquid erga filios suos praestant matres, praestitit erga Jesum Maria: ergo vera fuit mater. *Ant*. patet ex Luc. (3). *Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum*.

166. Obj. 1.° Nativitas Christi ex Maria fuit supernaturalis: ergo saltem non fuit Maria naturalis mater Christi.

Resp. 1.° permitto omnia. Non enim quod fuit naturalis, sed quod fuit vera Christi mater dicitur in thesi.

Resp. 2.° Dist. *antec*. Supernaturalis quoad ea quae active praestantur a matre erga filium, nempe, ut ex ejus substantia in utero efformetur et nutriatur filius; nego. Quoad ea quae passive prestantur a matre; concedo. Non enim ex virtute viri concepit, sed ex virtute immediata Dei.

Obj. 2.° Christus, cum dicerent illi (4), *Ecce mater tua;* respondit: *Quae est Mater mea? Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in coelis est, ipse meus frater, et soror et mater est*. Ergo dicendum cum Marcionitis et Manichaeis, Mariam non fuisse veram matrem.

Resp. dist. seu explico *antec. Quae est mater mea*... quatenus non ita erat mater, ut ejus honori et dignitati essent postponenda praecepta Patris qui in coelis est; conc. Quatenus non esset vera Mater secundum carnem; nego.

(1) II, 20.—(2) *In Joan.*—(3) C. I, 31.– (4) Matth. XII, 48, 50.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Scilicet, voluit Christus, ea capta occasione, nos docere, altiorem se habere filiationem; et divinae voluntati omnia, etiam matrem, postponenda. Ita Ambros. (1).

THESIS XLIV.

B. V. Maria vera est Mater Dei.

167. **Nota.** Nestorius unione substantiali inter Verbum et Humanitatem negata, Mariam non esse Dei matrem inferebat: ejus haereticam blasphemiam damnavit Ecclesia, sed et blasphemam linguam, justo Dei judicio, ederunt mortis corruptionem praevenientes vermes. Thesis est de fide.

Prob. 1.° In Ephesina Syn. can. 1. «Si quis non confitetur »Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei genitricem Sanc»tam Virginem: peperit enim secundum carnem, carnem factum »Deum Verbum... an. sit.»

2.° Ex Sto. Luca (2): *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Ex quo sic arguitur: Maria est Mater illius qui ex ea natus est: sed ex ea natus est Filius Dei.

Min. prob. Si ille qui ex Virgine natus est non esset ipse Filius Dei, esset alia persona a persona Filii Dei Jesu Christi distincta. Sed, hoc posito, Angelus falso diceret quod ille qui nasceretur ex Virgine vocaretur Filius Dei. Ergo ex ea natus Filius Dei.

Simili argumento id deduces ex prophetia Elisabeth (3): *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei*... Jure enim intelligunt Patres: *Mater Dei mei.*

3.° Hippolytus (4) ait, vel alius antiquissimus A. «Unigeni»tus qui ante secula existebat, in extremo tempore ex Virgine natus »est, sine viri concubitu.»

Gregor. Naz. (5): «Si quis Sanctam Virginem Mariam Deipa»ram non credit, extra divinitatem est.»

Gregor. M. (6): «Domini Mater dicitur, quia in ejus visceri»bus Unigenitus aequalis Patri factus est homo.»

4.° Virgo concepit et peperit Deum: ergo est Mater Dei.

Ant. prob. Concepit et peperit hunc hominem Jesum. Sed hic homo in conceptione ipsa est Deus: ergo. *Min.* supra probata est. (Thes. XXIV).

168. Obj. 1.° Generatio ex V. Maria non est ad Deum terminata. Ergo nequit esse Mater Dei. *Ant.* prob. Si illa generatio fuisset terminata ad Deum, id factum esset mediante humanitate Christi. Sed neque mediante humanitate terminari potuit ad Deum. Ergo.

(1) L. 6. in Luc.—(2) I, 35.—(3) Luc. I, 43.—(4) L. *de Charismat.*—(5) Orat. 51.—(6) L. 18 *Moral.* c. 27.

Prob. *min.* Humanitas genita a V. Maria nullum habebat nexum cum divinitate, seu persona divina: ergo neque mediante...

Antec. prob. Humanitas Christi, a V. Maria concepta, tantum exigebat esse completa, seu subsistere. Sed ejusmodi exigentia non respiciebat Verbum. Ergo Humanitas a V. Maria concepta nullum nexum... *Min.* prob. Si complementum subsistentiae, quatenus superadditum naturae, est aliquid negativum, naturae sane exigentia non respiciebat Verbum neque unionem cum Verbo; numquid enim Verbum est negatio? si autem id quod superadditur naturae per subsistentiam est reale quid positivum, humanitas Christi solum reale suum ac naturale exigebat complementum. Sed naturale illius humanitatis complementum non erat persona Verbi. Ergo in nulla hypothesi exigentia illa Verbum divinum respiciebat.

Resp. 1.° Fateri oportet, nullatenus Virginis generationem respexisse et attigisse Verbum, si natura evadat naturaliter subsistens per *negationem unionis* cum alio: sed hic conceptus subsistentiae rejectus supra (Thes. XXVI) fuit.

169. Resp. 2.° Concedo subsistentiam reale esse complementum naturae superadditum: ideoque ad ultimum syllogismum, dico:

Dist. *maj.* Humanitas a B. V. Maria genita solum exigebat suum naturale complementum *praecise et absolute;* nego. Quatenus non fieret miraculosa suspensio et commutatio ejus naturalis complementi; concedo.

Minorem autem, vel concedo, vel distinguo: naturale complementum illius naturae non erat persona Verbi, si Verbum divinum prioritate naturae sumpserat animam et corpus Christi ante eorum unionem; nego: si non sumpserat; concedo.

Generatio per B. V. Mariam terminata fuit ad unionem corporis et animae Christi: igitur si Verbum antecedenter sumpserat utrumque, unio exigebat seu efficiebat naturam completam seu subsistentem per Verbum, ideoque generatio connectebatur cum Homine-Deo. Ita quidem factum fuisse censet Doctor Eximius; qua sententia, Deum vere et proprie a Virgine fuisse genitum luculenter explicatur.

Obj. 2.° Generatio est origo viventis a vivente in similitudinem naturae. Sed Deus non est ortus a Maria V. in similitudinem naturae: ergo. *Minor* prob. Christus Deus solum ortus est a Maria V. quoad naturam humanam. Sed natura Dei non assimilatur naturae humanae: ergo.

Resp. Dist. *min.* Dei natura divina non assimilatur naturae humanae; conc. Dei natura humana; nego. Jam vero, Deus Verbum

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

naturam habet humanam: sicut ergo inde Deus est homo, ita et Filius hominis, seu Mariae.

THESIS XLV.

B. Maria Christi Mater et ante partum et in partu Virgo permansit.

170. **Nota.** In prioribus Ecclesiae seculis B. Mariae virginitatem impuri negaverunt haeretici, ut Epiphanius et Augustinus, in catalogo historico haeresum, testantur, et Hieronymus in libro *adversus Helvidium*. In hisce temporibus autem, rationalistae omnes, qui omne supra naturam factum, a priori, stulte respuunt, illorum sequuntur impietatem.

Propositio fide credenda.

Prob. 1.° Ex symbolis fidei: «Natus ex Maria Virgine.» Deinde in Conc. Lateran. sub Martino I definitur. «Si quis secun»dum sanctos Patres non confitetur proprie et secundum verita»tem... Dei Genitricem sanctam semperque Virginem immaculatam »Mariam utpote ipsum Deum Verbum specialiter et veraciter... »absque semine concepisse ex Spiritu Sancto, et incorruptibiliter »genuisse, indissolubili permanente et post partum ejusdem vir»ginitate; condemnatus sit.»

2.° Matth. (1). Dicitur: *Antequam convenirent inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*... Quod *enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est... Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam: Ecce virgo in utero habebit, et pariet Filium*. Explicite ergo constat, virtute divina in utero Mariae efformatum Jesum et quod Virgo concepit, Virgo peperit. Confr. Luc. (2).

171. 3.° Ex Isai. (3): *Dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet et pariet Filium*... Ex quibus sic arguimus: hic sermo est de Messia: atqui dicitur conceptus et natus de Virgine; ergo Maria mater Christi...

Maj. prob. 1.° ex interpretatione explicita Evangelistarum. 2.° Ex communi PP. consensu, inter quos videas Justinum (4) et Hieronymum, (5). 3.° Ex contextu: a) Puer ille vocabitur *Emmanuel*, Nobiscum Deus; quod nomen propriissime Christo convenit, et non aliis. b) Puer ille promittitur ut magnum signum et causa salvationis Judae: atqui hoc nulli alii potest aptari nisi Messiae. c) Hic Emmanuel in capite sequenti, ubi de iisdem re-

(1) I, 18, 20, 22, 23.—(2) I, 34, 35.—(3) VII, 14.—(4) L. adv. *Triph.*—(5) In c. VII, Isai.

bus est sermo, dicitur dominus et rex Judae, victurus omnes gentes, dominaturus omnem terram, dissipaturus consilia omnium gentium. Qua de causa hortatur Deus prophetam, ut in eo tantum spem constituat, quo sit illi in sanctificationem; non autem imitetur vanum timorem domus Israel et Judae, quibus erit in ruinam et in lapidem offensionis, ita ut maledicant regi suo et Deo suo. Atqui haec Messiam respicere, aperte, ex supra dictis, elucet juxta illius notas et characteres: ergo.

172. 4.° Concil. Toletanum IX, in *profess. fidei:* «Solam »Filii personam verum hominem, de sancta et immaculata Maria »Virgine, credimus assumpsisse: de qua, novo ordine novaque na»tivitate, est genitus; quia intacta virginitas et virilem coitum »nescivit et foecundata per Spiritum Sanctum carnis materiam mi»nistravit. Qui partus Virginis nec ratione colligitur, nec exemplo »monstratur.»

S. Hippolytus (vel illius temporis A.) ep. et martyr. (sec. III) refert hunc canonem Traditionis Apostolicae: «Festo Na»tali cessent ab opere, eo quod tunc hominibus tributa fuerit inex»pectata gratia, ac natum sit Dei Verbum Jesus Christus ex Maria »Virgine in salutem mundi.»

Sophronius, Patriarch. Hierosoly. in *Synodica ep.* «Partus »ipse incorruptibilis, illibata Virginitas, quae ante partum, et in »partu et post partum est intemerabilis.»

173. Obj. 1. S. Joseph, in Evangelio, Pater Jesu dicitur: Ergo Resp. dist. *ant.* Quatenus realiter Pater esset. neg. Quatenus *putabatur* talis propter Sponsi dignitatem, uti notat S. Lucas (1), conc.

Obj. 2.° Aliqui PP. dicunt uterum Virginis in partu *apertum, patefactum*, fuisse: ergo saltem in partu amisit virginitatem.

Resp. Dist. *ant.* Fuisse *apertum, patefactum* aequivalenter; conc. formaliter; nego. Etenim, quemadmodum coeli aperiri dicuntur, cum aliquid in coelo existens effulget et monstratur extérius; ita uterum patefecit, vulvam aperuit Christus cum intra vulvam jam non latuit, sed extra exivit.

174. Obj. 3.° In textu laudato Isaiae, non legitur Virgo (bethula), sed Adolescentula (alma). Atqui Adolescentula potest non esse virgo: ergo virginitas B. Mariae inde nequit probari. Resp. dist. *min.* Adolescentula, quae *Alma* dicitur, intelligi potest ea quae non sit virgo; nego *min.* Adolescentula, quae *Nachara* appellatur, potest ea esse quae non sit virgo; conc.

Alma appellatur ea, quae et virgo est, et puella seu adolescentu-

(1) III, 23.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

la, qua de causa *abscondita* a virorum aspectu et concursu servatur: *Alma* enim (עלמה) a radice Alm (עלם) *abscondit*, desumitur: è contra, virgo, quae Bethula dicitur, potest adultae etiam esse aetatis.

Inst. Vocatur quoque *Alma* puella a viro cognita: ergo solam indicat adolescentulam. *Ant.* prob. In Proverbiis (1) dicitur: *Tria sunt difficilia mihi, et quartum penitus ignoro: viam aquilae in coelo, viam colubri super petram, viam navis in medio mari; et viam viri in adolescentia*, seu *adolescentula*, et, in hebraico, *Alma*. Atqui non diceretur via viri cognitu difficilis, nisi de puella corrupta sermo esset: ergo vox *Alma* non significat semper puellam virginem.

Resp. nego *ant.* Ad probationem etiam, nego *minorem*. Sententiae autem, sed parabolae illius triplex occurrit explicatio.

1.° *Alma* et *virgo* vocari debet quaevis puella, sicque revera communi sensu appellatur, dum ejusdem corruptionis non fuerunt indicia. Jam vero, de ea adolescentula agit proverbium, in qua viri via prorsus est incognita; ergo nomine verae *virginis*, scilicet *Alma*, jure vocatur.

2.° Duplici modo dici potest cognitu difficilis via viri in adolescentula: primo *positive*, scilicet, ut discernatur factum, quod vere extiterit. Hoc autem cognosci certo posse, ait Alapide (2), quidam medici affirmant, alii autem negant: et quidem jure isti negant, cum fere communi medicorum sententia nisi conceptio secuta fuerit: nam signa sunt ambigua, ac possunt, uti sapientes testantur medici, ex pluribus causis procedere. Verum cum id non plus incertum ac difficile existat in adolescentula quam in adultis mulieribus: non videtur in hoc sensu prolatum fuisse proverbium, ut de adolescentula corrupta intelligatur. Secundo potest intelligi difficilis ea cognitio *negative;* ad discernendum, nempe, non pertransisse virum, seu, integram vere, ac virginem esse adolescentulam: Hoc, quidem, ajunt medici, nonnunquam cognosci posse, saepissime vero non posse, etiamsi verae virgines existant. Proinde, optime intelligitur, sermonem esse in Proverbio de adolescentibus virginibus, si in hoc secundo sensu fuerit prolatum.

Verum eadem illa redit difficultas; quare id dictum fuerit de Virgine adolescenti, et non de adultis quoque, cum par sit in omnibus difficultas? Ideo.

3.° Placet alia sat obvia ac congrua explicatio, quam ex Jansen. refert Cornelius Alapide. Proverbium illud Salomonis non de difficultate physica, et, ut ita dicam, chirurgica, ad

(1) C. XXX, 18, 19. Fol. 22.—(2) In Proverb. ibid.

discernendum inter adolescentulam virginem et corruptam intelligere oportet; sed potius de difficultate morali ac vulgari, qua homines hac in re premi solent. Nam cum omnes, universim, ingenuas virgines sibi sponsare in votis habeant; tamen, facile errorem patiuntur propter nimium earum vitia sua celandi studium et cautelam: hac de causa dicit Proverbium; penitus ignoro, quo pacto possit his error praecaveri; scilicet, certo scire, ad virginem, quam seligam, nullum accessisse virum. Juxta hunc ergo sensum, *Alma*, ut patet, pro virgine dicitur.

Nonnulli 4.m tradunt interpretationem, dicentes: agere proverbium, non de via viri, seu abusu adolescentulae; sed de via, seu aditu ad alloquendum cum virgine. Cum enim, ajunt, virgines in regionibus Orientis summa absconderentur cautela, inde viri absconditas quoque ac difficiles cognitu sibi parabant vias ad eas invisendas. Verum jejuna admodum, et parum litteralis haec videtur interpretatio.

175. Obj. 4.° Christus è Juda et familia David ortum ducere debebat. Atqui si ex Maria Virgine natus esset, non fuisset Christus Judae et Davidis filius: ergo. *Min.* prob. Maria ejusdem erat tribus, cujus et ejus cognata Elisabeth: haec autem *ex filiabus erat Aaron* (1); ergo. *Ant.* prob. In Lege (2) praescriptum erat: *Omnes viri ducent uxores de tribu et cognatione sua, et cunctae feminae de eadem tribu maritos accipient:* si ergo erant cognatae, ejusdem quoque erant tribus V. Maria et Elisabeth.

Resp. Explico legis illius textum. Cum uxores haeredes constituebantur, de sua tribu maritos accipere debebant, et vicissim mariti easdem in uxores; conc. alias; nego. Hinc optime fieri potuit, ait Augustinus (3), «Ut pater Elisabeth uxorem habuerit de »stirpe David, ratione cujus B. V. Maria, de stirpe *David*, esset »Elisabeth cognata: vel potius, è converso, quod pater B. Mariae »de stirpe David existens, uxorem habuerit de stirpe Aaron.» Explicatio autem legis illius ex ipso contextu desumitur.

Obj. 5. Evangelistae ex Josepho tantum Christi genealogiam descripserunt. Sed hoc indicat verum fuisse Joseph Christi patrem, vel saltem incertum videtur, utrum fuerit Christus é familia David: ergo naturali modo, non ex virgine, natus est Christus.

Resp. 1.° Permitto *antec.* et nego *minorem*. Etenim, etiamsi Josephi tantum texissent Evangelistae genealogiam, cum aperte ipsi dicant (4), nec non Paulus (5) et Petrus (6), quod Christus fuerit filius David; non ideo incertum id foret. Proinde dicen-

(1) Luc. I, 5. — (2) Num. XXXVI, 7, 8. — (3) Contra Faustum, l. 23, c. 9. — (4) Luc. I, 69.—(5) Hebr. VII, 14; Rom. I, 3; Galat. IV, 4.—(6) Act. II, 30.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dum potius, aperte indicasse Evangelistas, ea facta hypothesi, non fuisse dissimilem genealogiam B. Virginis, et B. Joseph.

Resp. 2.° Nego *ant.* cum Alapide et Suarezio, et aliis AA. qui multis gravibusque testimoniis probant, sanctum Lucam genealogiam B. V. Mariae descripsisse; quae per patrem Joachim, seu Heli, a Davide per Nathanem, Salomonis fratrem, descendebat; et per Annam Matrem, etiam a Salomone.

SCHOLION.

De Christi Genealogia.

176. Ut autem praedicta clarius elucescant, tria subjicimus sequentia stemmata: 1.^m *Directum* per Mariam Virginem, prout traditur a S. Luca. 2.^m Cognatorum Christi et B. Mariae, juxta eamdem sententiam. 3.^m *Indirectum*, juxta Julii Africani mentem, qui censet, tum Matthaeum, tum Lucam, texisse tantum Genealogiam *indirectam* Christi, nempe, per S. Josephum; sed Matthaeus per Salomonem, et Lucas per Nathanem, Davidis filios. Ex 1.° Stemmate elucet, quod per Annam ex Salomone, per Joachim autem è Nathane, *directe* descendebat Christus. Si autem perpendamus, Josephum per Mariam, et in Maria, conjuge sua, virtute Spiritus S. Jesum in legitimum ac supernaturalem filium suscepisse, intelligemus; jura Salomonis, ex quo ortus Joseph, etiam ad Christum haereditatis jure pervenire potuisse.

Verum quidem est, primos Patres systema Julii Africani fuisse secutos ad Christi genealogias conciliandas. Verum, neque illud certum reputabant, neque in ejus explicatione erant consentientes, quia nulla certa innitebatur traditione, ut manifeste fatetur ipse Africanus (epist. *ad Aristid.*): «Sive res ita se habeat, sive »alio modo, ita existimandum est, quamvis certum desit testimo»nium, ob id quod clarior ac verior expositio proferri non potest.» Ideo Alapide, cum Doctoribus Scholasticis insignioribus fere omnibus, censet; Lucam genealogiam B. Mariae *directam* texisse. Illa enim verba (Luc. III): *Ipse Jesus, ut putabatur, Filius Joseph, qui fuit Heli, qui fuit Matath...* ita censet intelligenda, ut illud; *qui fuit*, ad Jesum referatur, non autem ad Joseph. Et quidem, non aliter esse interpretanda omnino defendit Auctor III seculi, sub nomine Augustini (Q. *Vet. et Nov. T. q. 56*).

1.^m Stemma Directum Jesu Christi.

Natus Jesus Christus ex Maria V.	Orta ex. . .	*Joachim* (seu *Heli*) — *Mathat*. . . . . *Natan*, et *Anna* — *Mathan*. . . . . *Salomone*,		*David.* (Luc. III, 23.)
Uxore B. Joseph.	geniti ex. . .	*Jacob.* — *Mathan*. . . . . *Salomone*,		*David.* (Matth. I.)

2.^m Stemma (1.^mo consonum) Cognatorum Jesu Crhisti.

Mathan genuit

Sobe, matrem *Elisabeth*, ex qua *Joannes Baptista*

Jacob, patrem *Cleophae*, seu *Alphaei*, patris

et *Joseph*, (sponsi)

Annam, matrem B. Mariae, ex qua Jesus Christus

Salome, matris *Jacobi*, Maj. et *Joan.* Evang.	*Mariae;* (Matth. c. 20.)	*Jacobi min.* dictus: frater Domini.	*Joses*, seu *Joseph.* (Matth. c. 27.)	*Judae*, Apost.	*Simonis*, Apost. *(Thaddaei.)*

THESIS XLVI.

Etiam post partum B. Maria constanter Virgo permansit.

177. **Nota**: Constantem B. Mariae virginitatem tuemur adversus aliquos tum antiquos, tum recentes haereticos, qui, ex Evangelio prave interpretato, illam negavere.

Propositio est probabilius de fide, et saltem doctrina catholica certa.

Prob. 1.° Paulus IV in Constit. *Cum quorumdam*, advers. Socinianos, arguit aliquos qui a catholica fide aberrant et desciscunt, et profitentur diversas haereses, et ipsius fidei fundamenta negare praesumunt: inter hujusmodi autem haereses, hanc notat; «Beatis»simam Virginem Mariam non esse veram Dei Matrem, nec persti»tisse semper in virginitatis integritate, ante partum scilicet, in »partu et perpetuo post partum.» Ejusmodi errorem vocat *errorem in fide*, ac jubet eos, qui id asserunt, «Pro subversis et lapsis in »haeresim haberi... et puniri, perinde ac si vere et realiter in hae»resim relapsi essent.» Unde quicumque ibi enumerantur errores, saltem ut *errores circa fidem* habendi.

2.° Ex communi consensu et constanti SS. PP. Etenim Mariam constanter Virginem appellant, quasi proprio ipsius nomine et antonomastice. Sed non id fecissent nisi credidissent perpetuo Virginitatem coluisse; aliter enim, quae mulier non posset eo nomine insigniri? Praeterea: Augustinus, in libro *haeresum* (Haeresi 36) inter haereticos recenset negantes hanc Mariae perpetuam Virginitatem. Pariter Epiphanius (in haeresi 18). S. Hieronymus in l. *contra Helvidium;* S. Ambrosius, ait (1): «Fuerunt qui Mariam negarunt virginem perseverasse. Hoc tan»tum sacrilegium silere jam dudum maluimus; sed quia causa vo »cavit in medium, ita ut ejus prolapsionis etiam Episcopus argue»retur, indemnatum non putamus relinquendum.» Vide Sophronium in Thes. XLV.

3.° Hujusce perpetuae integritatis B. Mariae assignat D. Thomas (2) praeclaras rationes, quas attente perpendas.

178. Obj. 1.° Matth. (I, 25) dicitur: *Et non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum*. Ergo 1.° Supponitur sponsam suam postea cognovisse. 2.° Si habuit B. M. primogenitum, ergo et secundo genitos.

Resp. Nego utramque *consequentiam:* primam quidem, quia par-

(1) De *Instit. Virg.* c. 5. - (2) P. 3, q. 28, a. 3.

3. Christi stemma ad Julii Africani systema exactum.



NOTARUM SIGNIFICATIO.

απ..... απαις, sine liberis.
f..... filius.
ff..... filii.
fr..... frater.
N..... Nathanites ex lege.
S..... Salamonides genere et lege.
s..... soror.
u..... uxor.
v..... vidua.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ticula *donec* non habet per se significationem definitivam et exclusivam. Sic corvus ille a Noe emissus *Non revertebatur, donec siccarentur aquae;* (1). Et Paulus (2) de Christo: *Oportet illum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus ejus.* Cfr. supra, n. 69.

Secundam autem negamus; quia *primogenitus*, ex significatione legali, eum significabat ante quem genitus alius non erat: non vero eum post quem alii gignerentur. Ut enim parentes servarent legem et primogenitum suum Deo traderent, non erant alii filii post primum gignendi et expectandi: nam propere primogeniti erant Deo offerendi.

Obj. 2.° Christus fratres ac sorores habuit: ergo non permansit B. Maria in virginitate.

Resp. Dist. *Ant.* Fratres, id est, propinquos, uti Abraham dixit ad Loth; *fratres sumus:* conc. Fratres ex eadem matre: nego.

ARTICULUS IV.

De Christo ut termino efficientiae finalis, seu de Incarnationis fine.

THESIS XLVII.

Incarnatio Filii Dei, praeter supremum finem gloriae Dei, plures respexit fines.

179. **Nota.** Quae in hoc capite elucidanda suscipimus, ex praecipuis quae ad tractatum de Incarnatione spectant censeri debent; tum quia finis prima est cujuslibet rei causa; tum quia Christi gloria et excellentia ex fine praecipue effulget, ob quem fuit a Deo conditus et missus.

Prob. 1.° Christus D. ait: (Joan. XVII). *Pater, venit hora: clarifica Filium tuum ut Filius tuus clarificet te, sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam aeternam. Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum et quem misisti Jesum Christum. Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam; et nunc clarifica me tu, Pater, claritate, quam habui prius quam mundus esset, apud te.* Ex his dicimus.

Clarificare Deum, dare hominibus vitam aeternam, cognoscere verum Deum et Jesum Christum, plures sunt fines. Sed ad haec missus fuit Christus, seu incarnatus fuit Filius Dei. Ergo.

(1) Gen. VIII, 7.—(2) I Cor. XV, 25.

Confirm. ex Apostol. (1): *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.* Item (2), *Misit Deus Filium suum... ut adoptionem filiorum reciperemus.* Item (3). Nicodemus: *Scimus quoniam venisti a Deo magister:* et Christus; *Sum etenim magister.* Jam vero; plures, diversique sunt fines, inhabitare divinitatem in Christo, pacificare ea quae in terris sunt, et ea quae in coelis, adoptare homines in filios Dei, eosdem edocere: ergo. Vide quoque Paulum alios fines enumerantem, praeter redemptionem a peccato (4).

2.° Isaias (5) dicit: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit...* Unde ipse Christus de se testatur, plures ob causas se fuisse unctum et missum; ad praedicandum, nempe, consolandum, redimendum, sanandum, ad diem retributionis enuntiandum... Confer praeterea testimonium aliud simile ac perspicuum ejusdem Prophetae (6). Ergo Incarnatio Filii Dei ad plures fuit destinata fines.

180. 3.° Trident. Synod. (7). Docet; ideo missum Filium Dei ut Judaeos redimeret, gentes apprehenderent justitiam, atque omnes adoptionem filiorum reciperent. Atqui hi fines sunt intrinsece et formaliter diversi. Ergo.

Augustinus, (8) ait: Filium Dei factum filium hominis ad persuadendum homines, quod per gratiam fieri possint filii Dei; (et in cap. XIV) ut posset per justitiam vincere diabolum, et solvere pro nobis quod ipse non debebat. «Nisi enim homo esset, non »posset occidi:» (in cap. XVII) ut elucescat nobilitas hominis, nec jam maligni spiritus se audeant homini praeponere: item ut gratia Dei commendaretur, quia Christus nullis praecedentibus meritis factus est Filius Dei: ut superbia hominis posset redargui atque sanari: ut praeberet obedientiae exemplum. Et (cap. XVIII) concludit: «Haec tanta Dei dona, et si qua alia sunt, quae de hac re nobis »et quaerere et disserere longum est, nisi Verbum caro fieret, nu»lla essent.» Item (9), ait: «Verbum caro factum est, ut infantiae »nostrae lactesceret Sapientia tua, per quam creasti omnia.» Et iterum (10): «Maxime propterea Christus advenit, ut cognosceret ho»mo quantum eum diligat Deus; et ideo cognosceret ut in ejus di»lectionem, a quo prius dilectus est, exardesceret.»

Athanasius, *Comment. in Lucam.* ait (Galland. t. V, p. 188.): «Deus cum sit, non sui causa natura homo efficitur... sed

(1) Colos. I, 19, 20.—(2) Galat. IV, 4, 5.—(3) Jo. III, 2; XIII, 13.—(4) I Cor. I, 30.—(5) LXI, 1.—(6) XLII, 1-7.—(7) Sess. 6, c. 27.—(8) De *Trinit.* l. 13, c. IX.—(9) *Confess.* l. 7, c. 18.—(10) De *Catechiz. rudibus*, c. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»nostri gratia, ut qui homines simus, adoptione per gratiam dii »efficiamur, et circumcidamur spiritualiter, sordes peccati abluamus...»

Et alibi (1) ipse Athanasius ait: «Deus, qui bonus est, et »Pater Domini, misericordia motus, volensque notus omnibus fieri, fecit ut suus Filius corpus humanum indueret, homoque fieret, et vocaretur Jesus; ut in eo corpore pro omnibus se offerens, »omnes idololatria et corruptione liberaret, ac omnium Dominus et »rex fieret... Nec eum solummodo fecit hominem, sed ut in omnibus dominaretur, eosque unctione sanctos redderet.»

3.° D. Thomas (2): «Patriarchae, Prophetae... et omnes »Angeli acceperunt gratiam per Christum: quia plenitudo gratiae »quae data est Christo, est causa omnium gratiarum quae fuerunt »in intellectualibus creaturis.» Ita et Gregor. M. (3). Ergo etiam propter Angelos sanctificandos facta est Incarnatio.

181. Obj. 1.° Irenaeus, ait (4). «Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset.» Ergo salvatio hominis a peccato unica causa finalis Incarnationis esse videtur.

Resp. Dist. *Ant.* Quatenus ex divina oeconomia is finis salvandi carnem habet aliquam connexionem cum aliis causis finalibus; conc. Quasi is fuerit unicus finis; nego. Hanc fuisse Irenaei mentem, patet ex aliis quae subjungit: «Et si non haberet sanguis »justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus.»

Hanc divinae sapientiae oeconomiam, et cum salvatione hominum Incarnationis nexum explicat Cyrillus in *Thesauro* (5): «Facta est Sapientia (Verbum) fundamentum, *ut Homo*, in omnibus, peccato solo excepto... Architectus, verbi gratia, sapiens, aedes aedificaturus regias, dubitat verisimiliter, ne quid procedente »tempore altior aedium structura patiatur, ac ideo fundamentum »jacit firmissimum, et radices operum robustissimas construit, ut »si quid superiora patiantur, possint rursus reparari fundamento »servato. Eodem modo creator noster Christum nostrae salutis fundamentum, etiam ante initium mundi, fundavit, ut si praevaricatione caderemus, in ipso rursus renovaremur.» Ex quibus patet, reparationem hominum a peccato, non fuisse primariam ac directam Incarnationis causam.

Obj. 2.° S. Athanasius ait (Or. 2 *contra Arian.* n. 56): «Ipsum Verbum nequaquam homo factus esset, nisi causa fuisset »hominum necessitas.» Quae autem fuerit haec necessitas, ibidem dicit: «Ut eo in carne habitante, peccatum ex carne penitus exter-

(1) *Contra Arian.* Or. II, n. 14.— (2) In Jo. l. 10.— (3) In I, Reg. c. 3; L. 1, n. 7.—(4) L. V, c. 14.—(5) L. V, c. 8.—(6) Orat. 2, contra Arian. n. 56.

»minaretur, et nos liberum sensum haberemus.» Ergo non alius extitit Incarnationis finis nisi redemptio hominum a peccato.

Resp. Negando *consequentiam*. Ipse Athanasius, (ibid. n. 55) plures distinguit Incarnationis fines: «Ut testimonium perhibe»ret veritati, ut mortem destrueret, peccatum condemnaret, caeci »viderent, omnesque è mortuis excitarentur.» Et in n. 59. «Haec »est Dei benignitas, quod quorum effector est, horum etiam pater, »gratia, postea fiat... Hi porro sunt qui suscepto Verbo, potestatem ab eo accepere filios Dei fieri. Nec enim alio modo filii possunt fieri, cum ex natura sua sint creati, nisi Spiritum ejus qui »naturalis et verus est Filius acceperint. Quod ut fieret, Verbum caro factum est, ut hominem ad divinitatem recipiendam idoneum »redderet.»

Igitur non ob solam causam peccati facta est Incarnatio, sed etiam propter alias; imo neque propter hominem solum, sed propter omnes creaturas censet Athanasius, n. 64.

THESIS XLVIII.

Incarnatio Verbi non habuit solum rationem medii, sed etiam finis; seu voluit Deus Incarnationis mysterium propter ipsum Christum.

182. **Nota**: Finis et medium in eo differunt; quod ille absolute et in se habet rationem boni et propterea diligitur; medium autem, ut tale, licet habeat vere bonitatem, tamen haec respectiva est, et ideo nonnisi propter finem quem respicit appetitur.

Prob. 1.° ex Paulo (1): *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter:* De qua plenitudine, ait (2): *In ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare*. Ex quibus sic arguitur: complacere in bonitate intrinseca et absoluta Christi, est diligere illum tamquam finem, velle illum propter se ipsum: sed inhabitatio plenitudinis Divinitatis est bonitas intrinseca et absoluta Christi, et complacuit Deus in illa. Ergo eam uti finem dilexit.

Item: dixit Pater (3): *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Ex quo idem fluit argumentum. Vide et c. XII, v. 18.

2.° Tridentinum (4) ait: causam finalem justificationis esse gloriam Christi. Ergo si Incarnatio est propter justificationem, potius est propter ipsum Christum.

183. 3.° Si Deus voluisset Incarnationem tamquam medium tantum, plus alia bona creata dilexisset quam ipsam Verbi Incarna-

(1) Colos. II, 9.—(2) Ibid. I, 19.—(3) Matth. III, 17.—(4) Sess. 6, c. 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tionem; sed stulte hoc diceretur; Ergo. *Major* patet ex **Nota** praemissa.

Min. prob. Illud magis diligi a Deo dicendum, quod magis est ejus bonitati conveniens. Atqui «ad rationem summi boni pertinet »quod summo modo se creaturae communicet, quod quidem maxi»me fit per hoc, quod naturam creatam sic sibi conjungit ut una »persona fiat ex tribus, Verbo, anima et carne, sicut dicit Augus»tinus (1); unde manifestum est quod conveniens fuit Deum in»carnari.» Ita D. Thomas in *Summa* (2). Ergo stulte diceretur alia creata bona Deum plus diligere.

4.° Finis, quem Deus intendit generaliter, est communicare suam perfectionem, quae est ejus bonitas. Atqui communicavit Christo Deus suam perfectionem plusquam cuilibet creaturae; ergo plus Christum dilexit tamquam finem, quam aliud quippiam creatum. *Maj.* constat ex S. Thoma (3). *Min.* autem ex se patet; et confirmat Augustinus (4); «In rebus per tempus ortis, illa sum»ma gratia est, quod homo in unitate personae conjunctus est Deo.»

184. 5.° Adversus Arianos S. Cyrillus (5) sequens adhibebat argumentum, quod pro thesi nostra plurimum quoque valere perspicuum est. «Si propter haec factus est Filius Dei (ut Ariani di»cunt), ut ad sapientiam redigat stulta, ut imbecilla confortet, ut »indigentia justitiae justificet: nos ergo causa sumus ut ipse factus »sit: quare nec factus esset, nisi Deus creaturas voluisset producere, »et organum, hoc est, instrumentum, creationis nostrae fuit. Si fac»tus est propter nos, num igitur... Filius nominabitur propter »adoptatos per ipsum filios, ut nihil proprie sit propter ipsum, sed »omnia propter nos? Nam etsi creationis nostrae ipse auctor esse »videatur, sed nos sumus causa, secundum vos, ut ipse producere»tur: sicut et coelum propter generationem generabilium factum »est, et sol ut tenebrosa illustret, et terra ut animalia sustentet: et »ita nihil magni erit in Filio, quod in creaturis non sit. Minister »quoque ille, sicut creatura, erit, imo majoris dignitatis ceterae »creaturae videbuntur, quarum causa ille productus est. Vides quod »impie dicta ex opinione falsa haereticorum sequuntur.» Cui claro argumento Cyrilli consonat evidens D. Th. (6) sententia: «Finis est nobilior his quae sunt ad finem.»

Ad rem hanc etiam spectat Athanasii argumentatio adversus Arianos (7): «Unde sequitur, ut ipse Filius nostri potius causa fac»tus fuerit, quam nos propter ipsum... Ita ut ille nobis potius ha-

(1) *De Trinit.* l. 13, c. 17.—(2) P. 3, q. 1, a. 1.—(3) P. 1, q. 44, a. 4.—(4) *De Trinit.* l. 13, c. 19. — (5) *Thesauri*, l. VI, c. 1.— (6) P. 1, q. 44, a. 4, ad 2.um — (7) Or. 2, n. 30.

»beat gratiam, quam nos illi, ut mulier viro... Deinde, nos quidem »facti sumus ut existeremus, at Dei Verbum (dic Christum) non ut »existeret (seu propter se), sed nostri gratia, instar instrumenti, »factum est; proindeque, non nos propter illud, sed ipsum propter »nos existit. An non vere, qui haec vel tantum cogitant, omnium »dementissimi sunt habendi? Nam si propter nos factum est Ver»bum; nobis certe prius non est apud Deum... Ac nos quidem crea»re volens, et de nobis deliberans, res creatas vocat; illum vero, »quem nostri causa creat, Filium atque Haeredem nominat. Atqui »nos potius, quorum gratia illum facit, filios oportuit appellari: vel »certe illum, qui Filius est, prius debuit cogitare et velle, propter »quem scilicet etiam nos omnes facit. Haec sunt quae evomunt et »effutientes nauseant haeretici.»

185. Obj. 1.° Dixit Dominus (1), *Non veni vocare justos, sed peccatores*. Ergo, saltem quoad homines, non venit Christus nisi peccati causa.

Resp. Concesso *antecedenti*, negatur *consequentia*. Etenim Christi verborum sensum nobis explicite tradidit S. Lucas (2): de vocatione *ad poenitentiam* agebat Christus; perspicuum autem est solos posse vocari ad poenitentiam peccatores; ad sanctitatem vero altioremque justitiam alios etiam posse vocari.

Obj. 2.° D. Thomas ait: In sacra Scriptura, ubique, Incarna»tionis ratio ex peccato primi hominis assignatur.» (3) Ergo videtur quod solum ad remedium peccati, non propter se ipsam, Incarnationem voluerit Deus.

Resp. Haec dicit D. Thomas de ratione Incarnationis finali et intrinseca: nego. Extrinseca et occasionali; concedo. Nam non solum S. Scriptura, sed et D. Thomas cum SS. Patribus, alias rationes finales Incarnationis nos docent.

Scholion. Utrum, cessante causa illa peccati primi hominis, facta fuisset Verbi Incarnatio, inter Auctores disputatur, gravibus pro utraque sententia urgentibus rationibus. Quae autem sit amplectenda opportunius alibi judicari poterit.

(1) Matth. IX, 13.—(2) V, 32.—(3) Summ. p. 3, q. 1, a. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPUT IV.

De Christo quatenus principium est agendi vel efficiendi

ARTICULUS I.

De Christo, ut agenti particulari.

THESIS XLIX.

Christus habet duas voluntates et duas operationes, nempe utriusque naturae divinae atque humanae.

186. **Nota** I.° Quicumque duas non crediderunt in Christo esse naturas, consequenter et duas voluntates atque operationes ejusdem negaverunt. Quoad Monothelitas autem (1), utrum solum actus, an vero et potentias utriusque naturae rejecerint, disputatur inter Auctores: utrumque tamen in Christo extitisse fides docet.

Nota II.° Voluntate reguntur ceterae facultates et operationes: hac de causa, ut omnes excluderent in Christo humanae naturae operationes, a voluntate desumebant Monothelitae argumentum, eamque praecipue labefactare conabantur: propterea Ecclesia non tantum duas operationes, sed distincte et explicite duas definivit esse in Christo voluntates.

Nota III.° Unitas operationis triplici modo intelligi potest: 1) quatenus operatio humana sit divinae subordinata, quasi ejusdem animatum et liberum instrumentum; ut ex. gr. in operibus miraculosis: 2) quatenus una sola operetur natura, actusque eliciat; vel 3) quia solum voluntas divina libere ageret et operaretur. Haeretici in secundo et tertio sensu fidem negarunt.

187. Prob. 1.° Agatho pp. cum Synodo Rom. in epistola Synod. ad Imperatores dixit: «Permansit utrumque quod naturali»ter erat... servante utraque natura, etiam post adunationem, sine »defectu proprietatem suam, et operante utraque forma... quod pro»prium erat... Consequenter, sicut duas naturas... ita quoque et

(1) Θέλησις, εως; voluntas. Θελητής, οῦ; qui vult.

»duas naturales voluntates et duas naturales operationes habere, »utpote perfectum hominem, confitemur.»

Synodus Oecum. VI. hoc quoque definivit, «Fideliter »suscipiens, ait, et expansis manibus amplectens,» doctrinam ab Agathone et Synodo Rom. traditam.

2.° *Quaecumque Pater fecerit, haec et Filius similiter facit* (1): *Sicut Pater suscitat mortuos et vivificat: sic et Filius, quos vult, vivificat* (2). Unde quaecumque Pater faciebat, etiam suscitare mortuos, faciebat et Christus: voluntatem ergo, operationemque habebat divinam. *Potestatem dedit* (Christo) *judicium facere quia Filius hominis est* (3). *Ego Patris mei praecepta servavi et maneo in ejus dilectione* (4). Judicare quatenus Filius hominis est, servare praecepta Patris, exigit voluntatem, operationemque naturae humanae: Ergo Christus habet...

188. 3.° Irenaeus (5) «Si nihil ex Maria sumpsisset, non ille »post jejunium expletum esurisset, corpore suum alimentum desi»derante; neque fatigatus ex itinere sedisset; neque Lazari causa »lacrimasset... neque hoc dixisset, *tristis est anima mea.*» Ex his actibus et operationibus probabat Irenaeus Christi humanitatem: ergo sentiebat non solius divinae naturae fuisse in Christo »voluntatem et operationem.

Simili modo arguebat Hippolytus Portuensis (sec. III), vel Auctor ejus temporis: «Hominem facile est intelligere, cum »esurit, lassatur, sitit, et metuens fugit, et orans tristatur...» (6). Et in Serm. *de Theologia et Incarnatione:* «Deus factus homo sine »peccato, quod erat, est cum quantis cognoscitur Deus; et quod fac»tum est, est cum quantis esse cognoscitur homo. Secundum »utrumque suum semper permanens, quibus divine pariter et huma»ne operatus est, perfectionem per omnem utriusque rationem sibi »naturaliter incommutabilem salvans... Operatus est utraque ad »approbationem perfectae ac verae, nihilque habentis pravitatis inhumanationis suae.»

Maximus, de *S. Trinit.* Dialogo V. n. 26 (7). «Ipse Chris»tus est Deus et homo... Deus leges ponit; et quatenus homo est, »fit legi obnoxius.» Sed ponere leges ut Deus, est habere voluntatem et operationem divinam; et subjici legi ut homo, est habere »voluntatem et operationem humanam. Ergo.

Exemplo rem explicat: «Si quis cogitatione concesserit solem per »lucernam et in lucerna suam lucem emittere; illa non cessat esse »lucerna sed in sua permanet efficacia atque motu: ita Deus Ver-

(1) Joan. V, 19.—(2) Ibid. 21.—(3) Ibid. 27.—(4) Jo. XV, 10.—(5) L. 3, c. 32. —(6) In Ps. 2.—(7) Inter opera Athanasii.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»bum vim suam in rationali et per rationale animal exercens, facit, »pro sua bona voluntate, supra quam ferat propria animalium na»tura, neque tamen prohibet quominus sit animal ratione praedi»tum.» (n. 29.) «Quomodo non vis Verbum ab humana natura »animalibus, rationalibus et patibilibus motibus secerni?» (n. 29).

Athanasius (1) ait: «Quae humano more de Salvatore dicta »habentur, cujusmodi sunt, esurire, laborare, quod oraverit et pas»sus sit... haec ad carnem attinent, quam nostri causa gestavit...» «Quae enim carni propria sunt, ipse concedit ut de se dicantur, quo »hinc palam fiat, non alterius, sed suum proprie corpus fuisse.

Ambrosius (2): «Numquid una operatio potest esse, ubi di»versa substantia est?»

189. 4.° In Christo sunt duae naturae integrae et perfectae. (Supra, Thes. XXI): Ergo et duo genera facultatum, intellectus, voluntas, etc. Atqui facultates sunt propter operationes; ergo Christus habet duas voluntates et operationes.

190. Obj. 1.° Juxta philosophorum effatum, actiones sunt suppositorum: sed unum est suppositum in Christo; ergo et una operatio.

Resp. Dist. *maj.* Sunt suppositorum, quatenus specificentur a supposito, seu *formaliter:* nego: quatenus quidquid agit est suppositum, seu, *materialiter;* concedo. Aliis verbis: actio est suppositi, ut *quo*, nego: ut *quod;* concedo.

Etenim prius est naturam esse in se completam, quam operari, ideoque debet esse suppositum.

Obj. 2.° Dionysius Areopag. (3): «Qui non secundum »Deum divina gessit, neque humana secundum hominem: verum, »Deo viro facto, unam quamdam deivirilem actionem expressit.»

Resp. 1.° Dixerunt aliqui PP. depravasse Monothelitas Areopagitae scripta.

Resp. 2.° *Unam* deivirilem actionem, quasi una fuerit in Christo virtus operativa; nego: quatenus *unum* erat suppositum cui subordinabantur actiones omnes, ut dictum est ad obj. 1.m concedo.

Obj. 3.° S. Cyrillus (4), ait: suscitans Christus principis filiam, «Unam et cognatam per ambas naturas ostendit opera»tionem.»

Resp. Dist. seu explico Cyrilli dictum: Unam operationem, quia natura divina operabatur principaliter, humana autem instrumentaliter, ideoque unitate ordinis; concedo: unitate entitativa et specifica; nego.

(1) *De Sentent.* Dionysii, n. 26.—(2) L. de *Fide*, c. 4.—(3) Epist. ad Cajum.—(4) In Jo. l. 4.

THESIS L.

Non secundum potentiam tantum, sed etiam secundum actum fuit voluntas tum sensibilis tum rationalis in Christo.

191. Thesis est de fide, et in praecedenti implicite probata: sed jam explicite eam confirmabimus.

1.° Conc. Oecum. VI. «Definientes duas naturales volun»tates non contrarias, absit... sed sequentem ejus humanam volun»tatem et non resistentem, sed potius quidem subjectam... Oporte»bat enim carnis voluntatem *moveri*, subjici vero divinae voluntati... Nam illius *velle* non est contrarium Deo.» Et inferius: «Cum »alterius communione utraque forma agit quod proprium est.»

Atqui forma humana, seu caro, duplicem habet voluntatem, rationalem et sensilem: Ergo utraque, cum divina, erat in Christo secundum actum.

Confirm. «Tam miracula quam passiones... non per phantasiam »sed veraciter demonstravit, ob naturalem differentiam in eadem »una subsistentia cognoscendam, dum cum alterius communione »utraque natura indivise et inconfuse propria vellet atque operare»tur.» Atqui monstravit actus appetitus sensitivi, sitim, famem, tristitiam, timorem... Ergo ejusmodi actus vere habuit.

192. Prob. 2.° Dicitur Christus (1), *Factus obediens usque ad mortem; Preces offerens*. Sed hi actus spectant ad voluntatem rationalem: ergo.

Item: *Coepit pavere, taedere et moestus esse. Factus in agonia. Factus sudor ejus sicut guttae sanguinis. Preces cum clamore valido et lacrimis offerens*. Sed hujusmodi passiones sunt actus appetitus sensitivi: ergo hisce non carebat actibus.

3.° Ideo duae voluntates et operationes in Christo erant, quia utraque natura perfecta erat, et quia utraque forma operabatur quod proprium erat. Sed neutrum extitisset carente Christo appetitu rationali vel sensitivo, aut actibus eorum: ergo. *Maj.* constat ex Thes. praecedenti. *Minor* est evidens. Vide Hippolyt. Maxim. et Athanas. in Thesi praeced.

193. Obj. 1.° Si duarum voluntatum habuit Christus actus, non fuit unus volens, sed duo volentes. Ergo non fuit unus Christus.

Resp. Dist. *antec.* Non fuit unus volens *in recto;* nego *antec. In obliquo;* conc. *antec.* Deinde nego *consequentiam* (Vide **Nota** III, in Thes. XXX).

(1) Philip. II, 8; Hebr. V, 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Obj. 2.° Si duarum voluntatum fuerunt in Christo actus, vera fuit quoque voluntatum discordia. Sed id concedi nullatenus potest: ergo.

Resp. Dist. *maj*. Discordia formalis, id est, circa idem objectum et eamdem rationem; nego *major*. Discordia materialis; subd. quae consisteret inter actus inefficaces et conditionatos; permitto: inter actus absolutos; nego.

Etenim divina Christi et Patris voluntas mortem et passionem volebat, quatenus in gloriam Dei et hominum salutem cedebat; sub hac autem ratione non aversabatur mortem humana Christi voluntas, sed cupiebat potius. Mortem autem Filii Dei secundum se, ut quoddam malum, immensum malum, deprecabatur *conditionate* humana Christi voluntas. Non ergo fuit discordia, sed concordia, potius inter divinam et humanam Christi voluntates: *Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum* (1).

Obj. 3.° Saltem inferior carnis voluntas mortem et tormenta absolute repudiabat, ita ut mortalem agoniam et sanguineum sudorem induceret: fuit ergo absoluta voluntatum contrarietas.

Resp. Negando *consequentiam*. Nam inferioris appetitus Christi motus erant perfecte sub motu et influxu superioris constituti; ideoque illius intentio seu motus non adversabatur superiori appetitui, sed potius hunc sequebatur. Imo forsan, sub aliqua ratione boni sensibilis in passione apprehensa, eamdem quoque appetitus inferior prosequutus est.

Haec autem quo magis elucescant sequentem statuimus Thesim.

THESIS LI.

Christus Dominus non habuit fomitem, neque in actu secundo, neque in actu primo.

194. **Nota** I.° Pars prima est de doctrina catholica certa, imo probabilius de fide.

Nota II.° Fomes, in actu secundo, sunt actus appetitus sensitivi ad objectum sensibile rationi contrarium tendentes, et rationem praevenientes.

Fomes, in actu primo, est naturalis inclinatio appetitus, privata illa rectitudine et subjectione ad rationem, quae fuerat statui Innocentiae concessa: ideoque est fomes, appetitus expeditus et proxime dispositus, ut praevenire possit rationem et contra illam moveri.

195. Prob. 1.° *Synod. Oecum. V*, can. 12. «Si quis defendit Theo»dorum impiissimum, qui dixit alium esse Deum Verbum et alium

(1) Sap. I, 13.

Christum, et passionibus animae et concupiscentiis carnis molesta»tum, Anath. sit.»

2.° Augustinus (1), inter horribilia monstra haeresis pelagianae, recenset quod dixerint: «*Nolente Christo, tamen libidine fuisse commotum.*»

Et Lateran. Conc. sub Martino I. «Si quis secun»dum scelerosos haereticos... in duabus voluntatibus et duabus »operationibus, hoc est, divina et humana, dissensiones et divisio»nes insipienter mysterio dispensationis ejus innectit... Condem»natus est.» Leo pp. in ep. 11. «Sensus corporis vigebant sine »lege peccati.» Et Damascenus (2). «Sentiebat et omnibus ute»batur absque passione.»

196. 2.ª Pars. Neque fuisse in Christo fomitem in actu primo, est communis Theologorum consensus, ideoque certum. In actu secundo esse non poterat: sed inutilis est habitus, qui nequit exire in actum: ergo sicut non decebat Christum actus secundus, neque decebat ut esset fomes in actu primo.

Deinde; impedire actum secundum fomitis connaturale Christo erat: sed non fuisset ei connaturale vigente fomite in actu primo. Etenim nequit naturaliter impedire actum ille qui ejusdem dominium non habet.

Denique tota propositio confirmatur sequenti Thesi.

THESIS LII.

Appetitus Christi sensilis semper, de consensu voluntatis rationalis, motus est.

197. Propositio est communis SS. Patrum et Theologorum, et certa.

1.° Deducitur ex doctrina Synod. oecum. VI. Rationes enim, quibus discordiam excludit voluntatum, afficiunt quoque carnis appetitum. «Oportebat enim carnis voluntatem moveri, sub»jici vero voluntati divinae, juxta sapientissimum Athanasium. »Sicut enim ejus caro, caro Verbi Dei dicitur et est, ita et naturalis »carnis ejus voluntas propria Dei Verbi dicitur et est... Nam et ca»ro propria ejus facta est.»

2.° Leo pp. (3). «Non erant (in Christo) discordiae desideri»rum... sensus vigebant sub moderamine deitatis et mentis.»

Augustinus (4) ait: «Ergo tristis fuit? Prorsus tristis, sed »voluntate suscipiens tristitiam.» Et iterum (5): «Turbaris tu no-

(1) *Opus Imperf.* contra Julian. l. 4, n. 49.—(2) *De duabus Christi voluntat.* n. 36. —(3) Ep. 11. - (4) In Ps. 93, n. 19. - (5) In c. XI, Jo. tract. 49, n. 18.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»lens; turbatus est Christus quia voluit.» Gregorius P. (1) confirmat.

Damascenus (2) dicit, in Christo «omnes affectus fuisse vo-»luntarios.»

198. 3.° Motus appetitus inferioris a superiori independens ex peccato procedit, nec in paradiso locum habuit. Atqui Christus, teste Apostolo (3), *sanctus* erat, *innocens*, *impollutus*, *segregatus a peccatoribus*, *excelsior coelis factus:* ergo rebellioni appetitus subjici non debuit. Subsumo: atqui neque expediebat ut voluntarie tamen susciperet rebellionem. Nam justi cum verecundia eam patiuntur, et per orationem, temperantiam aliasque virtutes ad ejus extirpationem incumbunt. Ergo.

199. Obj. Appetitus sensitivus tendit naturaliter ad suum objectum: ergo contra ipsius naturalem perfectionem indiget voluntatis influxu. Cum enim indifferentia careat, seu libertate, si non feratur ad suum objectum, naturali sua carere vi erit argumentum.

Resp. Dist. *Antec.* Tendit in actu primo; concedo: in actu secundo; subdist. Si nullo modo sit sub appetitu rationali (ut in brutis); concedo: si subjiciatur, plus vel minus, rationali appetitui, quemadmodum de homine docet Scriptura (4); iterum subdistinguo: tendit cum moderatione; conc. Sine moderatione; nego.

Deinde, distinguo *consequens:* si indigeat influxu propter defectum virium inferiorum; conc. Si indigeat influxu, quia plene moderetur a voluntate superiori; nego. Non enim est contra perfectionem partium quod ordinentur ad bonum totius vel nobiliorum partium.

THESIS LV.

In Christo Domino fuit intellectus, tum secundum potentiam, tum secundum actum.

200. Propositio est de fide.

Prob. I.° Synodus Oecum. V, can. 9, contra Origenem: «Si quis dixerit quod non Verbum Dei incarnatum carne animata »anima rationali et intelligente descendit ad inferos, et rursus in »coelum idem ascendit... Anath. sit.»

Leo pp. epist. dogm. ad Flavian. Patriarch. Constant. «Si-»cut Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dig-»nitate. Agit utraque forma, cum alterius communione, quod pro-»prium est.»

(1) Hom. 16, in Evang. Domin. 1.ª Quadrag.—(2) L. 3, 20 et 32.—(3) Hebr. VII, 26.—(4) Gen. IV, 7.

2.° Dixit Dominus (1): *Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis.* Jam vero haec dixit Christus ut homo: orare autem, gratias agere, scire, etc. nequeunt fieri sine intellectu et actu intelligendi. Ergo.

201. 3.° Ambrosius (2) duplicem esse docet in Christo scientiam, divinam et humanam; et verba illa Lucae (3), *Proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines*, de natura humana intelligit. Et sane, cum aetas et gratia ad humanitatem aperte spectent, idem prorsus dicendum de sapientia.

4.° Denique confirmatur tum testimonio Agathonis pp. tum aliis Theseos XLIX et L rationibus.

Obj. Intellectus et sapientia Verbi infinitae sunt perfectionis: ergo inutilis est in Christo alius intellectus vel alia scientia. Resp. Dist. *consequens:* inutilis est ad perfectionem intrinsecam Verbi; concedo: ad perfectionem intrinsecam humanae naturae; nego *consequentiam.*

THESIS LIV.

Christus habuit scientiam beatorum, seu visionem beatificam, ante mortem; imo ab ipsa conceptione.

202. Est communis theologorum sententia.

1.ª pars prob. 1.° Ait Christus (4): *Omnis qui audivit a Patre et didicit venit ad me: non quia Patrem viderit quisquam, nisi is qui est a Deo.* Caeteros excipit et sibi opponit in modo agnoscendi Patrem, quod nempe illum non viderint. Similiter alibi (5): *Ubi sum ego, illic et minister meus erit.* Atqui praecipuum ministris Christi praeparatum bonum est Dei visio; ergo Christus visione Dei fruebatur.

2.° Christus habuit plenitudinem *gratiae et veritatis*, prout decebat Unigenitum Patris (6). Sed nisi vidisset Deum ea caruisset plenitudine: ergo.

203. Prob. II.ª pars 1.° Ratione et auctoritate Sancti Damasceni: (7) «Propterea eos qui dicunt Christum verum incremen-»tum in sapientia accepisse, consequenter negare unionem factam »esse a primo illius carnis ortu; nam si tunc facta est, quid tandem »afferri potest, quin omnibus prorsus sapientiae gratiaeque opi-»bus affluxerit?»

2.° Augustinus (8) docet: aequalitatem Trinitatis in luce

(1) Jo. XI, 41, 42. — (2) L. *de Incarn.* c. 7.—(3) II, 52.—(4) Jo. VI, 45, 46.—(5) Ibid. XII, XVII, 24, —(6) Ibid. I, 14. — (7) L. 3, c. 22. — (8) *De consens. Evang.* l. 4, c. 11.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

liquidissima Verbi videri posse, non tamen perspique nisi cum ipse Dominus venerit; verum, hac proprietate, «Maxime distat a ceteris »homo cujus susceptione Verbum caro factum est.» Pariter ait (1); post hanc vitam videbimus facie ad faciem; attamen, «Hominem »quem Dei Sapientia gestabat, nihil latebat aut ab itinere retarda»bat; hoc interest inter illum et ceteros homines.»

3.° Plenitudo gratiae, ideoque visio beatifica, Christo debebatur propter unionem hypostaticam, seu, quatenus Unigenitus erat Patris. Sed talis fuit ab ipsa conceptione: ergo tunc et deinceps beatus fuit.

Confirm. Visio beatifica pendet a solo intellectu et lumine gloriae confortante: sed ille fuit in Christo a primo existentiae momento, istud autem simul cum Unione ad Verbum, tamquam proprietas connaturalis: ergo ab ipsa conceptione fuit in Christo scientia beatorum.

204. Obj. Cum visione beatifica stare nequit tristitia et dolor: sed haec fuerunt in Christo per totum Vitae cursum: ergo visio intuitiva non aderat.

Resp. Dist. *major*. Stare nequit tristitia naturaliter, conc. Supernaturaliter; nego. Etenim affectiones doloris et gaudii, sunt sane contrariae, non autem contradictoriae; ideoque non repugnat quod naturalis effectus summi gaudii, tristitiam excludentis, virtute divina impediatur; maxime cum omnes affectus in Christo forent dominio voluntatis ipsius commissi, uti dictum est (n. 197).

THESIS LV.

Christo fuit ab ipsa conceptione scientia plenissima, tum naturalis tum supernaturalis, infusa.

205. **Nota**: duplex est scientia infusa; scilicet, vel infusa per se, vel infusa per accidens. Illa scientia cujus species nequeunt virtute naturali intellectus effici, ut species veritatum supernaturalium, dicitur infusa per se: alias, dicitur infusa per accidens. Dicimus ergo quod Christo infusa fuerit omnis scientia, tum per se, tum per accidens; seu naturalis et supernaturalis.

1.° *Ingrediens mundum dicit: hostiam et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi: tunc dixi; ecce venio... ut faciam, Deus, voluntatem tuam... In qua voluntate sanctificati sumus* (2).

Manifestum est hanc oblationem fuisse a Christo, ut homine, factam, ideoque non sine scientia infusa earum rerum ad talem

(1) L. 83, *Quaest.* q. 65.—(2) Hebr. X, 5, 7.

oblationem spectantium; scilicet, suae humanitatis, Dei, divinae voluntatis, hostiarum antiquarum et insufficientae earum, hominum omnium et peccatorum ipsorum, ac sanctificationis justorum, etc. Atqui ejusmodi res ad utrumque spectant ordinem naturalem et supernaturalem. Ergo utriusque ordinis habebat scientiam.

Quod autem Christi ingredientis mundum scientia erat plenissima, id est, attingens *totum* naturalem ac supernaturalem ordinem, non est ambigendum: etenim ut Christus perfectam et undequaque voluntariam ac meritoriam oblationem faceret, tum latitudinem ejusdem, tum necessitatem et fructum plenissime cognovit: jam vero latitudo fructus et necessitas redemptionis Christi ad universum se porrigebat naturae et gratiae ordinem, sicut ex verbis Apostoli colligit Athanasius (1): «Primogenitum (vocatur »Verbum) omnis creaturae, propter Patris in homines benignita»tem, per quam non solum omnia in ipsius Verbo constituta sunt, »verum ipsa etiam creatura, ut ait de illa Apostolus, *revelatio»nem filiorum Dei exspectans, liberabitur a servitute corruptionis in »libertatem gloriae filiorum Dei*. Cujus hoc pacto liberatae, nec non »omnium qui filii facti fuerint, Dominus primogenitus futurus »est... Ut modis omnibus primogenitus fieret, tum cum eas creat, »tum cum ipse in orbem terrarum, omnium causa, introducitur.»

206. 2.° Isaias (2): *Et requiescet super eum Spiritus Sapientiae et intellectus...* Et Apostolus (3): *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae.*

3.° Confirmatur auctoritate et ratione S. Damasceni, ut habetur in Thesi praecedenti. Necnon Augustini: «Hominem »quem Dei sapientia gestabat, nihil latebat.»

207. 4.° Debebatur Christo, et quidem ab existentiae initio, scientia beatorum; ergo a fortiori quaelibet alia intellectualis perfectio.

Confirm. Christus Dominus erat simul comprehensor et viator. Sed viatoris proprium est cognoscere Deum in creaturis, sive naturalibus, sive supernaturalibus: ergo omnium creaturarum Christus habuit species, et quidem ab initio; decebat enim quod perfectissimus esset viator, qui erat ipsa *via, veritas et vita* (4). *Maj.* patet: voluit enim Christus nostram salutem mereri, suamque resurrectionem, et exemplum in via hac currendi praebere, ut testatur Apostolus (5).

208. Obj. 1.° Omnia Christus videbat in Verbo per beatificam scientiam: ergo inutilis erat alia quaevis scientia.

(1) Or. 2, *contr. Arian.* 63, 64.—(2) XI, 2.—(3) Colos. II, 3.—(4) Jo. XIV, 6.—(5) Hebr. XII, 1, 2.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. Nego consequentiam: tum quia Christus erat simul viator et comprehensor, tum quod lumen gloriae non impedit, imo vero supponit, lumen naturale vel supernaturale intellectus; ideoque neque actus illius luminis, inutiles facit alios vel naturales vel supernaturales actus.

Obj. 2.° Non videtur potuisse Christus dignoscere actus liberos futuros, seu futura contingentia: si enim illos cognovit per revelationem, dicendum erit habuisse fidem, quae comprehensori repugnat; si vero illos cognovit evidenter, nec intuitive, neque abstractive potuit illos cognoscere; nam neque actu sunt, neque cum aliquo medio connectuntur. Ergo solum per scientiam beatam futura contingentia novit.

Resp. Cognovisse quidem Christum omnia futura contingentia, non quidem per fidem, sed evidenter; neque intuitive, sed per conceptus a Deo infusos, quibus existentia illorum contingentium significabatur, cum experimentali evidentia quod tales conceptus a Deo immittebantur.

Obj. 3.° Scientia per accidens infusa est connaturalis intellectui quoad substantiam et solum supernaturalis quoad modum, seu, ratione causae. Atqui inutiliter infunditur Christo scientia quam connaturaliter intellectus sibi acquirere potest; ergo non fuit in Christo scientia infusa per accidens.

Resp. Dist. *Maj.* Est supernaturalis quoad modum, si infunditur ei qui est in statu viae tantum: conc. *maj.* Est supernaturalis quoad modum in Christo: nego *maj.* Cum enim Christus esset simul in statu viae, beatitudinis et unionis hypostaticae, debebatur ei connaturaliter scientia illa infusa, sicut debetur Angelis et animabus separatis.

Deinde dist. *min.* Si poterat sibi illam scientiam ab initio existentiae connaturaliter et plene acquirere; conc. *min.* Aliter; nego *min.*

Instabis: Christus perfectum habuit intellectum et agentem et possibilem: sed frustra habuit, si infusae ei fuerunt species naturalis ordinis. Ergo eas infusas non accepit.

Resp. 1.° nego *min.* Sicut neque frustra habuit Christus virtutem generativam, quia numquam genuit; vel facultatem ridendi, si numquam risit, ut putat S. Bernardus. Cum enim facultas aliqua spectat ad naturam, ipsa naturae perfectio est sufficiens ratio illam habendi, licet usus ipsius praetermittatur ob rationabilem causam. «Melius est, ait Suarezius (1), numquam carere aliqua per»fectione, etiamsi a Deo solo recipienda sit, quam carere illa aliquo

(1) *De Incarn.* Disp. 30, 5, 2.

»tempore, ut per proprios actus obtineatur, quia hoc fere nihil per»fectionis addit, ut in simili dixit D. Thomas (1).»

Resp. 2.° Dist *min.* Si infusae Christo fuerunt species omnes tum experimentales tum scientificae, transeat *min.* Si non fuerunt infusae species experimentales; nego *min.*

Cum enim species experimentales referant objecta, uti jam cognita et sensibus percepta, non debuerunt effici in mente donec objecta ipsa ocurrerent: tunc igitur usus est Christus intellectu agente, ideoque exercitio hujus non omnino caruit.

THESIS LVI.

Voluntas humana Christi donata fuit libero arbitrio.

209. Propositio, ait Doctor Eximius, est de fide. Ad rei autem intelligentiam.

Nota I.° Libertas, in sensu proprio, significat facultatem agendi sine necessitate; in sensu lato, vim agendi absque coactione. Quidam antiqui theologi putarunt, fuisse in Christo tantummodo libertatem a coactione; quam sententiam recensuit D. Thomas uti opinionem probabilem (2), quin tamen unquam doceret: nunc vero, inter errores Jansenistarum, est damnata et omnino falsa.

210. **Nota** II.° Haec carentia necessitatis in voluntate libera non est mera negatio, sicut in ente contingente carentia necessitatis ad existendum; nec est activitatis defectus, sicut testudo non habet necessitatem currendi: sed sita est in quadam indifferentia ad agendum hoc vel illud, orta ex perfectione potentiae ad opposita se habentis, et se ipsam ad unum vel ad aliud determinantis. Hanc libertatis notionem, solita sua claritate, nobis tradidit D. Thomas: «Ipsa potentia voluntatis, quantum in se, est indifferens ad plura: »sed quod determinate exeat in hunc actum, non est ab alio deter»minante, sed ab ipsa voluntate» (3). Unde non ea est indifferentia propria liberi arbitrii, quae indigeat ab alio determinari, sed potius negatio ejusdem: ita ipse Doctor Angel. «Non esset ho»mo liberi arbitrii, nisi ad ipsum determinatio sui operis pertine»ret (4).

Nota III.° Voluntas tamquam objectum proprium et specificum respicit bonum; bonum autem vel est absolute et simpliciter tale, vel relative et secundum quid: ad primum est determinata specificative ab intrinseco et ideo ab Auctore naturae; ad secundum autem

(1) Q. 19, a. 3.—(2) III Dist. 18, q. 1, a. 2, ad 5.—(3) II Dist. 39, q. 1, a. 1.—(4) II Dist. 28, q. 1 a. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

non est determinata nisi cum illud voluntas sibi, tamquam particularem finem, proponit; quod facere nequit nisi per rationem bonitas respectiva et secundum quid ipsi elucescat. Hac de causa dicitur voluntas per judicium determinari; scilicet, quoad sufficientiam et actum primum proximum, non autem quoad actum secundum et efficaciter: hoc enim ad ipsam spectat voluntatem rationalem. Cum ergo ostenderimus in Christo et voluntatem esse et rationem; utriusque nunc connaturalem proprietatem, nempe, libertatem in eo esse probamus.

211. Prob. 1.° Concilium Trident. (1) definit, Christum meruisse. Atqui meritum dari nequit absque libertate a necessitate; ergo est in Christo libertas arbitrii.

Min. constat ex damnatione Proposit. 3.ae Jansenii: «Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione:» quae, ut haeretica, confixa est. Item, ex Prop. 39.a Baji, a Pio V rejecta: «Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.» Et 67. «Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessario agit.»

Prob. 2.° Concil. Later. sub Martino I. «Per utramque ejus naturam voluntarius naturaliter idem consistit nostrae salutis operator.»

Ex quibus arguimus: ita voluntarius naturaliter operatus est Christus nostram salutem qua Deus, sicut qua homo. Sed quatenus Deus operatus est voluntate libera a necessitate: ergo et qua homo.

3.° Dixit Christus (2): *Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a me ipso... Hoc mandatum accepi a Patre meo.* nempe ponendi, animam meam.

Loquitur Christus ut homo, ut patet: sed mandatum accipere, supponit libertatem; et illud ex propria determinatione exequi, est libertate uti: ergo.

212. 4.° Eodem Scripturae testimonio arguebant Patres. Gregorius, (3) «Christum sine ulla necessitate passum.» Quid clarius dici potest?

Augustinus (4), «Qui potuit non mori si nollet, procul dubio, quia voluit mortuus es.»

Chrysostomus (5), «Si igitur nullam necessitatem habuit ut crucifigeretur, crucifixus est propter nos.»

5.° Indifferentia est de natura liberi arbitrii, ut probat D. Thomas (6): De natura autem hominis est liberum arbitrium; ibid (7).

(1) Sess. V, can. 3. – (2) Jo. X, 18.— (3) Moral. L, 24, c. 2.—(4) De Trinit. l. 4, c. 13. – (5) Hom, 28, in ep. ad Hebr.—(6) P. 1, q. 19, a. 10.—(7) Q. 83, a. 1.

Atqui perfecta fuit natura humana Christi (supra, Thes. XVIII et XIX): ergo donatur Christus libero arbitrio.

213. Obj. 1.° Liberum arbitrium se habet ad utrumque. Sed voluntas Christi fuit determinata ad bonum, seu, non potuit peccare. Ergo non fuit libera.

Resp. cum D. Thoma (1): dist *min.* Fuit determinata ad bonum confuse, id est, ut semper bene ageret; conc. fuit enim omnino impeccabilis.

Fuit determinata ad hoc vel illud bonum: nego.

Sane fuit Christus impeccabilis, seu confirmatus in gratia, ut supra dictum est, (Thes. XXXIII et XXXIV): facultas autem peccandi non requiritur ad libertatem, cum Deus sit summe liber et ab essentia impeccabilis; nec est perfectio, sed defectus, ut ait Augustinus (2): «Etiam mala voluntate vel sola, quisque miser efficitur; sed miserior potestate, qua desiderium malae voluntatis impletur (3).»

Obj. 2.° Qui liberum habet arbitrium et subjicitur praecepto, potest peccare: vel ergo caruit Christus libero arbitrio, vel incapax fuit praecepti suscipiendi.

Resp. Dist. *Antec.* Qui liberum habet... potest peccare, si ei debeatur rectus usus liberi arbitrii; nego: si non debeatur; concedo.

Deinde, nego *consequens* et *consequentiam*, et ad majorem rei evidentiam sit,

THESIS LVII.

Christus vere et proprie fuit praecepti capax.

214. **Nota** I.° Haec sine dubio, ait Doctor Eximius (4), est mens D. Thomae, tum q. 20, a. 1, tum q. 47, a. 2; estque communis Theologorum sententia.

Nota II.° Praeceptum et mandatum idem plane significant, ut notat ibid. Suarezius: in eo autem differunt a consilio; quod hoc manifestat consilians suum judicium de meliori, et propensionem voluntatis in idem, quin obliget, ut patet ex Apostolo (5); *Praeceptum Domini non habeo, consilium autem...* Adeoque consilium non est formaliter superioris, et jurisdictionis actus; è contra praeceptum; quia voluntatem obligandi includit; id est, quod non possit id quod praecipitur aliter jure et honeste fieri, ideoque omissio foret peccatoria.

(1) Q. 18, a. 4, ad 3.— (2) *De Trinit.* l. 13, c. 5.— (3) Vide quoque Augustinum; *Opus imperf. contra Julian.* l. 1, n. 100. - (4) *De Incarnat.* Disp. 43, sec. 1.— (5) I Cor. VII, 25.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Nota III.° Praeceptum dupliciter edici potest; vel sub comminatione poenae, et vocatur *coactivum;* vel simpliciter obligando, et dicitur *directivum*. Thesis de praecepto directivo intelligenda.

215. Prob. 1.° ex Synod. Oecum. VI. «Praedicamus... »sequentem ejus humanam voluntatem et non resistentem vel re»luctantem, sed potius et subjectam divinae ejus voluntati. Oporte»bat (ἔδει, necessum erat) enim carnis voluntatem moveri, subjici »vero voluntati divinae, juxta sapientissimum Athanasium.»

Perspicue significat haec Synodi definitio, quod ratione superioris potestatis et jurisdictionis, ideoque ex obligatione subjiciebatur Christus divinae voluntati: sed hoc spectat ad veri et proprii praecepti naturam; ergo veri praecepti fuit capax.

2.° *In capite libri... Deus meus, volui legem tuam in medio cordis mei* (1). Unde: voluntas, quae vim habet legis, est verum et proprium mandatum: sed Christus faciebat voluntatem Patris, quatenus habebat rationem legis: ergo etiam mandati.

Item: *Si praecepta mea servaveritis... Sicut et ego Patris mei praecepta servavi*... Unde: ipse Dominus asserit se obsequi praeceptis Patris, quemadmodum et nos debemus obsequi suis: sed nos subjicimur vere et proprie: ergo et Christus. Praeterea: ait, hanc suam obedientiam esse connexam cum dilectione, quemadmodum et nostra connectitur: sed nisi forent vera et propria praecepta non staret talis connexio: ergo.

3.° Christus adstringebatur lege naturali amandi Deum, non mentiendi, etc., etc. Sed lex naturalis habebat etiam erga Christum veram et propriam rationem praecepti: ergo.

Prob. *min*. Lex naturalis est divina, ideoque superior Christo ut homine: sed obligatio innixa lege superioris habet veram et propriam praecepti rationem: ergo.

Confirm. Dixit Christus (2): *Si dixero quia non scio eum, ero similis vobis, mendax*. Sed si non obligaretur lege naturali, non fuisset mendax sicut alii: ergo.

216. Obj. 1.° Perfectius est et excellentius agere ex charitate quam ex obedientia: unde Christus dicitur ex charitate passus (3): *Dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis*. Ergo potius ex charitate quam ex obedientia egit Christus.

Resp. cum D. Thoma (4): «Eadem ratione Christus passus »est ex charitate et obedientia: quia et praecepta charitatis ex obe»dientia implevit, et obediens fuit ex dilectione ad Patrem praeci»pientem.»

(1) Ps. XXXIX, 8, 9; Hebr. X, 7. — (2) Jo. VIII, 55. — (3) Eph. V, 2. — (4) Q. 47, a. 2, ad 3.

Obj. 2.° Si Deus proprie aliquid Christo praeciperet vel prohiberet, intenderet ejus actionem vel omissionem esse illicitam; sed aliquam actionem vel omissionem Christi esse illicitam repugnat; ergo Deus intenderet chimaeram.

Resp. Dist. *min*. Repugnat absolute et de facto; conc. Conditionate et de jure; nego. Scilicet, evenire non potest ut actio aliqua a Christo posita sit illicita: id autem accideret, si praeceptum infringeret.

Obj. 3.° Nequit serio prohiberi quod est impossibile, vel praecipi quod est necessarium; si ergo non poterat Christus infringere praeceptum, neque imponi illi poterat.

Resp. Dist. *antec*. Nequit serio... si fuerit impossibile vel necessarium antecedenter ad praeceptum; conc. Si fuerit impossibile vel necessarium dependenter a praecepto; nego.

217. Obj. 4.° Impossibile est Christum omittere rem praeceptam, vel facere prohibitam; ideoque ejus obedientia non posset esse meritoria. Sed Christus meruit obediendo, sicut ad officium Mediatoris, et statum decebat viatoris: ergo veri et proprii praecepti non fuit capax.

Resp. Dist. *Maj*. Impossibile est antecedenter, seu defectu potentiae; nego *maj*. Impossibile est consequenter, id est, quatenus auxilia Christo collata non poterant non esse efficacia; concedo.

Etenim, ut supra diximus (Thes. XXXIV), debebatur Christo plenitudo gratiae, ideoque perfectiora ad agendum auxilia, id est, inter efficacia efficacissima. «Deitas regebat animam; unde non po»terat peccatum attingere ad ejus animam.» ait D. Thomas (1).

Obj. 5.° Cum amore Dei necessario stare nequit libertas ad praeceptum strictum libere exequendum. Sed Christus ex visione beatifica necessario Deum amabat: ergo proprii et libere implendi praecepti fuit incapax. Resp. Dist. *maj*. Si praeceptum sit exequendum sub directione scientiae beatificae: concedo *maj*. Sin vero scientia infusa vel acquisita exequi possit; nego *maj*.: nam scientia ejusmodi non tollit voluntatis dominium et indifferentiam. Praeterea, nec voluntas necessario sequitur scientiam beatificam, nisi divinus comitetur concursus ad volendum, qui a Deo suspendi potest.

Alii AA. istam solvunt difficultatem dicendo: Christum quidem non fuisse liberum ut posset infringere praecepta; fuisse autem vere liberum, ut ea impleret ex tali vel tali actu, vel ex tali vel tali motivo, puta, fortitudinis, humilitatis, obedientiae, charitatis etc., et ita multimodis potuisse mereri in observantia praeceptorum, etiamsi ea infringere nullatenus posset.

(1) III Dist. 12, q. 2, a. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Alias alii excogitaverunt conciliandi libertatem cum impeccabilitate rationes, quas videsis apud Auctores.

THESIS LVIII.

In Christo nec peccatum fuit, nec esse ullatenus potuit, non tantum de potentia ordinaria, sed nec de potentia absoluta.

218. **Nota**: impossibile de potentia ordinaria dicitur quod praestituto divinitus ordini adversatur: quod autem in nullo possibili rerum ordine evenire potest, dicitur impossibile de potentia absoluta.

Pars prima est fide certa: secunda autem proxima fidei, et probabilius de fide: tertia est ita certa, ut sine temeritate et quadam impietatis specie non possit negari, ait Doctor Eximius.

Prima pars prob. 1.° ex Definitione fidei Synodi Oecum. VI. «Consubstantialem Patri secundum deitatem, et consubstantialem »nobis secundum humanitatem, per omnia similem nobis absque »peccato.»

2.° Ex symbolo fidei Concil. Toletani XI. «In qua »suscepta hominis forma, juxta evangelicam veritatem, sine pecca»to conceptus, sine peccato mortuus creditur, qui solus pro nobis »peccatum est factus, id est, sacrificium pro peccatis nostris.»

3.° Ait Apostolus (1): *Non enim habemus Pontificem qui non possit compati infirmitatibus nostris: tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato*. Item, videas S. Petrum (2) et Isaiam prophetam (3).

4.° Christo debetur beatitudo ac plenitudo gratiae (Supra, Thes. XXXIV et XLII). Sed cum neutra stare potest peccatum: ergo numquam peccavit.

Praeterea: Christus venit ut homines cum Deo reconciliaret (4), et exemplar et forma esset cui omnes assimilarentur (5). Sed his minime potuisset fungi muneribus, si peccatum admisisset: ergo in Christo non fuit peccatum.

219. II.ª Pars prob. 1.° Concil. Oecum VI ait: «Oportebat »carnis voluntatem... subjici divinae voluntati. Sicut enim ejus »caro, caro Verbi Dei dicitur et est, ita et voluntas propria Verbi »Dei dicitur et est.»

Ex quibus sic argues: ejus est velle, cujus est voluntas; ergo si voluntas carnis peccaret, Verbum Dei peccaret: sed hoc est aperte

(1) Hebr. IV, 15; VII, 26.—(2) I Petr. II, 22.—(3) LIII, 9.—(4) Hebr. VII, 26.—(5) Rom. VIII, 29.

absurdum. Confirm. Ex eadem radice Unionis hypostaticae deducit Concilium; «Velle illius, quod in Salvatore intelligitur, *deificatum »est totum:*» ergo si velle Christi posset peccatum fieri, haberetur peccatum *deificatum totum*. Quod quam sit chimoericum, quis non videt?

2.° Hieronymus, in epist. ad Ctesiphontem, dicit: proprium esse Christi quod sit impeccabilis.

Chrysostomus ait (1). «Non pro se ipso. Quomodo enim pro »se offerret cum impeccabilis sit.» Et Gregor. Naz. (2). «Chris»ti voluntas, cum tota deificata sit, Deo proculdubio non adversa»tur.»

Tertullianus (l. de *Carne Christi*) respondens ad hoc argumentum; «Si nostram induit carnem, peccatrix est caro Christi;» ait: «Nostram induit, suam fecit, et suam faciens non peccatricem »fecit.»

Augustinus quoque (3): «Natura humana... qualem Chris»tus assumpsit... nullo peccato potuit depravari.»

3.° Probatur iisdem rationibus, quibus I^am^ partem theseos, sub n.° 4.° confirmavimus.

220. III.ª pars prob. 1.° ratione ex Conc. Oecum. VI in II.ª parte theseos deducta.

2.° Ex dictis etiam sententiis Gregorii Naz. et Tertulliani. Augustinus (4) pariter Christi impeccabilitatem repetit immediate ab ipsa Unione hypostatica: ait enim: «Neque me»tuendum erat, ne isto ineffabili modo in unitatem personae a Ver»bo Dei humana natura suscepta, per liberum voluntatis peccaret »arbitrium, cum ipsa susceptio talis esset, ut natura hominis a Deo »ita suscepta nullum in se motum malae voluntatis admitteret.»

Ergo ab intrinseco, non autem ratione solius providentiae ordinariae, convenit Christo impeccabilitas.

3.° Humanitas Christi est formaliter sancta per ipsam gratiam unionis: sed repugnat esse simul peccato infectum et formaliter sanctum, sanctitate infinita. Ergo. *Maj*. patet supra (Thes. XXXIII.)

Praeterea, ut arguit Doctor Exim. adversus Durandum et Marsilium: si Christus per humanitatem peccaret, Verbum peccaret, Deus peccaret: sed est in hoc manifesta impietas et contradictio: ergo. *Maj*. patet ex superius dictis (Thes. XXX). *Minor* est aperta.

Item, Doctor Angel. ait (5): «Secundum quod fuit Deus, »et anima ejus et corpus fuerunt quasi organum deitatis, secun-

(1) In ep, ad Hebr. VII, 27.— (2) Or, 36.— (3) L. 3, *contra Maxim.* c. 10. — (4) L. *de Correp. et Gratia* c. 11.—(5) III dist. 12, q. 2, a. 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»dum quod dicit Damascenus; Deitas regebat ani»mam: unde non poterat peccatum attingere ad ejus animam, si»cut nec Deus poterat peccare.»

221. Obj. 1.° Dixit Christus Dominus, ore prophetae: *Deus, Deus meus... longe a salute mea verba delictorum meorum* (1).

Resp. In hebraico textu legitur: *Verba rugitus mei*, non autem *delictorum meorum*. Scilicet, deprecabatur Christus magno cordis affectu ut transiret, si fieri posset, calix ille; cum autem mori necessum esset, dicebat ad Patrem: *Longe a salute mea*... vel respondeas, si mavis, ut in sequenti objectione.

Obj. 2.° Cum per prophetam de Christo Deus loqueretur, ait: *Qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga* (2)... Ergo peccato fuit obnoxius.

Resp. Respiciunt verba haec, sensu literali, Salomonem, qui figura Christi fuit. In sensu autem spirituali ad Christum in suis spiritualibus membris spectabant, ut facile patebit si conferas alium parallelum locum (3); ubi de eadem re explicatior est sententia. Etenim Christus nostra delicta, volens pro iis satisfacere, sua fecit; ideoque cum inique agimus, ille veluti inique agit; et cum ab eo Deus poenas exquirit, dicere illi potest: *longe a salute mea verba delictorum meorum*.

THESIS LIX.

In Christo Domino fuerunt, ab initio conceptionis, infusae omnes virtutes; sive quae dicuntur infusae per se, sive genere suo acquisitae seu infusae per accidens.

222. **Nota** I.° De illis loquimur virtutibus, quae nullam supponunt imperfectionem: sic, ex. gr., fides versatur circa objectum obscurum; poenitentia supponit peccatum admissum, ut auctores aliqui putant.

II.° Virtutes *per se* infusae versantur, natura sua, circa objectum supernaturale, vel, saltem, quatenus supernaturali modo attingendum; qua de causa adquiri nequeunt, sed debent infundi.

I.ª Pars probr. Virtutes infusae, ut supponimus ex tractatu de *Gratia et Virtutibus*, simul cum gratia infunduntur tamquam ejusdem proprietates. Atqui, ut supra dictum est, Christus habuit plenitudinem gratiae: ergo et virtutes.

Deinde: nullo modo decebat ut membra perfectiori agerent modo, quam caput et exemplar praedestinatorum et totius supernatu-

(1) Ps. XXI, 2.—(2) II Reg. VII, 14.—(3) Ps. LXXXVIII, 31.

ralis ordinis: ergo si justis omnibus virtutes infunduntur supernaturales, ut, connaturali modo, actus perficiant ordinis ad gratiam spectantis; id de Christo potius dicendum est.

223. Obj. 1.° Ratione unionis hypostaticae debebantur Christo omnia auxilia gratiae quibus supernaturaliter ageret: ergo inutiles erant habitus infusi ad hoc, ut actus eliceret supernaturales.

Resp. dist. *ant*. Debebantur Christo omnia auxilia tum actualia et transeuntia, tum habitualia; conc. Transeuntia tantum; nego. Nam cum justis habitus infundantur, ut connaturali modo operenter supernaturaliter, haec supernaturalis habitudo et facilitas Christo deesse non poterat.

Obj. 2.° Spes pro objecto habet beatitudinem, tamquam bonum arduum assequendum, et bona cetera ad beatitudinem spectantia; puta, auxilia gratiae, corporis gloriam, etc. Sed Christus beatitudine fruebatur, et quoad alia bona nullum sibi arduum ac difficile apprehendebat. Ergo non habuit infusum habitum spei.

Resp. Dist. *maj*. Spes habet pro objecto *adaequato*, seu quoad omnes suos actus, beatitudinem... Nego *maj*. Quoad aliquos actus, et prout a viatoribus communiter exercentur: conc. *maj*. Etenim universalissima ratio formalis spei consistit in eo, quod Deum attingat ut sibi bonum, idest, speranti; charitatis autem, ut illum propter se, seu ut in se bonum, prosequatur. Ita D. Thomas (1). Proinde, licet jam Christus Deo frueretur, licet nihil ei arduum foret, nihil id obstat quominus habitum haberet spei.

224. Quoad virtutem poenitentiae putant nonnulli Auctores, objectum ipsius specificum esse peccata *sua* deflere seu compensare: quod si concedatur, in Christo haec virtus esse non potuit. At Suarezius putat, non esse *poenitentium habitum* a virtute *justitiae* diversum: sed ipsam justitiam, quatenus tendentem ad reparandam injuriam Deo per peccatum illatam: ita sane virtus *poenitentiae* perfectissima in Christo fuit, qui pro peccatis omnium satisfacere clementer voluit, ut infra dicetur.

225. II.ª Pars prob. 1.° Virtutes naturales, seu ex genere suo acquisitae, sunt magnum humanae naturae bonum, imo maximum bonorum nostrae naturae, ut docet D. Angelicus (2): ideoque et Adae, a prima sua existentia, datae fuere (3). Atqui, ut saepe dictum est, assumpsit Christus naturam perfectam, et, ut ajunt PP. quidquid in humana natura plantavit: ergo.

2.° Affectuum moderatio, id est, eorum rationis regimini subjectio, perfecta erat in Christo (Thes. LII): atqui haec moderatio con-

(1) 2, 2, q. 17, a. 6.—(2) Q. Q. Disp. q. de Virt. a. 9, ad 7.—(3) V. Suarez, *de oper. sex. dier.* l. 3, c. XI.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

naturaliter fit per virtutes, quae facilitatem voluntati tribuunt ut sequatur rationis ductum; ergo convenienter ab initio virtutes omnes fuerunt Christo infusae.

3.° Sicut motus naturales corporeos exercuit Christus, ita et motus naturales animi elicuisse non est dubitandum; uti connaturalem habuisse affectum misericordiae, desiderium naturalis justitiae, etc. Ergo decebat quoque habere Christum habitus naturales harum virtutum, quibus actus illi perfecte exercentur. Subsumo: atqui ab initio existentiae erat proxime dispositus ad tales virtutum actus: ergo ex eo tempore habitus quoque suscepit, quibus non solum bene, sed virtuose ageret.

Confirm. Ideo scientiam *per accidens* infusam habuit Christus (Thes. LV), ne illa formali careret perfectione: ergo a pari, neque carere debuit formali perfectione naturalium virtutum.

226. Obj. 1.° Virtutes infusae continent, eminenter, naturalium virtutum perfectionem: ergo inutiles in Christo hujusmodi erant.

Resp. dist. *ant.* Quoad perfectionem objectivam; conc. Subjectivam; nego. Nam infusae virtutes praebent *posse*, seu potentiam ad objectum supernaturale attingendum: acquisitae autem *facilitatem et delectationem* tribuunt in agendo, *posse* autem supponunt.

Obj. 2.° *Major* est perfectio acquirere sibi virtutes, quam eas infusas accipere. Ergo non fuerunt Christo infusae.

Resp. dist. *ant.* Si tunc infunderentur cum per se ipsum potest homo illas acquirere; conc. Si antea infundantur quam acquiri possint; nego. Melius est enim numquam illis carere, quam eas desiderare donec per exercitium tandem adquiri valeant.

Obj. 3.° Vel perfecit Christus virtutem suam bene agendo, vel non: si primum: ergo aliquid virtutis acquisitae et non infusae habuit: si secundum: ergo carebant in Christo actus perfectissimae virtutis ea efficacia, quae eis connaturalis existit, perficiendi, scilicet, habitum virtutis.

Resp. Concedo, minime adjecisse Christum perfectionem et augmentum virtutibus ab initio sibi infusis; non quidem propter actuum inefficaciam, sed propter virtutis plenitudinem, quae fuit semper, qualis Christum decebat, infinita quodammodo. Ideo Basilius, (in ps. 44) ait, hanc fuisse differentiam inter Christum et alios homines, quod alii «*labore et exercitatione haec assequuntur. »Christo autem naturalis est ad boni prosecutionem proprietas, et ad »iniquitatis fugam familiaris alienatio.*»

THESIS LX.

In Christo fuerunt omnia Dona Spiritus Sancti, etiam donum timoris.

227. **Nota** I.° Dissentiunt theologi circa Donorum Spiritus Sancti naturam; an, nempe, a virtutibus infusis distinguantur, necne. Supponimus cum D. Angel. et D. Eximio, distingui, et nihil esse aliud quam habitus quosdam, quibus redditur homo facile mobilis ad operandum ex inspiratione Spiritus Sancti.

Nota II.° Donorum Spiritus Sancti quatuor ad intelligentiam pertinent, tria autem ad voluntatem: priora sunt *intellectus, sapientia, scientia* et *consilium;* posteriora vero *timor, pietas, fortitudo.* Quid hujusmodi dona sint non est hujus loci disserere; dicimus autem id quod significatur esse in Christo.

228. Prob: 1.° Illis Isaiae verbis (1), scil.: *Et requiescet super eum Spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis; et replebit eum Spiritus timoris Domini.*

Sermonem autem esse de Christo, constat ex contextu, et ex Act. Apost. (2), et ex Apostolo ad Rom. (3), et aliis Nov. Testamenti locis, et communi PP. interpretatione.

2.° Ex SS. Patrum doctrina, Dona Sp. Sancti comitantur gratiam et sunt omnibus justis communia: ergo et in Christo perfectissime inveniuntur, cum habeat plenitudinem gratiae et Spiritus Sancti.

3.° Hieronymus, illum Isaiae exponens locum, non tantum de Jesu Christo intelligendum docet, sed quod a Christo in alios omnes haec effundantur dona. «Absque Christo igitur, nec »sapiens quis esse potest, nec intelligens, nec consiliarius, nec for»tis, nec eruditus, nec pius, nec plenus timoris Domini.»

4.° Denique quod spectat ad donum Timoris probatur ex damnatione erroris Abelardi, qui dicebat; «Quod in Christo non fuit do»num timoris.» Quem errorem, cum aliis, damnarunt Concilium Senonense et Innocentius II (an. 1140).

229. Obj. 1.° Consilium habetur post inquisitionem de agendis. Sed Christus absque ulla inquisitione evidenter sciebat quid semper agendum; ergo dono Consilii non indigebat.

Resp. Dist. *maj.* Semper et necessario; nego *maj.* Communiter et per accidens; conc. Communiter enim non sine difficultate et obscuritate de agendis judicamus, ideoque inquisitio aliqua praecedat oportet: id autem aliquando non accidit apud sapientiores, et prudentiores; in Christo vero numquam.

---

(1) XI, 2, 3.—(2) XIII, 23.—(3) XV, 12.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Obj. 2.° Timor respicit malum futurum vel imminens: atqui sciebat certissime Christus nullum animae suae malum vel culpae vel poenae imminere; ergo Timoris dono caruit.

Resp. Dist. *maj*. Timor, qui est passio sensilis; conc. Timor spiritualis; subd. Quoad substantiam seu essentiam timoris, nego *maj*. Quoad aliquos effectus; conc. *maj*. Scilicet, si executio mali apprehendatur simpliciter possibilis, ad affectum fugae concipiendum suffieit: ut autem perturbationem timor inducat, vel ad media adhibenda impellat quibus malum impediatur, hoc tamquam imminens apprehendi debet.

Ad *min*. dicimus; transeat. Nam praeter timorem culpae vel poenae, est timor reverentialis in humilitate immediate innixus. Timor, ut Augustinus et Gregorius M. docent, superbiae opponitur, et humilitas illum parit. Habebat autem Christus affectum summum humilitatis, id est, praeferendi in omnibus honorem divinum suo: hinc perfectissimus oritur reverentiae motus per modum fugae, quo humilis, in conspectu divinae Majestatis, veluti non audet ad illam accedere, et cavet sibi aliquid excellentiae et honoris illius usurpare, et fugit investigare vel comprehendere mirabilia ejus. Sic S. Hieronymus (1) dicit, alas Seraphim quibus se velabant, significare «Sacram illam ac plenam horroris veneratio»nem, qua sancti celsiorem mysteriorum indaginem perhorres»cunt.»

Obj. 3.° Christus, videns intuitive divinam Majestatem, ad plenam et necessariam reverentiam et subjectionem eidem tribuendam trahebatur: ergo nullam possibilem irreverentiam apprehendere poterat.

Resp. Conc. *antec*. et nego *consequentiam*. Praeter scientiam beatificam, aliam quoque infusam, ut supra dictum est, Christus habebat de divinis excellentiis: illa sane necessario voluntatem trahebat ad amorem et omnimodam reverentiam: haec vero minime. Ideoque per scientiam infusam poterat Christus liberos affectus tum amoris, tum humilitatis et reverentiae concipere.

THESIS LXI.

Christus D. nullam habuit imperfectionem moralem, nec habere potuit.

230. **Nota** I.° Aliud est agere minus perfecte moraliter, aliud autem agere imperfecte; illud solum significat imperfectionem negativam, posterius autem positivam. Sane B. V. Maria minus perfecte moraliter quam Christus agebat, non tamen erat imperfecta, aut imperfecte operabatur.

(1) In Isai. VI.

Nota II.ª Quid sit imperfectio moralis positiva, non omnes auctores eodem explicant sensu. Vera notio illa videtur, quam Ripalda, Suarez (1) et alii tradunt: agere contra consilium Superioris, seu contra voluntatem Dei propositam ut regulam agendi, non quidem obligantem ad culpam, sed significantem ei placiturum id quod proponit, non placiturum aut minus placiturum contrarium.

Imperfectio autem negativa erit, si quis, non stante Dei consilio, eligat actum minus perfectum; puta, agat ex motivo misericordiae, potius quam charitatis.

Thesis intelligitur de imperfectione morali positiva.

231. Prob. 1.ª pars. 1.° Dixit ipse Christus (2): *Descendi de coelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Quae placita sunt ei, facio semper*. Sed non ita fecisset, admissa morali imperfectione.

2.° Christus datus fuit hominibus in exemplum et regulam moralitatis et perfectae sanctitatis: sed non fuisset ejusmodi, si imperfectionem moralem habuisset. Ergo omni caruit imperfectione.

3.° De B. Virgine M. concedunt theologi, semper fecisse quod magis Deo placebat; et multi Sanctorum ad hanc conabantur perfectionem, et voto etiam ad id se adstringebant. Sed non est putandum Christum, exemplar Sanctorum omnium, minus praestitisse, vel volentem et conantem ad illum perfectionis gradum non attigisse. Nam, uti dictum est, fuerunt in Christo, ab initio conceptionis, virtutes omnes in perfectissimo gradu et omnia Sp. Sancti dona quibus anima redditur facile mobilis a gratia: ergo perfectissime egit.

232. Prob. II.ª pars. 1.° Si proposito Dei beneplacito et consilio, Christus contra illud ageret; in hoc actu non subjiceretur divinae voluntati, sed potius resisteret. Sed hoc fieri nequit; «Oportebat »carnis voluntatem subjici divinae voluntati:» ait Conc. Oecum. VI. (supra n. 215).

Confirm. «Velle Christi *Deificatum est totum*», uti docet idem Concilium. Sed repugnat actum displicentem divinae voluntati esse totum Deificatum, vel actum ita Deificatum aliquatenus Deo displicere: ergo repugnantiam implicat in Christo imperfectio quaelibet.

2.° Nequit accidere Christum imperfecte agere, nisi gratia efficax ei desit ad majus Dei beneplacitum exequendum. Sed Christo

(1) *De Incarnat.* D. 37, Sec. 3.—(2) Joan. VI, 38; VIII, 29.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

deesse auxilia efficacia non possunt ad perfecte divinam faciendam voluntatem: ergo. *Min.* prob. Christo data est plenitudo gratiae, idque ei debetur jure filiationis divinae; *Omnia dedit ei Pater in manus* (1). Sed non habuisset plenitudinem gratiae, neque dedisset ei omnia Pater in manus, si non concessisset gratiam efficacem ad imperfectionem cavendam: ergo nequibat imperfecte agere.

3.° Gregor. Nazianz. (2) ait: «Christi voluntas, cum tota »Deificata sit, Deo procul dubio non adversatur.»

4.° Perfecta sanctitas nihil exprobationis dignum patitur. Sed Christus ejusque actus omnes sunt perfecte sancti: ergo nihil imperfectionis, seu exprobrationis dignum habent. *Min.* patet ex natura sanctitatis Christi supra vindicata (Thes. XXXIII et XXXIV): sanctificatur namque Christus formaliter ipsa Deitate.

233. Obj. Magis Deo placet ut semper agatur id quod est perfectius: ergo ut vitaret Christus omnem imperfectionem positivam, debuit quoque cavere omnem imperfectionem negativam.

Resp. Dist. *antec.* Id quod est perfectius ratione modi volendi; conc. Id quod est perfectius ratione rei volitae; nego.

Deus perfectissime vult et agit; non tamen tenetur velle et agere quidquid est optimum. Christus autem clare sciebat quid magis Deo placebat, quidve suae voluntati, beneplacito aequali, permittebat: omnia quidem Christus perfectissime exequebatur, explendo omnem virtutem et gratiam sibi ad singula opera traditam; ad opera autem objective et specifice perfectiora nullatenus a Deo inducebatur.

Inst. Conari nos oportet ad agendum id quod est positive perfectius; puta ad actum charitatis potiusquam spei, justitiae potiusquam temperantiae: ergo et Christum ita egisse oportebat.

Resp. Concesso *antec.*; nego paritatem et *consequentiam.*

Etenim Christo Domino, ratione solius Unionis hypostaticae, debebatur plenitudo gratiae et gloriae: et singula ejus opera, cujusvis forent naturae, erant infinite meritoria et perfecta. At nostrae operationes, cum limitatae sint perfectionis, si nobilioris virtutis attingant motivum, et Deo magis grata ac gloriosa, et nobis multo magis meritoria existunt: hac de causa nos conari oportet ad actus nobiliorum virtutum.

THESIS LXII.

In Christo plenissime fuerunt gratiae miraculorum et prophetiae, et ceterae omnes gratiae gratis datae.

(1) Jo. XIII, 3.—(2) Orat. 36.

234. **Nota** I.° Gratiae gratis datae dicuntur operationes illae supernaturales, quae ad fidei confirmationem et ad aliorum, potiusquam ad operantium, profectum fiunt; scilicet; ut ii, quibus fides proponitur, ad eam ampletendam inducantur. Novem genera harum gratiarum communi DD. sensu enumerantur, quae apud A. Doctorem descripta videas (1).

Nota II.° Christum D. gratia miraculorum fuisse ornatum, fides docet (Vide supra Thes. IX); item et dono prophetiae (ibid. Thesis VII). Generatim autem probamus thesim:

235. 1.° Ex Augustino (2) argumentante; quia sicut «In »nostro corpore inest sensus singulis membris, sed non tantus »quantus in capite, ubi prorsus omnis est quinque partitus; ita in »quolibet quamvis praecipuo membro, velut in aliquo magno pro»pheta aut apostolo, quamvis divinitas habitet, non tamen, sicut »in capite quod est Christus, omnis plenitudo divinitatis.» Et alibi (3): «In ceteris membris non sentis nisi tactu... In capite autem »et vides, et audis, et olfacis, et gustas, et tangis. Si tanta excel»lentia est capitis ad membra cetera, quanta excellentia est in ca»pite universae Ecclesiae, id est, illius Hominis, quem voluit Deus »mediatorem inter Deum et homines?» Jam vero Sp. Sanctus gratias gratis datas dividit in membra Christi, uti corporis operationes in ejusdem membra dividuntur (4): ergo in Christo tamquam in capite omnes simul existunt gratia istae.

2.° Christus unctus est Spiritu Sancto, non tantum ad sui sanctificationem, sed ad evangelizandos etiam et sanctificandos omnes (supra, Thes. VI); *Spiritus Domini super me, propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me* (5)... Atqui ad sui sanctificationem accepit plenitudinem Spiritus Sancti, id exigente Unionis hypostaticae dignitate: ergo eamdem plenitudinem accepit ad munus evangelizandi et alios sanctificandi perfecte explendum.

236. 3.° Si caruisset Christus aliqua gratia gratis data, cum aliqua limitatione accepisset Spiritum nec omnia habuisset in manu ad verbum Dei fructuose praedicandum. Atqui *non ad mensuram* dedit Pater Spiritum Filio ut verba Dei loqueretur, et *omnia dedit in manu ejus* (6): ergo.

4.° Confirm. Quoad donum Miraculorum, et Prophetiae, supra diximus. Quoad gratiam sanitatum, Evangelium etiam testatur. Donum linguarum, interpretationem sermonum, discretionem spirituum, sermonem sapientiae et scientiae, fuisse in Christo, clare patet (ex Thes. LIV et LV); cum enim omnem naturalem et superna-

(1) 1, 2, Q. 3, a. 4.— (2) Epist. 187, n. 40 (Migne).— (3) In ps. 29, n. 2.— (4) I Cor. XII, 11.—(5) Luc. IV, 18.—(6) Jo. III, 34, 35.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

turalem haberet scientiam infusam, iis donis sane non carebat. Quoad fidei donum, quo venit illa firmissima certitudo ad edocendum et suadendum apta et efficax, obscuritate quidem excepta, eminenter comitabatur scientiam beatificam Christi et infusam.

237. Obj. 1.° Cognitio fidei est imperfecta et obscura: ergo haec gratia non fuit in Christo.

Resp. Fides est speciale donum, ratione majoris certitudinis a Spiritu Sancto procedentis: non ergo materialiter, sed eminenter tantum fuit gratia ista in Christo.

Obj. 2.° Prophetia versatur circa ea quae distant ab statu prophetantis, et cum aliqua eidem proponitur obscuritate. Atqui Christo haec non congruebant: ergo nec prophetia.

Resp. dist. *maj*. Prophetia versatur... essentialiter et objective, seu inspecta natura habitus: nego maj. Per accidens, et ratione subjecti; conc. *maj*. Obscuritas quidem in lumine prophetico Christi nulla erat: statum autem viatoris habebat, ideoque, ex hoc capite, alia prophetantis solita circumstantia non deerat Christo.

THESIS LXIII.

Christus D. non solum morali modo, sed etiam reali et physico, operatus est miracula, seu opera supernaturalia, per actiones suae humanitatis.

238. **Nota**: aliqui DD. ut Scotus, Durandus, etc. existimant actione solum morali, vel tamquam causam occasionalem, fecisse Christum supernaturalis ordinis effectus: veram autem et physicam efficientiam ad Deum tantum spectasse. At oppositam tuemur probabiliorem sententiam cum Doctore Angel. et D. Eximio, et aliis communiter ejusdem Scholae auctoribus.

Prob. 1.° Scriptura de Christo homine ita loquitur, tamquam virtutem et potestatem habente miraculosa opera faciendi. Sed potestas faciendi hujusmodi opera, per se et simpliciter loquendo, est potestas realis et physica: nam talis debet esse potestas, qualia sunt ipsius opera et effectus; morales effectus respiciunt potestatem moralem, physici autem physicam. Ergo physice Christus operatus est miracula.

Maj. patet: nam legitur (1): *De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone, coram Deo et omni populo*. Et rursus (2): *Jesum a Nazareth; quomodo unxit eum Deus Sp. Sto. et virtute, qui pertransiit benefaciendo et sanando*... Sane quod, *tamquam*

(1) Luc. XXIV, 19.– (2) Act. X, 38.

Deus, unctus fuerit *virtute* ad patranda miracula, est aperte absurdum: accepit ergo eam virtutem *ut homo*.

Ipse Christus de miraculis, tamquam vere et physice a se effectis, aperte loquebatur. Etenim Judaei scandalizabantur et murmurabant quod sabbatum violaret operando miracula: sane si solus Deus ea effecisset coram vel orante Christo, non solum Illum calumniabantur ut hominem, sed etiam virtutem et opera et gloriam soli Deo debitam ei tribuebant. Quid ergo Dominus? Numquid negavit se vere et physice operari? Numquid gloriam, veluti sibi falso et sacrilege concessam, recusavit? E contra, aperte factis et verbis fassus est opera illa se vere facere, neque ideo sabbatum violare. *Unusquisque vestrum sabbato non solvit bovem suum aut asinum a praesepio, et ducit adaquare? Qui habeat ovem unam, et si ceciderit haec sabbatis in foveam, nonne tenebit et levabit eam? Quanto magis melior est homo bove? Itaque licet sabbatis benefacere.*

Confirm. *Non possum ego a me ipso facere quidquam... Opera quae dedit mihi Pater ut perficiam ea, ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me* (1). Jam vero loqui Christum ut hominem, perspicuum est. Atqui facere et perficere opera, plus significat quam simpliciter orare ut fiant. Ergo non tantum moraliter, sed physice ea opera efficiebat.

Item: *Ecce vir plenus lepra, et videns Jesum, et procidens in faciem suam, rogavit eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum, tetigit cum dicens: volo mundare;* (2) Unde:

Rogavit Eum leprosus *ut hominem;* tribuit Eidem non tantum potestatem orandi, sed *mundandi:* Christus ejus fidem confirmavit.

Denique *Omnis turba* quaerebat eum tangere, quia virtus de illo *exibat et sanabat omnes* (3). Atqui aliud est virtus sanans, aliud oratio impetrans sanitatem: ergo. Et sane. Christus D. eam turbarum credulitatem non correxit, sed confirmavit potius, actiones humanas adhibendo extrinsecus ad miracula perficienda; ut tangere linguam muti, immittere digitos in aures surdi, linire oculos caeci luto ex saliva confecto, etc. etc.

239. 2.° S. Cyrillus, in *Exeges.* ad Valer. Episc., ait: «Carnem Christi, quia vivificantis Verbi propria facta est, actionem »ejus participasse.» S. Chrysostomus notat (4): non dixisse leprosum, «*Domine, si oraveris,* sed *si vis;* omnia ejus arbitrio et po»testati committens. Quid igitur, inquies, si falsa erat opinio lepro»si? Illam confutare oportuit, ipsumque increpare et corrigere. Num »igitur illud fecit? Nequaquam; imo dictum confirmat et roborat,

(1) Joann. V, 30, 36.—(2) Luc. V, 12, 13.—(3) Ibid. VI, 19.—(4) Hom. 25 vel. 26 in Matth.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»ut non illius opinione, sed Christi sententia dogma firmaretur.»

Vide Maximi sententiam cum similitudine lucernae, supra: (Thes. XLIX.)

Concil. Gener. Ephes., can. 9, explicitis verbis supponit Christum accepisse a Sp. Sancto ad patranda miracula efficaciam (τὸ ἐνεργεῖν), et de facto explevisse (ἐνήργησε); damnat autem dicentes, quod hanc efficaciam et potentiam ab Spiritu acceperit tamquam ab alieno, et non tamquam a proprio Spiritu. Ergo erat in Christo quaedam potestas participata et instrumentalis, a divina procedens, ad opera miraculosa efficienda. In Can. 11, definit: «Car»nem Domini... vivificatricem esse, quia facta est propria ipsius »Verbi, cuncta vivificare valentis.» Jam vero Verbum non vivificat occasionaliter vel moraliter: ergo neque de hac vivificandi ratione intelligere oportet efficaciam humanitatis ad vivificandum, quam a Verbo participat.

Sophronius, in Synod. epist, a Synod. Oecum. VI. approbata ut catholica et orthodoxa, de Christi miraculis omnibus ait: «Quae omnia ultra naturam et sermonem humanum effecta, di»vinae Verbi Dei essentiae atque naturae profecto existebant indi»cia, etsi per carnem agebantur (ἐνηργεῖτο) et corpus.» Ergo humanitas erat verum actionis physicae instrumentum, et non tantum causa moralis vel occasionalis.

240. 3.° Eatenus S. Scriptura et SS. PP. tribuentes Christo, ut homini, opera miraculosa, non deberent intelligi de propria et physica efficientia, quatenus hanc creaturae concedi repugnat. Sed non est ulla repugnantia in eo quod Christus, ut homo, physice miracula efficiat: ergo. *Maj.* patet; tum quia Christus dignus est tali virtute si haec non repugnat: tum quia potentia ad opus aliquod debet, per se loquendo, intelligi naturae operis accommodata: si ergo accepit Christus virtutem ad opera miraculosa, et haec virtute physica effici oporteat, talem illam fuisse existimandum.

Min. prob. Nulla potest fingi repugnantia in eo quod Christus physice operatus sit miracula, nisi quatenus haec sunt supra naturam operi, et Deus nequit per creaturam aliquid efficere quod superet naturae vires. Atqui hoc est plane falsum: ergo. *Min.* prob., et quidem evidenter. Deus elevat animae potentias ut physice eliciant actus supernaturales, ut supponimus ex Tract. *de Gratia:* ergo.

Confirm. Non minus requiritur potentia passiva physica ad recipiendum actum vel habitum supernaturalem physicum, quam potentia activa ad eumdem physice efficiendum. Atqui elevari potest potentia passiva creaturae ad recipiendum physice actum et habitum supernaturalem, licet nullam naturalem prae se ferat ad eum

proportionem: ergo et potest elevari ad eumdem physice peragendum.

241. Obj. 1.° SS. Patres et Concilia excludunt humanitatem ab effectione miraculorum: sic Leo pp. «Agit utraque forma quod »proprium est: Verbo, scilicet, operante, quod Verbi est, et carne »exequente, quod carnis est; unum eorum coruscat miraculis, aliud »succumbit injuriis.»

Resp. Excludunt humanitatem, quatenus virtute propria et principali agentem; conc. Virtute participata et instrumentali; nego.

Etenim S. Damascenus modum agendi et patiendi Christi exponit ita: «Patienti carni connexa erat divinitas, salutares crucia»tus efficiens; operanti Verbi divinitati mens sancta conjuncta erat, »intelligens ea quae peragebantur. Ac divinitas quidem corpori »praerogativas suas impertiebat; interim autem ipsa corporis dolo»rum expers manebat. Non enim quemadmodum divinitas, per »carnem operatur (ἐνήργει), ita etiam per divinitatem caro ipsius per»petiebatur. Divinitatis enim organum caro fuit... Non enim hu»mano more humana factitabat, qui non homo solum, verum et »Deus erat; unde passiones quoque ipsius vivificae fuere et saluta»res; nec divina rursum divino modo agebat, quippe qui non Deus »tantum, sed insuper homo erat: quamobrem tactu, et sermone, »aliisque ejusmodi divina signa patrabat, (εἰργάζετο)» (1).

Ex his, et aliis ad probandum adductis, patet, actionem participatam et instrumentalem non negasse Patres humanitati, sed potius concessisse. Quod si haec humanae naturae ad signa cooperatio non nisi moralis extitisset, vel occasionalis, nihil differret a cooperatione divinitatis ad passiones: atqui hoc plane reprobat Damascenus. A morali enim divinitatis ad passiones cooperatione salutares factae sunt, quin illa pateretur: ex cooperatione vero carnis ad miracula, organum illa fuit divinitatis per quod operabatur, praerogativas ipsius participans.

242. Obj. 2.° Nequit concipi humanitatem physice cooperari ad miracula efficienda, nisi virtutem aliquam praehabeat. Sed ad miraculosa opera non est in creatura virtus ulla: ergo.

Resp. Dist. *min.* Non est ulla virtus actualis; conc. Obedientialis; nego. Etenim, quemadmodum creata natura ita elevari virtute Dei potest, ut suscipiat unionem hypostaticam, cujus actuatio et perfectio quasi infinite superat potentiam passivam creatam; ita elevari potest quolibet ens creatum ut, per Dei auxilium et supernaturalem indebitumque concursum, efficiat, tamquam Dei instrumentum, opus miraculosum: non minus, sane, exigit respectum passi-

(1) L. 3, c. 16, (Migne n. 236).

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

vum ad actum potentia passiva, quam potentia activa respectum activum ad effectum. Cur, igitur, in potentia passiva concedenda est obedientialis potentia ad quamlibet supernaturalem elevationem, et negabitur in potentia activa?

THESIS LXIV.

Habuit Christus D. corpus perfectum, quoad potentias, et bene dispositum, quoad temperamentum qualitatum.

243. **Nota.** Sermo est de potentiis illis quae corpus anima informatum naturaliter comitantur, uti sensus, vegetandi virtus et locomovendi, etc. Temperamentum autem intelligitur illa complexio et proportio qualitatum, quas exigit perfectio corporis et plenus facultatum usus, tum animae, tum corporis seu totius hominis.

Prima pars proxima fidei, et probabilius de fide, dicenda; secunda autem certa.

I.ª Pars prob. 1.° Conc. Later. (sub Martino I, can. 9) decrevit: «Si quis secundum SS. Patres non confitetur, proprie et »secundum veritatem, naturales proprietates deitatis ejus (Christi) »et humanitatis indiminute in eo et sine deminoratione salvatas, »condemnatus sit.»

Item Eugenius IV, (in Decreto pro Jacobitis): «Firmiter »credit... Filium Dei... veram hominis integramque naturam sibi copulasse, ut quidquid est hominis non sit a deitate divisum, utra»que natura in suis proprietatibus permanente.»

Et Syn. VI. oecum. «Per omnia similem nobis absque pec»cato.... salvata proprietate utriusque naturae.... tam miracula »quamque passiones, per omnem sui dispensativam conversatio»nem, veraciter demonstravit.»

2.° Usum fuisse Christum corporeis potentiis, uti visus, auditus, tactus, locomovendi, cibum capiendi, etc., ex SS. Evangeliis passim constat.

3.° Ex SS. Patribus perpendas, supra (Thes. XLIX), Hippolyti Portuensis testimonia, Maximi et Athanasii.

4.° Theologico argumento confirmari potest. Nam, uti supra probatum fuit, integram et perfectam assumpsit Verbum humanam naturam. Sed corporis potentiae comitantur naturam humanam perfectam; per illas enim est *principium* proximum agendi: ergo.

Obj. Isaias (c. LIII.) ait: *Vere languores nostros ipse tulit.* Atqui innumeri sunt morbi quibus privantur homines corporis facultatibus: ergo et Christus hujusmodi defectu laborare debuit.

Resp. Explicatur Isaiae dictum: tulit nostros languores moraliter vel physice, formaliter vel aequivalenter; conc. Physice semper et formaliter; nego. Hac de causa multiplici sensu exponunt Patres ea prophetiae verba: aut quia miraculis Christus languores sanavit hominum; aut quia meritis suis salubres nos reddidit aegritudines nostras; aut quia in genere voluit, licet non singillatim et in specie, partem in ferendis augustiis et doloribus habere, etc.

244. II.ª Pars prob. 1.° Ipse Deus immediate hanc sibi domum aedificavit ex purissimae et perfectissimae Virginis sanguine. Sed Dei perfecta sunt opera: ergo bene dispositum sumsit corpus. Unde, sicut Adam, et quoad animam et quoad corpus, perfectum Deus efformavit, a fortiori hominem Christum.

2.° Corpus ut animae inserviat destinatur, tamquam pars inferior superiori: sed anima Christi omni perfectione, etiam naturali, ornabatur: ergo et corpus. Videmus, nempe, docente experientia, optime temperatum corpus non parum ad perfectionem animae conferre.

3.° Deus hostias sibi puras et sine ulla macula praecipiebat offerri: sed in oblationem et hostiam Deo gratam offerendam corpus suscepit Christus, (1): ergo et perfectum ac bene temperatum.

Confirm. Deformitates et maculae nihil ad redemptionis finem conferebant: sed Christo debebatur per se omnis perfectio sive animae sive corporis, nisi redemptionis scopus aliud exigeret: ergo optime temperatum corpus et sine macula quacumque suscepit, ipso attestante Propheta (2): *Speciosus forma prae filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis: Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede et regna.*

245. Obj. Isaias dixit (3): *Non est ei species, neque decor; et vidimus eum et non erat aspectus, despectum et novissimum virorum... unde nec reputavimus eum.*

Resp. cum Tertulliano: quatenus per macerationem, passionem et tormenta deformatus fuit offerens, cum vita corporis, etiam speciem et perfectissimam naturalem complexionem; conc. Quasi talis fuerit Christus a nativitate; nego. «Sicut insignis per»ficiendis miraculis fuit, ita gratiosissimus fuisse dicitur;» ait Chrysostomus (4): Hieronymus autem dicit (5): «Abs»que passionibus corporis, universis pulchrior est, Virgo de Vir»gine, qui non ex sanguinibus, sed ex Deo natus est.»

Coroll. Christus D. nullam passus est aegritudinem, quae a vi-

---

(1) Hebr. X, 5.—(2) Ps. XLIV, 3, 5.—(3) LIII, 2, 3.—(4) Hom. 18 in Matth. —(5) Ep. 160 ad Principiam.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

tiato temperamento, vel non sat recto rerum usu, vel nocentium elementorum ignorantia ortum ducere potest.

THESIS LXV.

Christus non assumpsit omnes perfectiones naturales commodas animae vel corpori, quae in actione aliqua vel passione, seu actuali dispositione consistunt: sed potius contrarios defectus, uti famem, sitim, defatigationem, dolorem, tristitiam, id est, fuit passibilis et mortalis, passus, mortuusque est.

246. Prop. est de fide certa et ex SS. constat Evangeliis, apostolicis litteris, et prophetis.

1.° Prob. ex Synod. Oecum. VI, in thes. pracedenti: passiones enim sustinuisse clare docet (n. 243).

E Symbolis fidei: «Sub Pontio Pilato passus et sepul»tus est.»

2.° Ipse Dominus dixit (1): *Nonne haec oportuit pati Christum?* Et sic passim Evangelistae omnes. Et Isaias (2): *vere languores nostros Ipse portavit.*

3.° Christus venit ut a peccato nos redimeret, et a morte, ex peccato orta, liberaret, atque pro nobis Patri satisfaceret, factus obediens usque ad mortem. Sed corpus mortale naturaliter et communiter praedicti comitantur defectus, suntque hujusmodi ad exemplum et satisfactionem valde apti, nullamque praesupponunt in anima inordinationem: ergo congruebat ut tales Dominus assumeret defectus.

247. Obj. Ejusmodi a Christo suscepti defectus Judaeis quidem fuerunt in scandalum, Graeci autem illos existimarunt stultitiam. Ergo fini redemptionis non congruebant.

Resp. Dist. *ant.* Judaeis et Graecis haud credentibus non profuerunt illi defectus; conc. Dei vocationi consentientibus; nego. Hisce enim causa dilectionis, exempli et meriti deffectus illi magnopere extitere. Inde ajebat Bernardus (3): «Ego, fratres, ab ineun»te mea conversione pro acervo meritorum, quae mihi deesse scie»bam, mihi fasciculum collectum ex omnibus anxietatibus et »amaritudinibus Domini mei colligare, et inter ubera mea colloca»re curavi. Memoriam abundantiae suavitatis horum eructabo »quoad vixero; in aeternum non obliviscar miserationes istas, quia

(1) Luc. XXIV, 26.—(2) LIII, 4.—(3) Serm. 41, in Cant.

»in ipsis vivificatus sum... Hunc et vos, dilectissimi, tam dilectum »fasciculum colligite vobis, et medullis inserite cordis, hoc munite »aditum pectoris; ut et vobis inter ubera commoretur. Si enim an»te oculos habueritis quem portatis, pro certo videntes angustias »Domini, levius vestras portabitis, ipso auxiliante Ecclesiae Spon»so, qui est super omnia Deus benedictus in secula: Amen.»

SCHOLION.

De unione hypostatica post Christi mortem.

248. Anima Christi fuit quidem in Cruce a corpore separata; alias non fuisset vere mortuus, uti fides docet. Proinde, in triduo mortis non erat Deus homo, neque homo Deus; sed communicatio idiomatum locum habebat, hinc inter Deum et animam, inde inter Deum etiam et corpus mortuum. Quod ut pateat; ostendemus sequentem propositionem.

Dico I. Verbum Divinum non erat post mortem ab anima et corpore separatum, sed iisdem hypostatice unitum. Certa est haec communis theologorum sententia, et catholica doctrina.

1.° Ex Later. IV, c. *firmiter*. «Unigenitus Dei Filius... des»cendit ad inferos, resurrexit a mortuis et ascendit in coelum. »Sed descendit in anima, et resurrexit in carne, ascenditque pariter »in utroque.» Ecce in anima vivus descendebat, in carne mortuus è sepulcro resurgebat, in utroque redivivus et verus homo ad coelos ascendit.

Item ex Symb. fidei. «Filium ejus unicum... qui conceptus »est, natus, passus, mortuus, sepultus, descendit ad inferos, resur»rexit...» Atqui haec de Filio Dei nonnisi per communicationem idiomatum vel cum corpore tantum, vel cum anima, vel cum utroque dicuntur: ergo cum corpore solo, vel cum anima sola, quemadmodum cum utroque simul, fuit hypostatice unitus.

In *Profes. fidei*, Conc. Tolet. XI. dicitur: «Missus Filius »passionem ipsam, salva divinitate sua, pro delictis nostris susti»nuit, mortique adjudicatus et cruci veram carnis mortem excepit, »tertio quoque die, virtute propria suscitatus, a sepulcro surrexit.» Non ergo dimisit carnem, si hujus mortem excepit, si a sepulcro surrexit Dei Filius.

249. 2.° Athanasius (1) pariter: «Nonne divisus in duas »partes, ut homo, et in sepulcro et apud inferos agebat? Deitas nu-

(1) *De Incarn. Christi.*

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»da non potuit ad inferos descendere...» Et alibi (1): «Expiratio-»nem nemo dixerit Deitatis transmigrationem, sed animae discessum.»

Sic Augustinus (2), et Damascenus (3); Cyrillus autem ait (4): «Deum, qui totum hominem per suam cum illo conjunctio-»nem in naturam divinam mutaverat, mortis tempore a neutra il-»lius, quem semel assumpserat, parte recessisse. Numquam enim »illum suorum munerum poenitet. Divinitas ergo voluntate qui-»dem animum a corpore disjunxit, in utroque tamen se manere de-»monstravit.»

3.° Ratio est, quia ad operandam nostram salutem divinitas naturam assumpsit. Sed salutem operata est divinitas etiam moriendo, descendendo ad inferos, resurgendo, etc. Ergo et conjuncta tunc divinitas erat cum utraque naturae humanae parte.

250. Confirm. Verbi cum corpore et anima conjunctio non pendet ab unione illorum inter se: ergo hac dissoluta, illa dissolvi non debebat: ordinabantur etenim anima ad corpus, corpus ad animam mediante resurrectione, quemadmodum ad invicem ordinabantur mediante conceptione cum primum condita fuere. *Ant.* patet ex supra dictis (Thes. XXVI et XLIV).

Subsistentia enim est positiva perfectio personae, ita ut nequeat natura aliqua constitui in esse personae et subsistentis, per hoc quod aliquid negetur vel excludatur ab illa, sed per hoc quod aliquid positivum eidem adjiciatur. Atqui cum persona est composita, ut homo, non una pars tantum subsistit, sed utraque simul: ergo partialem utraque exigit subsistentiam. Subsumo. Atqui Verbum divinum praebebat humanae Christi naturae, quidquid spectabat ad rationem subsistendi; ergo partialem quoque utrique parti tribuebat subsistendi positivam perfectionem.

Igitur dicendum; quemadmodum prius natura quam corpus et anima unirentur, assumpta fuere a Verbo, ut per illud, non per se, partialiter subsisterent (5); ita, a pari, postquam ad invicem, intercedente morte, separata sunt, non debuerunt a Verbo dimitti, sed in eodem partialiter subsistere, ut hoc positivum complementum non ex se, sed ab ipso divino Verbo haberent. Aliter enim illud accidisset inconveniens, quod notavit D. Thomas (6); scil., cum iterum corpus et animam assumpsisset Verbum, «vel non es-»set facta unio secundum subsistentiam, vel corrupta fuisset sub-»sistentia animae (et corporis) praeexistens.»

Dices: Nonnulli PP. dicunt in morte Verbum animam et corpus

(1) *Adver. Apollin.* l. 1, c. 18. — (2) Tract. 47, in Jo. — (3) L. 3, c. 27. — (4) Orat. 1.ª *de Resurrect.* - (5) Supra, Thes. 44, ad Obj. 1.m — (6) Q. 6, a. 3.

dimisisse. Resp. Si haec de separatione hypostatica intelligantur, erroneum illis sensum tribuis: interpretandi ergo sunt de separatione protectionis, quatenus permisit divinum Verbum passionem et mortem.

251. **Dico** II. Quae de corporis unione cum Verbo diximus, eadem de sanguine Christi effuso intelligas; quamvis non ita certo spectet ad fidem, quia definitiones Ecclesiae non sunt adeo apertae.

1.° In Syn. VI, Ses. 16, damnatur quidam haereticus dicens, Christum in morte exuisse carnem et sanguinem, quod ad Manichaeorum spectare errorem dixerunt PP.

2.° In Sacris Scripturis (1) et apud PP. sanguis Christi dicitur pretium redemptionis nostrae. Unde ait (2) Augustinus: «San-»guis Christi pretium est; tanti quid valet? Quid nisi totus orbis? »Quid nisi omnes gentes?»

3.° Christus aeque de corpore et sanguine dixit: *caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus; qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo.* Trident. autem docet, in sanguine consecrato esse per concomitantiam ipsam divinitatem. Jam vero haec indefinite et absolute dicuntur: si ergo in triduo mortis Christi facta fuisset sanguinis consecratio, in eo fuisset persona Christi; hoc autem unionem supponit hypostaticam.

4.° Verbum divinum assumpsit hypostatice etiam sanguinem: ergo neque illum dimisit qui ad integritatem corporis pertinebat: sed talis erat sanguis in passione et morte effusus: ergo.

Maj. patet. Primo: ait Paulus (3). *Quia ergo pueri communicaverunt carni et sanguini, et ipse similiter participavit iisdem.* Secundo: Concil. Ephesin. can. 5, ait: «Verbum factum »est caro et communicavit, similiter, ut nos, carni et sanguini.» Pariter, Concil. Alexand. cum S. Cyrillo dixit: «Deum carnem et sanguinem assumpsisse:» quod quidem approbatum fuit ab Ephes. Conc. et a Synod. V. Gener. et a Chalcedonensi. Tertio: Gregorius Nazian. (4) sanguinem Christi, non tantum sanguinem Dei appellat, sed Deum: «Quam ob causam fusus est ille magnus et nobilis Dei et »Pontificis et Victimae sanguis? Quaero cui tandem oblatum est »redemptionis pretium et quam ob causam? Si pravo illi (diabolo), »o gravem contumeliam! si non a Deo solum, sed Deum quoque ip-

(1) I Petr. I, 18, 19.—(2) In Ps. 65. - (3) Hebr. II, 14.—(4) Orat. 45, n. 22.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»sum, pro redemptionis pretio latro accipit... Si autem Patri... »quae ratio afferri potest, ut Unigeniti sanguine Pater oblectetur, »qui nec Isaac quidem a patre oblatum acceperit.»

252. **Nota**. Christum D. a mortuis resurrexisse, idque juxta Ipsius praedictionem, alibi demonstratum est; scilicet, in Disquisit. II, *De Religione*, n. 249, Vol. I.

THESIS LXVI.

Christus D. capax fuit infiniti meriti et satisfactionis.

253. **Nota**. I.° Meritum, natura sua, respicit praemium seu remunerationem: satisfactio autem refertur ad offensam. Praemium est remuneratio obsequii accepti: offensa est laesio honoris seu contemptus personae. Igitur, meritum est id quod est dignum praemio: satisfactio id quod compensat offensam, quatenus meretur ut remittatur. Ex quibus patet, non omne meritum esse satisfactionem, sed omnem satisfactionem esse meritum.

Nota II.ª Ratio meriti exigit libertatem, quia quod fit ex necessitate non potest obsequium reputari; puta, si quis transeunte rege, ex alieno impulsu cadat et genuflectat ante illum. V. supra (Thesis LVI).

Satisfactio est directa, vel indirecta: quatenus compensatur offensa, vel poena offensae debita.

Nota III.ª Prima pars, nempe, de merito et satisfactione, est de fide; secunda probabilior et communior sententia cum D. Thoma, Suarezio, etc., adversus Scotum et ejus discipulos.

254. I.ª pars, prob. 1.° Ex Trident. (1): «Causa justificationis meritoria, Dominus N. J. C. qui in ligno Crucis justificationem meruit et pro nobis Deo Patri satisfecit.» Et rursus. «Dum »satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis »nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur.

2.° Paulus (2) ait: *In quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum*. Et Ps. 129. *Copiosa apud eum redemptio*...

3.° Athanasius (3) dicit: «Corpus assumpsit, quod pro omnibus ad plenam satisfactionem sufficeret et mortem quasi stipulam igne consumeret, suis meritis et satisfactione.»

(1) Sess. VI, c. 7, et can. 32. Item, Sess. IV, c. 8.—(2) Colos. I, 14.—(3) L. *de Incarnat.*

Chrysostomus (1) etiam: «Multo plura quam debebamus »Christus pro nobis solvit.»

4.° Christus poterat obsequia Deo praebere, poenas subire, et quidem plena libertate. Sed obsequia et poenae a Christo Deo oblatae poterant aequalitatem seu proportionem cum aliquo praemio, offensa vel poena prae se ferre: ergo poterat mereri et satisfacere.

255. Obj. Actio aliunde debita nequit esse meritoria et satisfactoria: sed actiones Christi, independenter a quolibet praemio vel offensa, erant Deo debitae: ergo nequaquam meritoriae.

Resp. dist. *maj*. Nequit esse meritoria et satisfactoria in actu primo; nego *maj*. In actu secundo; sudd. Si aliunde a Deo exigatur; permitto: si non petatur alia ex causa; nego *maj*.

Deinde dist. *min*. Erant Deo debitae, ita ut Christo permitterentur ad merendum et satisfaciendum; conc. Aliter, nego.

256. II.ª Pars prob. 1.° Clemens VI, in Extrav. *Unigenitus*. «Unica gutta sanguinis Christi Domini, propter unionem ejus »ad Verbum, suffecisset pro redemptione totius humani generis... »In Ecclesia est infinitus thesaurus et inexhauribilis ex meritis »Christi, de cujus consumptione aut diminutione non est aliqua»tenus formidandum, propter infinita Christi merita.»

2.° Crysostomus (ibid.) «Tanto plura pro nobis solvit, »quanto guttulam exiguam pelagus excedit immensum.»

D. Thomas (2) docet; quod passio virtutem habuit infinitam ex divinitate unita. Et alibi: «Oportuit ut actus satisfacientis »haberet efficaciam infinitam, utpote Dei et hominis.»

3.° Satisfactio et meritum personae, quae est infinitae dignitatis, habent ad satisfaciendum et merendum infinitam efficaciam. Sed ejusmodi sunt satisfactio et meritum Christi: ergo.

Maj. prob. Meritum et satisfactio crescit ex dignitate et magnitudine obsequii, et obsequium crescit ex dignitate et magnitudine personae obsequentis: ergo, si persona est infinita, et obsequium. *Ant*. ex sensu communi constat. Sane, qui obsequium tribuit, se dimittit et illum, cui obsequitur, extollit: atqui quo ipse est celsior, ejus demissio est major, majorque alterius exaltatio; ergo meritum et satisfactio...

257. Obj. 1.° Deus non potest dare praemium infinitum: ergo pariter repugnat meritum infinitum.

Resp. Dist. *ant*. Infinitum cathegorematice; permitto: syncathegorematice; nego *antec*. Unde meritum Christi assimilatur omnipotentiae, quae, ultra quamlibet perfectam creaturam, potest aliam perfectionem condere, non autem infinite perfectam: sic Christo majus dari potest juste praemium, quocumque jam accepto.

(1) In ep. ad Rom. c. V.—(2) Q. 46, a. 6, ad 6; et q. 1, a. 2, ad 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Obj. 2.° Totum coalescens ex parte infinita et altera finita non est totum infinitum: nam ut *totum* potest amplius perfici, potest non amari a Deo, potest destrui, etc. Quod patet in composito Verbi et humanitatis. Sed meritum Christi est compositum ex dignitate Verbi et humano opere: ergo nequit esse infinitum. Ita Card. Lugo.

Resp. dist. *maj*. Non est infinitum secundum omnem rationem; conc., secundum aliquam rationem, puta, in ratione meriti; nego.

Sane ut aliquid sit *sub omni respectu* infinitum, nihil finitum habeat necessum est, debetque esse infinite amabile, necessarium, uno verbo, Deus: ut autem sit infinitum *juxta aliquam rationem*, sufficit et oportet ut contineat, formaliter vel virtualiter, quidquid est perfectionis in illa ratione; ita ut, tantum praestet solum, quantum complexum ex omnibus quae sub illa ratione continentur. Ita se habet meritum Christi: cum enim sit opus Hominis-Dei, eminenter continet omnes titulos quibus crescere potest meritum.

258. Obj. 3.° Si meritum Christi infinitum esset, obligaret Deum ad omnia Christo, ut praemium, conferenda; puta, justis perseverantiam, peccatoribus poenitentiam, damnatis remissionem, etc. Sed hoc est absurdum. Ergo.

Resp. dist. *maj*. obligaret absolute; nego *maj*. Ad modum meriti, id est, accedente pacto; conc. Labor etenim operarii meretur justam mercedem, non autem cogit nisi facta conventione. A fortiori apud Deum istud dicendum, qui ex aliis titulis dominus omnium existit.

Obj. 4.° Merita Christi valorem a sanctitate participata humanitatis habent per unionem cum Verbo. Sed sanctitas participata est finita: ergo et valor meritorum Christi finitus existit.

Resp. dist. *maj*. A sanctitate participata tantum; nego *maj*. A sanctitate participata et ab ipsa persona Verbi; conc.

Praeterea, dist. *min*. Est finita simpliciter et infinita secundum quid; conc. Est undequaque finita; nego *min*.

Itaque merita Christi sunt ipsius Verbi, ut personae operantis; ideoque ex hoc capite habent dignitatem, in ratione meriti, simpliciter infinitam, quae non potest ullo praemio superari. Natura autem humana Christi est infinite sancta in ratione sanctitatis *participatae*, cum sanctificetur, quasi formaliter, ab ipsa sanctitate divina: propterea etiam merita Christi, ex hoc capite, dignitatem excedentem quodlibet praemium pure creatum infinite superant, ideoque sunt infinita secundum quid.

ARTICULUS II.

De Christo ut principio et causa generali.

THESIS XLVII.

Christus meruit nobis remissionem peccatorum, gratiam sanctificantem et vitam aeternam.

259. Propositio est de fide catholica.

Prob. 1.° Ex Trident. (1). «Si quis dixerit homines, sine »Christi justitia per quam nobis meruit, justificari, aut per eam ip»sam formaliter justos esse, anath. sit.»

«Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quae in »Deo fuerunt facta, expectare et sperare aeternam retributionem a »Deo per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum... anath. sit.»

Haec confirmantur et declarantur ex cap. VII. ejusdem Sess. VI.

2.° Apost. ait (2): *Gratia ex multis delictis in justificationem. Si enim unius delicto mors regnavit per unum: multo magis abundantiam gratiae et donationis et justitiae accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum... Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per unius obedientiam justi constituentur multi... Ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam aeternum, per Jesum Christum Dominum nostrum.* Item: *quos vocavit, hos et justificavit, quos autem justificavit, illos et glorificavit... Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et alibi (3) similiter.

Item S. Joannes (4): *Sanguis Jesuchristi Filii ejus emundat nos ab omni peccato. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi.*

Denique vide Isai. (5): *Vere languores nostros...*

3.° Confirmant Athanasius, et Chrysostomus supra (Thes. LXVII).

Hieronymus autem ait (6): «Ille redimitur, qui captivus est »et in hostium veniens potestatem liber esse desierit... Sed quis est »iste tantus et talis qui possit, pretio suo, totum orbem redimere? »Jesus Christus Filius Dei proprium sanguinem dedit, et nos de »servitute eripiens libertate donavit.»

---

(1) Ses. VI, can. 6, 7, 26.—(2) Rom. V, 16, 17, 19, 21; VIII, 30, 32.—(3) Hebr. X, 10.—(4) I Jo. I, 7; II, 2.—(5) LIII, 4, 5.—(6) In ep. ad Ephes. I, 7.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

4.° Christus oblatus est pro nostra justificatione et salute, ideoque et Salvator vocatur (1); traditus est ex voluntate Dei (2): ergo si non meruit nostram justificationem et aeternam salutem, ideo erit quia vel est incapax merendi, vel merita illius non sufficiebant: sed utrumque falsum est; ergo. *Min.* patet supra (Thes. LXVII).

260. Obj. 1.° Multi non justificantur nec salvantur: ergo saltem pro omnibus non meruit Christus.

Resp. dist. *consequens*. Non meruit quoad sufficentiam; nego: quod efficaciam. Subd. Culpa ipsorum; conc. Defectu meriti Christi; nego.

Obj. 2.° Eos qui justificantur, gratis justificari docemur (3): ergo non ex Christi merito.

Resp. dist. *ant*. Quatenus ipsi justificati id non merentur; conc. Quatenus id Christus non meruerit; nego. Etenim (ibid.) Apostolus dicit, quod justificantur *per redemptionem quae est in Christo Jesu*. Sed qui *emit* seu *redimit*, non gratis accepit.

Obj. 3.° Meritum debet ad praemium praecedere: ergo saltem non meruit Christus remissionem, gratiam et vitam aeternam pro hominibus, qui ante Christum extitere.

Resp. Dist. *antec*. Praecedere physice vel moraliter, id est, praevisione; conc. Semper physice; subd. Communiter, seu, nisi fiat exceptio; transeat: aliter, nego. Deinde, nego *consequentiam*.

SCHOLIA.

261. I.m Omne gratiae excitantis et adjuvantis auxilium, quo disponitur homo ad justificationem, est ex merito Christi.

Haec est communis sententia cum D. Thoma (4) et Suarezio (5). Et quidem.

1.° Trident. docet (6): «Declarat praeterea, ipsius justificationis exordium... per Christum Jesum, praeveniente gratia, sumendum...»

2.° Apostolus (7) ait: *Benedixit nos in omni benedictione spirituali in coelestibus in Christo*. Et rursum (8). *Vocavit nos... secundum gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu*.

3.° Hieronymus testatur (9): «Omnis gratia, quam consequimur, in Domino nostro et Salvatore completur.»

4.° Si non meruisset nobis Christus omnia auxilia, quibus ad

(1) Matth. I, 21.—(2) Galat. IV, 4.—(3) Rom. III, 24.—(4) Q. 7, a. 9.—(5) D. 41, Sec. 2.— (6) Sess. 6, c. 5.—(7) Ephes. I, 3.— (8) II Timot. I, 9.—(9) In ep. ad Ephes. c. I.

justificationem disponimur, redemptio non fuisset perfecta: sed fuit perfectissima, utpote ex meritis infinitis; ergo. *Maj*. prob. Propter peccata, non solum debebamus gratia privari et vita aeterna; sed etiam omnibus supernaturalibus auxiliis; ergo redemptio, etc.

262. II.m Omnes gratiae quae homini justificato conferuntur, effectus sunt meritorum Christi. Id quoque certum habendum.

1.° Trid. (1) docet: «Liberati jam a peccato, servi autem facti »Deo, sobrie, juste et pie viventes proficere possunt per Christum »Jesum, per quem accessum habuerunt in gratiam istam.» Item cfr. c. XVI, quod sedulo perpendas.

2.° Ex Scriptura probatur, ut supra. Praeterea ait Dominus (2): *Sine me, nihil potestis facere*.

3.° S. Hieronymus (ibid.) confirmat. Et S. Bernardus (Serm. 13) ait: «Quidquid sapientiae, quidquid virtutis te habere »confidis... deputa Christo.»

4.° Si non meruisset Christus omnes gratias justificationem consequentes, non perfecte meruisset vitam aeternam: sed hoc dici nequit; ergo. *Major* patet: Nam gratiae subsequentes justificationem ordinantur vel ad perseverantiam in gratia, vel ad meritum vitae aeternae; primum est necessarium ad vitam aeternam; secundum vel est quoque necessarium, vel saltem auget vitae aeternae coronam. Si ergo Christus non meruisset, etiam pro justificatis, nec perfecte vitam aeternam mereri potuisset.

THESIS LXVIII.

Christus D. sufficienter satisfecit pro universis peccatis hominum, tum ratione culpae, tum ratione poenae.

263. **Nota**: thesis est de fide. Vide supra quid sit satisfactio, (n. 253.)

1.ª Pars. pr. 1.° Trid. (3) docet: Christum nos redemisse, et in sanguine suo propitiatorem nostrum fuisse. Et can. 21 definitur esse Redemptorem, ideoque pro nobis solvit.

2.° Apostolus ait (4): *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate*. Et Petrus (5): *Non corruptibilibus auro vel argento, redempti estis de vana vestra conversatione paternae traditionis; sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi, et incontaminati*.

(1) Sess. VI, c. XI.—(2) Jo. XV, 5.—(3) Sess. VI, c. 2.—(4) Tit. II, 14.—(5) 1 Pet. I, 18, 19.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

3.° Ex SS. PP. videas testimonia, loco citato (Thes. LXVI), laudata.

4.° Si Christus non satisfecisset pro peccatis nostris, gratis illi fuisset pro nobis remissio concessa: sed ex Thesi praec. constat eam meruisse. Ergo.

264. II.° Pars. pr. 1.° Ex Trid., ut supra (Thesis LXVI) dictum est. Si enim nos tantum pro poenis peccatorum satisfaceremus, aliquid defuisset Christo ad plenam satisfactionem pro peccatis, nec ei efficeremur conformes in hac poenali satisfactione: sed oppositum docet Trid. Synodus in toto eo capite. In symbolo dicitur: «passus est pro nobis.»

2.° Petrus ait (1): *Peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum*. Sed peccata nostra, solum, ratione poenarum iisdem debitarum, in corpore Christi esse poterant: ergo.

Isaias etiam (2): Dolores *nostros ipse portavit... ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est...* Sed eatenus nostri erant illi Christi dolores, quatenus illos debebamus; eatenus induxerunt iniquitates nostrae illa Christi vulnera, quatenus nobis poenae debebantur: ergo.

3.° Vide dictas Patrum sententias... Hieronymus autem, eadem illa Isaiae commentans verba, dicit: «Quod enim nos, »ait, pro nostris debebamus sceleribus sustinere, ille pro nobis »passus est pacificans, per sanguinem crucis suae, sive quae in »terra sive quae in coelis sunt... Sicut corpus flagellatum atque la»ceratum signa injuriae in vibicibus ac livore portabat; ita et ani»mam vere doluisse pro nobis.» Scilicet, tum spiritus tum corporis poenas nobis debitas solvere voluit Christus.

4.° Esse sub potestate diaboli, excludi a regno coelorum magnae sunt poenae peccatis debitae: sed necessum erat ut remissa culpa et hujusmodi remitterentur poenae; ergo et oportebat ut, satisfaciendo pro culpa, simul Christus pro his satisfaceret poenis. Sed satisfactiones Christi, ut supra dictum est, valoris erant infiniti: ergo pro omnibus peccatorum poenis satisfecit.

265. Obj. Deus neque culpas, neque poenas nobis remittit, nisi eidem satisfactionem reddamus: ergo vel Christus non satisfecit, vel bis satisfieri sibi exigit Deus et Christi negligit satisfactionem.

Resp. Dist. *ant*. Nisi satisfactionem reddamus a Christi satisfactione vim habentem; conc. Per se sufficientem; nego. Proinde negatur *consequentia*. Etenim non ex Christi insufficientia aut ad *distinctam* reddendam satisfactionem, sed ut Christo compatiamur et conformemur, necnon nostrae utilitatis causa, voluit ipse Chris-

(6) 1 Petr. II, 24.—(7) LIII, 4, 5.

tus, cum hac conditione, suas nobis satisfactiones applicari; ut Trident. Syn. docuit (1).

SCHOLIA.

266. I.m Christi satisfactio pro pecatis nostris fuit superabundans.. Est communis Theologorum et certa.

1.° Fluit ex thes. LXVI supra tradita, n. 253.

2.° Patet ex Apostolo (2) *Ubi abundavit delictum superabundavit gratia: ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita et gratia regnet per justitiam in vitam aeternam, per Jesum Christum D. Nostrum.*

267. II.m Satisfactio Christi fuit in actu primo, seu antecedenter ad acceptationem divinam, condigna. Iisdem constat rationibus.

Confirm. Si non fuisset condigna nisi ex divina acceptatione, non fuisset incarnatio necessaria ad satisfaciendum: sed fuit ad id necessaria, ut postea dicetur. Ergo. *Maj*. patet: nam eatenus potest Christi satisfactio esse necessaria, quatenus aequalem et condignam Deus postulet satisfactionem.

Obj. Christus satisfecit ut homo; et reatus offensae fuit ut offensae Dei: ergo non poterat satisfactio esse condigna offensae.

Resp. Dist. *Ant*. Ut homo et talis homo, conc. Ut homo, praescindendo a dignitate Verbi; nego *ant*. et *consequentiam*.

THESIS LXIX.

Christus Sacerdos in ara crucis se ipsum, pro humano genere, sacrificium obtulit.

268. Prop. est de fide, et tres amplectitur partes: a) Christum esse Sacerdotem; b) se obtulisse in ara crucis; c) pro omnibus.

I.ª Pars, nempe, Sacerdotem esse Christum, prob. 1.° Conc. Oecum. Ephesinum decrevit (can. 10): «Si quis ergo Pontifi»cem et Apostolum nostrum dicit factum, non ipsum Dei Verbum, »quando caro factum est... sed velut alterum praeter ipsum; anath. »sit.» Tridentinum autem docet (3): «Oportuit, Deo Patre mi»sericordiarum ita ordinante, Sacerdotem alium secundum Ordinem »Melchisedech surgere, D. N. Jesum Christum, qui posset omnes, »quotquot sanctificandi essent; consummare et ad perfectum ad»ducere...» Et inferius confirmat: «Sacerdotem secundum ordinem

(1) Ses. XIV, c. 8.—(2) Rom. V, 20, 21.—(3) Sess. XXII, 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»Melchisedech se in aeternum constitutum declarans Corpus et »Sanguinem suum, sub speciebus panis et vini, Deo Patri obtulit.»

2.° Apostolus dicit (1): *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit coelos, Jesum Filium Dei: teneamus confessionem.*

Id quoque praedixerat David (2); *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis... In splendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te. Juravit Dominus, et non poenitebit eum, tu es Sacerdos in aeternum secundum Ordinem Melchisedech.* Ibi autem sermonem esse de Christo, ex contextu patet: cum Messiae characteres, in I.° Capite elucidati, perspicue exhibeantur; verum in Evangelio (3) et Apostolorum epistolis (4) de Messia Psalmus iste intelligitur; ideoque nequit ab ullo interprete id in dubium verti.

His consentiunt Patres omnes; unde ab ullis laudandis abstinebimus: rationes tamen II.^ae^ partes I.^m^ confirmant.

269. II.^a^ Pars prob 1.° Ex Trident. (5): «Deus et Dominus »noster etsi semel se ipsum in Ara Crucis, morte intercedente, Deo »Patri oblaturus erat, ut aeternam illic Redemptionem operaretur.»

2.° Apostolus ait (6): *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius et perfectius tabernaculum non manufactum, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta, aeterna Redemptione inventa... Et ideo Novi Testamenti Mediator est, ut morte intercedente, repromissionem accipiant qui vocati sunt aeternae haereditatis.*

3.° Athanasius perspicue id docet (7): «Postquam suam di»vinitatem operibus comprobavit, sacrificium pro omnibus tunc »obtulit, cum pro omnibus suum templum morti tradidit.»

270. III.^a^ Pars 1.° Ex Trid. (8) docente; misisse Deum Filium suum ut omnes redimeret, «atque omnes adoptionem filiorum reciperent.» Deinde ait (9): Jesum Christum Sacerdotem esse constitutum, qui posset omnes quotquot sanctificandi essent *consummare;* ideoque in Ara Crucis se ipsum obtulisse, «ut aeternam illic »Redemptionem operaretur.»

2.° Paulus dicit (10): «*Charitas Christi urget nos: aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; et pro omnibus mortuus est Christus.* Et rursus (11). *Modico quam angelis minoratus est, propter passionem mortis... ut pro omnibus gustaret mortem.*

---

(1) Hebr. IV, 14.–(2) Ps. CIX.–(3) Matth. XXII, 44.—(4) I Cor. XV, 25; Heb. I, 13, etc.–(5) Sess. XXII, c. 1, 2; et can. 3, 4.–(6) Hebr. IX, 11, 12, 15.—(7) *De Incarnat.* n. 20.— (8) Sess. VI, 1, 3.—(9) Sess. XXII, c. 1.—(10) II Cor. V, 14, 15.—(11) Hebr. II, 9.

3.° Vide, supra, Athanasium. Augustinus autem (1) probat; omnes homines peccato originali fuisse infectos, quia *pro omnibus* mortuus est Christus. Et Chrysostom. etiam (2): «Non pro fidelibus tantum, sed pro universo orbe: nam mortuus »est *pro omnibus.*»

271. **Corollarium.** Etiam pro reprobis et eorum salute mortuus est Christus.

Hoc negarunt Lutherus et Calvinus, nec non Jansenistae: hi tamen concedunt pro reproborum justificatione, non vero pro salute, mortuum fuisse. Verum expositae rationes eos errare plane ostendunt. Praeterea:

1.° Apost. ait (3); *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est.* Et alibi (4): *Et peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christuus mortuus est?* Quibus planum fit, posse redemptos a Christo perire et reprobos esse.

2.° Ex Trid. (5) confirm. «Etsi ille pro omnibus mortuus est, »non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt:» atqui illi, »qui non recipiunt beneficium mortis Christi, sunt reprobi; ergo etiam pro reprobis, etc.

Confirm. Omnes fideles tenentur credere quae in Symbolo dicuntur: «Crucifixus etiam pro nobis» etc. Atqui tamen aliqui damnabuntur: ergo et pro his mortuus est.

Jansenii proposit.^m^ 5.^m^ «intellectam in eo sensu, ut Christus pro »salute dumtaxat praedestinatorum mortuus sit, impiam, blasphe»mam... haereticam, (ait Innoc. X.) declaramus, et uti talem »damnamus.»

272. Obj. 1.° Dixit Christus: *animam meam pono pro ovibus meis:* (6) Item: *Exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat.* Ergo pro aliis non est mortuus.

Resp. Haec et similia testimonia, licet non omnes attingant, nullum tamen excludunt; unde, negatur *consequentia.* Ideo enim ita haec dicuntur, quia speciali modo, scil. *efficaciter*, mortuus est Christus pro his qui credunt vel salvantur: pro aliis autem *sufficienter.*

Obj. 2.° *Pro multis* mortuum esse Christuum (7), dicitur in Scriptura: ergo non pro omnibus.

Resp. neg. *conseq.* Etenim omnes *multi* sunt, ideoque sententiae ejusmodi non sunt exclusivae.

---

(1) L. 6, *contra Julian.*—(2) In ep. ad Hebr. c. II, hom. 4.–(3) Rom XIV, 15.—(4) I Cor. VIII, 11.—(5) Sess. VI, c. 3.–(6) Jo. X, 15; III, 14, 15.—(7) Hebr. IX, 28.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Obj. 3.° *Non pro mundo rogo*, ait Christus, (1) *sed pro his quos dedisti mihi*. Ergo neque pro omnibus mortuus est.

Resp. Explico *antec*. Oratione absoluta et consequenti; conc. Conditionata et antecedenti; nego. Cum enim Christo futura omnia aperta essent, quos praevidebat bene gratia ipsis tradenda usuros, pro his efficaciter et absolute oravit et se tradidit, eis vitam providendo aeternam. Cfr. Disq. IV, n. 248, 249.

273. Obj. 4.° Sacerdotis est mactare victimam: vel ergo Christus se occidit, vel non obtulit in cruce sacrificium.

Resp. dist. *antec*. Ita ut mactatio per sacerdotem spectet ad essentiam sacrificii; nego *antec*. Quatenus talis mactatio ad ritum sacrificii aliquando spectet; conc. *antec*. De sacrificii essentia est quod a sacerdote victima offeratur, sive mactando victimam sive actione alia perficiatur oblatio.

Inst. SS. Martyres, dum a tyrannis occiderentur, se ipsos in Dei honorem offerebant; atqui sacrificium verum non immolabant; ergo non sufficit oblatio victimae.

Resp. Dist. *min*. Non immolabant, eo quod non erant sacerdotes ad tales victimas offerendas constituti; conc. *min*. Eo quod se ipsos non occiderent; nego *min*.

SCHOLIA.

274. I.ª Christus D., in acceptatione mortis, et oblatione seu morali mactatione victimae, multo plus quam SS. Martyres influxit ut occideretur. Martyres eatenus influebant quatenus voluntarie mortem acceptabant, potiusquam viam justitiae desererent: Christus autem vel Lictores impotentes reddere vel repellere, vel se impassibilem exhibere vel animam suam, nihil letalibus obstantibus vulneribus, servare potens erat.

275. II.ª Nullo modo dicendum quod Christus D. vel ardentissimo amoris actu Cor suum disruperit, vel aliter, miraculoso modo, se occiderit. Etenim aperte testantur Scripturae quod a Judaeis occisus fuerit, idque Christus ipse praedixit (2): *Filius hominis tradendus est in manus hominum, et occident eum*. Item, aliis passim S. Scripturae elucet testimoniis (3).

Vide quoque Catech. Conc. Trid. in explic. symboli: ubi, Christum eximia in nos charitate mortem, quam vitare

(1) Jo. XVII, 9. – (2) Matth. XVII, 21, 22; XVI, 21.—(3) Act. Ap. III, 15; VII. 52; Apoc. V, 9, 12; Daniel, IX, 26.

poterat, libenter pro nobis *occubuisse*, docet: id est, mortem vi illatam *subiisse*. Et Athanasius clare loquitur (de *Incarn*. n. 21): «Quatenus mors subeunda erat, non a se ipso, sed ab aliis sacrifi»cium perficiendi coepit occasionem.» Et n. 22. «Non decebat Dei »Verbum, quod ipsum vita erat, mortem suo corpori per se inferre.»

THESIS LXX.

Chistus D. N. non pro se obtulit sacrificium quasi eguerit, sed solum quatenus exinde suam glorificationem et exaltationem meruit.

276. **Nota**. Pars I.ª est de fide, eo sensu quod non eguerit pro delictis suis: II.ª vero certa dicenda, et est communis Theologorum.

I.ª Pars prob. 1.° Syn. Ephes. Oecum. can. 10, ait: «Qui »dicit, quod pro se obtulisset semetipsum oblationem, et non po»tius pro nobis solis (non enim eguit oblatione qui peccatum om»nino nescivit), anath. sit.»

2.° Christus D. neque peccavit, neque peccare potuit; deinde omnia ordinis supernaturalis et naturalis dona eidem, propter unionem hypostaticam, jure debebantur; ut ex dictis patet. Ergo pro se, nullo ex capite, egebat sacrificio suae mortis.

3.° Athanasius docet (1): «Mortem et causam mortis, quod scilicet non propter se ipsum, sed pro omnium immortalitate et salute eam sustinuerit et Judaeorum injurias. Scripturae narrare non reformidarunt.

277. Prob. II.ª pars. Dicit Paulus (2): *Factus obediens usque ad mortem, propter quod et Deus exaltavit illum*... Mors ergo et obedientia Christi causa extitere exaltationis ipsius: sed nulla alia concipitur causa nisi meritoria; ergo. Item (3): *Videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria et honore coronatum*.

2.° S. Basilius, (4) exponens Pauli laudata verba, ait: «Propter obedientiam Pater Filio contulit nomen quovis alio praes»tantius... Haec igitur non de divinitate, sed de humanitate opor»tet intelligi.»

S. Chrysostomus (5). «Qui pro aliquo est passus, non so»lum illi prodest, sed etiam ipse fit praeclarior et perfectior.» Et exponens illa (6), *Venit hora ut clarificetur Filius hominis;* ait (ibid.): «Vides quantus sit fructus crucis? rem non formida.»

3.° In morte Christi omnes fuerunt necessariae conditiones, ut suam mereretur gloriam et resurrectionem. Sed credendum est me-

(1) *De Incarnat*. n. 34.– (2) Philip. II, 8, 9.—(3) Hebr. II, 9.— (4) *Contra Eunomium*, l. 4.– (5) Hom. 4, in c. II, ad Hebr.– (6) Jo. XII, 23.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ruisse Christum quidquid ex merito donari illi potuit: ergo. *Maj.* ex praecedentibus patet: si enim pro aliis meruit, et sibi mereri potuit quod adhuc non habebat. *Min.* certa est: etenim nobilius est et perfectius ex merito accipere, quam sine merito.

278. Obj. Christo debebatur etiam resurrectio et glorificatio, ut quaelibet alia perfectio, propter solam unionem hypostaticam: ergo haec meruisse non est dicendum.

Resp. Conc. *ant.* et nego *conseq.* Nam ex pluribus titulis potest quis bonum aliquod assequi et possidere: titulus meriti jus praebet diversum a titulo hypostaticae unionis.

Inst. Perfectius est habere corporis incrementum, cibum ceteraque naturalia dona ex merito, quam ex gratuito dono: ergo dicendum erit illa quoque meruisse Christum.

Resp. 1.° Nego paritatem. Nam ejusmodi bona ad naturam spectant; meritum ad supernaturalia dona respicit.

2.° Dist. *conseq.* Illa meruisse Christum quatenus ad aliquem supernaturalem usum vel finem ordinabantur, vel speciali aliqua Dei providentia Christo tradebantur; puta, cum ei Angeli post jejunium ministrabant; conc. Aliter; nego.

SCHOLIA.

279. I. Disputatur inter Theologos utrum meruerit sibi Christus gratiam sanctificantem et alios supernaturales habitus, quibus fuit anima ejus sanctissima ornata.

Albertus M. cum aliis pluribus affirmant: eo quod nulla in hoc sit repugnantia, quod prius (prioritate naturae) meruerit dona illa, quam eadem accepisset; quod si possibile sit, non est Christo ea perfectio neganda. Imo in ps. 44, significari videtur: *Dilexisti justitiam... propterea unxit te Deus. Deus tuus oleo laetitiae;* quam unctionem ad gratiam multi SS. referunt.

Probabilis quidem est haec sententia, sed oppositam probabiliorem defendunt communiter theologi cum D. Thoma, Suarezio, Scoto, etc., etc. Quia meritum, ex ordine connaturali, praecedere praemio debet: si ergo meruisset Christus D. gratiam aliosque supernaturales habitus, sine dignitate illa ac perfectione, quam ex illis actiones desumunt, agere debuisset atque mereri. Atqui Christo perfectus agendi modus ab initio debebatur; et melius est aliquam perfectionem semper habere, quam illa carere donec merito tandem acquiratur: non decebat igitur, ut Christus privaretur debita sibi perfectione et connaturali, ut aliam sibi liberam et contingentem substitueret: praesertim cum jus istud in merito fundatum, quantumvis excellens, eminenter contineretur in dignitate Personae Christi exigentis omnimodam perfectionem.

Sententia autem ex ps. 44, accepta, vel significat potestatem regiam et exaltationem quam sibi Christus meruit; vel illud, *propterea*, non indicat efficientiam meritoriam, sed finalem; scilicet, quod ea de causa fuit unctus Christus, *ut justitiam diligeret* etc.

280. II. Inquirunt praeterea theologi; utrum ipsam Unionem hypostaticam meruerit Christus. Quod quidem non eo concipiendum est modo, quasi prius ageret et mereretur, quam a Verbo fuisset natura illa Christi assumpta; sed quatenus, ex praevisis absolute Christi meritis, decreverit Deus ab aeterno Incarnationem perficere seu exequi, adveniente plenitudine temporis.

Id quidem nullo modo repugnare videtur. Potest enim duplex virtualiter in Deo esse decretum circa Incarnationem; aliud intentivum, decernens Christum cum suis infinitis meritis; aliud executivum, ex complacentia talium meritorum: quemadmodum beatitudinis meritum explicant DD. illi, qui, ut Bellarminus, Suarezius, D. Thomas etc.; praedestinationem ante praevisa merita defendunt. Quod si dicatur meritum ad praemium praecedere debere; sane id connaturalius dicendum, non vero necessarium. Nam Adam, caeteri patriarchae, B. V. Maria, etc., ex meritis Christi fuerunt sanctificati, praevisis quidem illis, non vero praecedentibus.

Utrum autem de facto sic meruerit Christus Verbi Incarnationem, non certo liquet; communior tamen sententia cum Augustino, D. Thoma, Suarezio etc. negat. In beatitudinis lumine, ubi immensa illucescet gloria Christi, veritas revelabitur.

THESIS LXXI.

Christus D. meruit et satisfecit pro nobis ex rigore justitiae.

281. **Nota** I.° Justitia, in latissimo sensu omnem significat virtutem, ut videre licet apud S. Matthaeum (1), et explicat S. Thomas (2). In minus lato sensu eas significat virtutes, quae erga alterum disponunt; uti fidelitas, religio etc. (Ibid. apud D. Thom.). In stricto autem sensu, ea est virtus quae alterius jus servat: Constans voluntas jus suum cuique tribuendi. Dividitur in distributivam et commutativam: in eo autem conveniunt, quod utraque servat aequalitatem; sed differunt in hoc, quod prior respicit aequalitatem geometricam, altera arithmeticam; uti loquitur S. Th. (3): id est, illa, sic decernit, ut ita se habeat res ad rem sicut persona ad personam: haec autem, ut res rei adaequetur.

---

(1) III, 15.—(2) 2, 2, q. 8, a. 1.—(3) Ibid. q. 61, a. 2, ad 2.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

II.° Quaestio quidem est de justitia commutativa: non tamen ita, quasi antecedenter ad Dei pactum seu beneplacitum, possit quisquam jus apud Deum habere: nam, ut ait Augustinus (1): «Deus nulli debet aliquid;» et eodem sensu D. Thomas (2): «Justitia commutativa non competit Deo, quia ut dicit Paulus: »*quis prior dedit illi et retribuetur ei.*»

III.° Aliquo modo Deus fuit Christi meritis obligatus, saltem ex promissione et fidelitate. Vide Isaiam (3) et Ps. II, v. 8. Verum haec obligatio est potius ad se ipsum seu ad suam promissionem, quam ad alium: obligatio autem justitiae est directe ad alterum.

IV.° Prima sententia est; Deum non posse obligari ex justitia. Ita Lugo, Vazquez, Cajetan, Bannez, etc. Secunda est; posse Deum ita obligari: sic Suarez, Arriaga, Salmanticenses, Godoy, etc.

282. Prob. 1.° Ex Tridentino (4), et testimoniis S. Scripturae (ibidem), a Trid. allatis. Remuneratio, merces, corona justitiae, verum meritum, redemptio, judicare tamquam justus judex, reddere alicui quod habebat repositum, injuste oblivisci laboris operantis, etc., significant justitiam commutativam: sed eo pacto loquitur S. Scriptura et Trid. Syn. de justitia Dei; ergo Deus est capax se ex vera justitia obligandi.

2.° Chrysostomus, illa exponens verba (5). *Non enim injustus est Deus...* ait: «Papae! Quomodo eorum recreat et confirmat »animam, redigens ad necessitatem non expectandi Deum esse obli»tum! Necesse est enim ut ille peccet, qui non certam habeat per»suasionem de justo judicio Dei et de aequa mercede secundum vi»tae rationem danda, et qui dicit Deum esse injustum.»

Anselmus verba Pauli (6), *Reposita est mihi corona*, exponens ait: «Quam juste merui, quam non dabit, sed reddet mihi »quasi debitam, quia justus est.

Bernardus etiam (7): «Si vel ipsa voluntas, de qua omne »meritum pendet, ab ipso Paulo non est, quo pacto coronam »vocat justitiae?... Promissum quidem ex misericordia, sed jam ex »justitia persolvendum est. Justum quippe est ut reddat quod de»bet, debet autem quod pollicitus est... Cujus tamen suae justitiae »ipsum Deus voluit habere consortem, ut et coronae faceret pro»meritorem. In eo autem sibi justitiae consortem et coronae sta»tuit promeritorem, cum operum, quibus erat illa repromissa coro»na, habere dignatus est coadjutorem.»

(1) *De liber. arbitr.* c. 16.–(2) P. 1, q. 21, a. 1.–(3) LIII, 10, 11. (4) Sess. VI, c. 16.–(5) Hebr. VI, 10.–(6) II Timot. IV, 8.– (7) L. *de grat et lib. arb.* versus finem.

Cyprianus (1) ait: «Praeclara et divina res, salutaris opera»tio; corona pacis, verum Dei munus et maximum, qua Christia»nus promeretur Christum judicem, Deum computat debitorem. »Ad hanc operum salutarium palmam prompte certemus, omnes »in agone justitiae, Deo et Christo spectante, curramus. Numquam »Dominus meritis nostris ad praemium deerit.»

283. 3.° Justitia distributiva non supponit imperfectionem et datur in Deo. Sed illud, quo distinguitur commutativa a distributiva, neque dicit imperfectionem. Ergo et haec datur in Deo.

Maj. patet ex D. Thom. (2) et ex S. Dionysio, quem ibi laudat, idque fatentur adversarii.

Min. prob. Differentia utriusque justitiae est in eo solum, quod altera debet aequalitatem facere rei ad rem secundum se; altera autem ut res se habeat ad rem, uti persona ad personam. Sed debere illam, potius quam istam, facere aequalitatem nihil prae se fert imperfectionis: ergo.

4.° Eatenus Deus non posset obligari ex justitia, quia hoc laederet divinum dominium; sed non laedit; ergo. *Min.* prob. Ideo obligari ex justitia laederet divinum dominium, quia non posset uti re obligata sicut antea poterat; ex. gr. non posset, stante merito, non dare gloriam. Sed potest Deus semper uti re obligata, ut antea poterat: ergo. *Min.* prob. Ideo Deus non potest nunc negare gloriam, quia habet voluntatem dandi ex merito: sed Deus numquam habuit potestatem negandi gloriam, in hypothesi quod vellet eam dare. Ergo potest, ut antea, re obligata uti.

Confirm. Deus est Dominus creaturae et omnium jurium ipsius: ergo nequit laedere dominium Dei, quod fiat debitor creaturae ex propria voluntate.

5.° Deus, antecedenter ad promissionem, potest non praestare quod promisit vel é contra, prout voluerit; non vero consequenter. Sed non laedit hanc Dei plenissimam potestatem quod promittat et obligetur ex fidelitate: ergo neque laedit plenissimum dominium quod obligetur ex justitia.

284. Obj. 1.° Si Deus retinet perfectum dominium, poterit negare meritis praemium: ergo, si neget, non aget injuste ideoque non obligatur ex justitia.

Resp. Dist. *ant.* Poterit negare praemium, in hypothesi quod velit esse merita; nego. Si nolit esse merita; conc. Unde negatur suppositum; scilicet ad perfectum dominium spectare, quod possit Dominus negare rem, dum vult eam dare.

(1) De opere et Eleemosyna (ad finem).–(2) *Contr. Gen.* l. 1, c. 93.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Inst. Homo non est jam perfecte rei dominus si eam dedit vel promisit. Ergo neque Deus est perfecte dominus gloriae si eam meritis debet.

Resp. Concesso *antec.*, negatur *consequentia*. Et disparitas in eo est: 1.° quod homo non est dominus alterius hominis et jurium ejusdem: è contra Deus. 2.° Instans, in quo homo est perfectus dominus, et instantia sequentia donationem vel promissionem non sunt idem instans, et ideo transit perfectum dominium: non ita in Deo; sed semper est in absoluto et perfecto dominio; scilicet, quod possit de omnibus disponere secundum suum beneplacitum, non contra suum beneplacitum.

285. Obj. 2.° Nullus potest ex justitia obligari propter ea bona, quae, antequam ab illo ei tradantur, sua sunt. Sed omnes actiones Christi et creaturarum, antequam Deo offerantur, ipsius sunt: ergo nequit Deus justitia constringi.

Resp. dist. maj. Non potest obligari, si ea bona velit, quatenus sua sunt; conc. Si ea bona velit, tamquam obsequia bonis aequalibus compensanda; nego. Et contradist. *min.*, negatur *consequentia*.

Hanc Dei insignem bonitatem et excellentissimum dominium significavit Trident. (1): «Cujus tanta est erga omnes homines »bonitas, ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona.» Etenim actiones Christi et justorum Dei sunt et a Deo donata: ita tamen donavit, ut non repeteret nec reciperet oblata nisi aequalibus recompensata: sicque ejus dona nostra facta sunt merita. Dum autem Deus eam facit aequalitatem, justitiam exercet, et quidem commutativam, quae facit aequalitatem rei ad rem. Ita fit, ut multiplex dominium in eamdem Deus habeat rem: primo directe; secundo, indirecte, quia quod possidet creatura et Deus in ea possidet; tertio, ex justa et aequali commutatione.

Obj. 3.° Pro his quae ex justitia recipimus non debemus gratias agere; puta, pro libro empto. Ergo Christus et justi pro gloria emerita non tenentur ad gratiarum actionem.

Resp. nego *conseq.* Poterat enim Deus nostra et Christi exigere opera, quin se ad quidquam retribuendum obligaret: ideoque pro *tanta bonitate*, ut Trident. dicit, jure debemus gratias rependere.

286. Obj. 4.° Ut juste Christus Deo satisfaceret, deberet esse alter a Deo; nemo enim sibi satisfacere valet. Sed Christus est ipse Deus: ergo ei nequit satisfacere.

Resp. Dist. *maj.* Debet esse alter undequaque; nego *maj.* Aliqualiter, seu ita, ut sufficiens respectus justitiae exurgat; conc. Christus, quatenus homo, est Deo inferior, ita ut potuerit obedire, mereri, satisfacere. Potest quoque Deus, ut fatentur adversi AA., erga Christum fidelitatis debitum habere et justitiae distributivae. Jam vero, hi respectus exigunt etiam ut Christus sit *alter* a Deo: nempe Verbum, ut subsistens in humana natura, habet, tamquam si esset alter, diversos respectus ad Deum et se ipsum, ut subsistentem in natura divina.

(1) Sess. VI, 16.

Obj. 5.° Ut juste quis satisfaciat, debet ex suis retribuere, non ex bonis creditoris. Sed dignitas Verbi, ex qua valorem habent satisfactiones Christi, pertinet ad ipsum creditorem. Ergo.

Resp. Dist. *min.* Dignitas Verbi, in se seu formaliter sumpta, pertinet ad ipsum creditorem; conc. Dignitas Verbi, ut communicata operibus, non pertinet ad debitorem; nego. Nam opera Christi et Verbum divinum constituunt quoddam compositum, qua de causa fiunt summe dignificata: sic autem dignificata humanae sunt naturae donum ac ornamentum, quo Christus juste meretur.

287. Obj. 6.° Justa satisfactio ab ipso offensore exhibenda est; ergo non potest Christus pro aliis satisfacere.

Resp. dist *ant.* Physice vel moraliter; conc. Physice: subd. Si offensus exigat: conc. Aliter, nego. Christus caput humani generis satisfacit; unde *moraliter* omnes offensores satisfacimus.

Inst. Nos non poteramus satisfacere: ergo neque debebamus; ideoque et satisfactio Christi non est ex justitia, si pro nobis solvit.

Resp. Dist. *ant.* Non poteramus satisfacere cathegorematice; conc. Syncathegorematice; nego. Ideoque debebamus satisfacere sustinendo aeternum odium Dei, et aeternam poenam: Christus autem totum extinxit debitum.

Obj. 7.° Ex mente D. Thomae, justitia commutativa non est in Deo: ergo nequit remittere debita vel praemia concedere ex justitia commutativa. Resp. Dist. *antec.* Justitia commutativa creata, seu imperfecta, quae versatur circa data et accepta *stricte aliena* (quam solum Aristoteles definivit ac prae oculis habuit), ejusmodi justitia non est in Deo; conc. Commutativa prout distincta ac diversa a distributiva, scil. faciens aequalitatem arithmeticam, absque imperfectione: nego. Hanc quidem concedit D. Thomas in Deo reperiri: «Forma divini judicii attenditur secundum ratio»nem commutativae justitiae (1).»

288. Obj. 8.° Christus praecipue meruit ac satisfecit per mortem suam et sanguinis effusionem. Sed Verbum nec mortuum fuit neque sanguinem effudit: ergo meritum et satisfactio Christi justam non potuerunt habere condignitatem. *Min.* prob. Mors spectat ad

(1) 2. 2, q. 61, a. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

corpus, effusio ad sanguinem: sed corpori mortuo et sanguini effuso non erat unitum Verbum; cum enim sint substantiae incompletae, sunt quoque ineptae ad subsistentiam: ergo non potuit Verbum mori et sanguinem fundere.

Resp. Dist. *min.* Verbum nec mortuum fuit, neque sanguinem effudit per se; conc. Per communicationem idiomatum; nego.

Ad prob. autem, dist. *maj.* Mors, *in facto esse*, spectat ad corpus, et effusio ad sanguinem; conc. *In fieri*; nego: spectat enim etiam ad compositum animatum. Ad *minorem* autem, negatur assertum. (Vide supra Thes. LXV, Scholion, n. 248, 251).

THESIS LXXII.

Christus D. est Summus Sacerdos et inter Deum hominesque Mediator.

289. Propositio est de fide. Christum Sacerdotem esse supra (Thes. LXIX) dictum est; hic intendimus, summam ejus sacerdotii excellentiam probare.

Nota autem: haec Sacerdotii Christi excellentia non est quasi supremus gradus in hierarchia aliqua reputanda; ut episcopatus in Ordine, vel papalis jurisdictio in pontificatu: sed potius est altioris ordinis sacerdotium, eminentiori continens ratione cujuslibet creati sacerdotii praerogativas.

I.° Pars. I.° Ex Apost. qui Christum *Sacerdotem magnum super domum Dei*, appellat (1). Item (2); unicum esse Sacerdotem, in eo, scil., eminenti Sacerdotio, docet: *Alii quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat in aeternum, sempiternum habet sacerdotium.* Ceteri pontifices in terris ministrant: at *Talem habemus pontificem qui consedit in dextera sedis magnitudinis in coelis, sanctorum minister et tabernaculi veri.* Alii in templa intrant manufacta, exemplaria verorum; Christus autem *in ipsum coelum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Reliqui Sacerdotes alienas offerunt hostias, sanguinem hircorum, vitulorum, etc., sed *Christus per Sp. Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo.* Plures hostias et saepe offerunt alii: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.*

2.° Christus Sacerdos est constitutus ipsa Divinitatis unctione: ergo eminentius habet super omnes sacerdotium.

Ant. prob. Paulus dicit (3), non sibi sumpsisse Christum sacerdotii gloriam, sed Patrem eum clarificavisse tali honore, *qui locutus est ad Deum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et sane, propter unionem hypostaticam, capax erat summe grata Deo obsequia tribuendi, eumque placandi, ideoque sacrificia et munera pro hominibus offerendi; quod est Sacerdotis munus, ut Paulus ibidem docet.

(1) Hebr. X, 21.—(2) Ibid. VII, 23, 24; VIII, l. 2; IX, 24, 14, 28.—(3) Ibid. V, 5.

290. 3.° In omnibus quae spectant ad Sacerdotium habuit Christus summam eminentiam: ergo *Ant.* prob. Teste Paulo, Sacerdos ex hominibus assumitur ut pro hominibus ad Deum accedat et offerat dona et sacrificia pro peccatis (ibid.). Atqui Christus obtulit dona et sacrificia infinite grata et sancta, infinite expiatoria pro peccatis, et summe approximabat ad Deum ut pro hominibus intercedere efficaciter valeret. Ergo.

Hac de causa et Hieronymus (1) ait: «In epistola ad He»braeos propterea Paulum solita consuetudine nec nomen »suum, nec Apostoli vocabulum praeposuisse, quia de Chris»to erat dicturus: *Habentes ergo Principem Sacerdotum et Aposto»lum confessionis nostrae Jesum;* nec fuisse congruum, ut ubi »Christus Apostolus dicendus erat, ibi etiam Paulus Apos»tolus poneretur.»

S. Hippolytus M. (2). «Primus igitur, natura Pontifex, »Unigenitus Christus non sibi honorem rapuit, sed a Patre consti»tutus est.» Ceteri vero sacerdotes. «Constituti sunt ab ipso Christo »Pontifice incomparabili.»

S. Justinus, (3). «Hic est eximius Sacerdos et rex aeternus »Christus, utpote Filius Dei.» Perpendas quod sacerdotii Christi excellentiam ex ejus repetat divinitate; nempe, uti dicit Hippolytus: «Natura Pontifex.»

4.° Sacerdotes Novi Test. sunt ministri Christi et Vicarii. Sed sacerdotium Novi Test. excellit supra sacerdotium Legis Naturae et Veteris: ergo Christus summus est Sacerdos. *Maj.* constat ex Tridentino (4), et Apostolo (5).

Min. etiam ex Tridentino (ibid.): Oblatio enim Novi Test. «Per varias sacrificiorum, naturae et legis tempore, similitudines »figurabatur utpote quae bona omnia per illa significata, velut illo»rum omnium consummatio et perfectio, complectitur.»

291. Dices: Christus fuit sacerdos secundum Ordinem Melchisedech: videtur ergo quod Melchisedech summum habuerit pontificatum in hoc sacerdotio.

Resp. dist. *ant.* Secundum Ordinem Melchisedech, quasi fuerit formaliter ejusdem rationis; nego *ant.* Quatenus sacerdotium

(1) In Gal. c. I.—(2) L. de Charism.—(3) Dial. cum Triph. n. 118.—(4) Sess. XIV, c. V; et XXII, c. 2.—(5) I Cor. IV, 1.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Melchisedech fuit figura Sacerdotii Christi: conc. Deinde nego *conseq.* non enim figura est supra rem figuratam, aut umbra supra rem.

Inst. Etiam Sacerdotium Aaronicum figura fuit sacerdotii Christi: ergo dicendus erit Sacerdos secundum ordinem Aaron.

Resp. dist *ant.* Aaronicum figura fuit simpliciter, idest, in omnibus quae notat Apostolus (1); nego *ant.* Secundum quid; conc.

Deinde nego *conseq.* Sacerdotium enim Aaronicum non nisi in tribu Levi consistere poterat.

292. II.ª Pars prob. 1.° Trid. (2) docet, quod Jesus Christus, «solus noster Redemptor et Salvator est... *unus Mediator Dei et ho»minum.*»

2.° Dicit Apost. (3): *Unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Jesus;* et rursus (4): *Accessistis... ad Testamenti novi Mediatorem Jesum et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.* Et Joan. (5): *Nemo venit ad Patrem nisi per me.* Et alibi, passim, in Scripturis leges hoc Christi supremum munus.

3.° Clemens dicit (6): «Jesum Christum, Pontificem oblatio»num nostrarum, infirmitatis nostrae patronum et auxiliatorem. »Per hunc coelorum altitudinem aspicimus... per hunc voluit Domi»nus ut immortalem cognitionem gustaremus.»

4.° Mediator est qui inimicitias tollit, distantia jungit: sed id fecit Christus meritis et satisfactionibus suis. Ergo noster est Mediator.

Obj. Videtur potius Spiritus S. esse Mediator, cum postulet pro nobis (7).

Resp. Nego assertum. Spiritus S. est Deus tantum, non vero *medius* inter Deum et homines: postulat autem quatenus inspirando facit nos postulare, *ut oportet.* Christus autem Deus et homo, vere et proprie interpellat pro nobis, ut ait Apost. ibid.: oratio enim illius ut hominis, a Verbo autem dignificata, infinitam habet ad impetrandum efficaciam.

THESIS LXXIII.

Christus meruit Angelis gratiam et gloriam.

293. **Nota:** duplex de hac re, vel potius, triplex habetur sententia: prima absolute negat; secunda è contra affirmat; tertia ait, gratiam accidentalem quidem meruisse Christum Angelis, non vero substantialem. Secunda placet opinio.

(1) Hebr. VII. — (2) Sess. XXV, *De invocatione* SS. — (3) I Timot. II, 5.— (4) Hebr. XII, 22, 24.—(5) Jo. XIV, 6.—(6) Ep. ad Cor. c. 36.—(7) Rom. VIII, 26, 34.

Prob. 1.° S. Gregor. M., ait (1): «Si ergo etiam Angeli »sanctificati creduntur in Filio, multo magis de hominibus credi»tur, quia extra eum sanctificationis gratiam invenire non pos»sunt... Nemo electorum extra ipsum est. Quod referatur ad divini»tatem ejus, ut nequaquam intellectum humanitatis ejus evacuet: »quia justus esse non potest, qui fidem non habet divinae Incar»nationis.»

Omnium creaturarum sanctificationem Christo tribuendam docet Athanasius, supra (Thes. XLVII, ad Obj. 2.ᵐ).

S. Thomas, (2) illa exponens verba, *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, ait: «Patriarchae, Prophetae, et omnes Angeli: »quia plenitudo gratiae, quae data est Christo, est causa *omnium* »gratiarum quae fuerunt in intellectualibus creaturis.» Consentit et Suaretius (3).

2.° Ex Apostolo deducimus, qui ait (4): *Ipse est ante omnia, et omnia in ipso constant,... ut sit in omnibus primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.*

Jam vero sermonem esse de Christo homine patet ex contextu: unde sic; si gratiam et gloriam independenter a Christo habuissent Angeli, *non omnia in ipso constarent, nec primatum in omnibus teneret, nec per sanguinem crucis pacificaret quae sunt in coelis.* Ergo.

3.° Id quod est in unoquoque maximum causa aliorum existit. Sed in ordine gratiae et gloriae in Christo est maximum: ergo Christus est causa et gratiae et gloriae etiam Angelorum. Subsumo; sed Deus omnia subjecit Christo quia id meruit, ut docet Apostolus (5); ergo ex Christi merito est gratia et gloria Angelorum.

Maj. ex Sancti Thomae (6) desumitur verbis.

Min. constat supra, in Thesi XXXIV.

294. Obj. 1.° Ait Ambrosius (7): «Habemus aliquid, quod »fortasse Angeli non habent... Nobis est natus Christus ex Virgi»ne... Non lego Angelos, sed homines consepultos Christo et in »Christo resuscitatos.»

Resp. 1.° S. Ambrosius loquitur dubitanter; proinde non negat thesim nostram.

(1) In libr. I, Reg. l. 1, c. 3, nn. 6, 7.—(2) In cap. I, Jo. l. 10.—(3) *De Angelis:* lib. V, c. VI, n. 12.—(4) Colos. I, 17-20.—(5) Phil. II, 9.—(6) *Contra Gentes*, l. 4, c. 77.—(7) In Ps. 118, Serm. 10, n. 14.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. 2.° Christus non est passus et mortuus, non fuit Redemptor propter Angelos: unde non fuerunt sanctificati per mortem et passionem Christi formaliter, sed simpliciter per ejus merita. In hoc sensu loquitur Ambrosius, ut ex contextu patet.

Obj. 2.° Christus non est a Deo praedestinatus, nisi post Adae peccatum: sed ante praevisum Adae peccatum consummata erat Angelorum praedestinatio: ergo non fuit ex meritis Christi eorum sanctificatio.

Resp. Auctores qui *majorem* concedunt, in hac laborant difficultate solvenda. Dicere, nempe, debent; Angelorum praedestinationem fuisse, decreto pure intentivo, ante Christum praevisum praestitutam; ex meritis autem Christi praevisis fuisse decreto executivo completam. Haec autem responsio non omnino satisfacit, ideoque negando *majorem* facilius resolvitur difficultas.

THESIS LXXIV.

Christus est caput Ecclesiae, imo omnium hominum et Angelorum.

295. **Nota.** In capite, ait D. Thomas (1), tria considerantur; ordo, perfectio et virtus. Tenet enim caput primum locum; in eo vigent omnes sensus; virtute influit in cetera membra.

I.ª Pars prob. 1.° Apostolus ait (2): *Operatus est in Christo, suscitans illum a mortuis, et constituens ad dexteram suam in coelestibus, supra omnem principatum et potestatem, et omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro; et omnia subjecit sub pedibus ejus; et ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam; quae est corpus ipsius et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.* Et rursus (3). *Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis; ut sit in omnibus ipse primatum tenens.*

2.° Sequitur ex supra dictis (Thes. LXXII): si enim est summus Sacerdos, patet esse supra omnem Ecclesiam.

3.° Augustinus dicit (4): «Secundum formam servi, ipse est caput corporis Ecclesiae.» S. Thomas rationem explicat (ibid). Etenim, primo: Christus locum primum et altiorem tenet, secundum propinquitatem ad Deum; gratia ejus eminentior est, et *omnes alii* gratiam receperunt per respectum ad gratiam ipsius. Secundo: habet plenitudinem omnium gratiarum. Tertio: virtutem

(1) P. 3, q. 7, a. 1.—(2) Eph. I, 20-23.—(3) Colos. I, 18.—(4) De Trinit. l. 1. c. 12, n. 12.

habet influendi gratiam in omnia membra Ecclesiae: ergo est perfectum caput totius Ecclesiae.

296. II.ª Pars prob. 1.° Clare elucet ex laudatis Apostoli verbis. Insuper ait (1): *Deus exaltavit illum... ut in nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum.* Et Joannes (2): *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

2.° Tenentur omnes gentes Christo credere, et per eumdem salvari: ergo est omnium caput. *Ant.* patet ex praemissis (Thes. VI et LXVI).

3.° Christus est caput eorum qui uniuntur sibi per gloriam; quia haec est participatio gloriae et meritorum Christi, nam *qui vicerit dabo...* (3). Secundo, eorum qui sibi adhaerent per charitatem; eadem ratione. Tertio, illorum qui sibi per fidem copulantur: quia gratiae, quibus ad justificationem disponimur, per Christum habentur. Quarto, omnium quoque qui Christo adhaerent in potentia; quia respectum habent ad illum, tamquam principium per quod salutem assequi debent: ergo est omnium caput.

297. III.ª Pars prob. 1.° Ex laudatis in I.ª parte Apostoli sententiis.

2.° Christus est caput Ecclesiae. Sed Angeli spectant ad Ecclesiam: ergo est Angelorum caput.

Min. prob. Hieronymus ait (4): «Sed et hoc quod dicit: »*ipsum dedit caput super omnia Ecclesiae;* non solum hominum sed »etiam Angelorum cunctarumque virtutum et rationabilium crea»turarum Ecclesia intelligi potest.» Sic et Augustinus (5): «Caput nostrum Christus est... Numquit soli nos? Et non etiam illi »qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio saeculi fuerunt justi, »adjunctis etiam legionibus Angelorum, ut illa una civitas fiat sub »uno rege.»

3.° Omnes Angeli sunt ministri Christi: ergo. *Antec.* prob. Angeli sunt *Administratorii Spiritus propter eos qui haereditatem capiunt salutis* (6). Sed Christus est summus rector et gubernator Ecclesiae, idest, salvandorum; ergo Christo ministrant Angeli. *Min.* patet ex I.ª parte, et ex Thesi LXXII.

4.° Ex ratione, in I.ª parte theseos (sub n.° 3.°), facta. Etenim Christus influit quoque gratiam in Angelos, ut probatum est in Thesi LXXIII, et explicite docet D. Thomas (7).

298. Obj. Multi in Ecclesia sunt peccatores; multi quoque homines qui Christum nec agnoscunt: ergo ei non subjiciuntur.

(1) Phil. II, 9, 10.—(2) I Jo. II, 2.—(3) Apoc. III, 21.—(4) In ep. ad Eph. I, 22.—(5) In ps. 36, serm. 3.—(6) Hebr. I, 14.—(7) P. 3, q. 7, a. 9; q. 8, a. 4.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Resp. cum Hieronymo (1): «Sanctos voluntate, peccatores vero »sibi necessitate habet subjectos. Atque ita fit ut etiam inimici sub»jecti sint pedibus ejus.»

Obj. 2.° Ecclesia est visibilis: ergo Angeli non sunt membra ejus et Christi. Resp. dist. *antec.* Est visibilis quoad omnia; nego. Quoad aliqua; conc. «Influentia Christi super homines principaliter est »quoad animam... Ratione hujus conformitatis potest Christus dici »caput Angelorum, licet deficiat conformitas quantum ad corpus», ait S. Thomas (2).

THESIS LXXV.

Christus D. constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum, in iis quae ad salutem vel damnationem spectant aeternam.

299. Propositio est de fide.

1.° Ex Later IV. c. *firmiter*. «Judicaturus vivos et mortuos »et redditurus singulis secundum opera sua, tam reprobis quam »electis... ut recipiant illi cum diabolo poenam perpetuam, et isti »cum Christo gloriam sempiternam.»

2.° Ait Petrus (3): *Et praecepit nobis praedicare populo et testificari, quia ipse est qui constitutus est a Deo judex vivorum et mortuorum.* Et Joan. (4): *Qui nocet, noceat adhuc. Ecce venio cito, et merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua.* Et alibi: *Omne judicium dedit Filio; ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem* (5).

300. 3.° Augustinus (6) ait; «Secundum hoc accepit po»testatem judicandi, *Quia filius hominis est;* nam secundum quod »Dei Filius est, semper habuit hanc potestatem». Et in ea verba: *Omne judicium dedit Filio* (7): «Hoc dictum est, quia hominibus »in judicio non apparebit nisi Filius... Veniet in forma humana: »hanc videbunt et impii; videbunt et ad dexteram positi; videbunt »et ad sinistram separati; sicut scriptum est: *videbunt in quem pu»pugerunt.*»

4.° Ad judiciariam potestatem requiritur judicium rectum de meritis et demeritis; voluntas efficax ad retribuendum; auctoritas seu jurisdictio in judicandos. Atqui haec omnia in Christo perfecte concurrunt: ergo. *Min.* ex supra dictis patet.

301. Obj. 1.° Ad eum spectat praemium meritis et poenam culpis decernere, cujus est praedestinare vel reprobare: sed haec ad

(1) In ep. ad Eph. c. 1.—(2) P. 3, q. 8, a. 4, ad 1.—(3) Act. X, 42.—(4) Apoc. XXII, 11, 12.—(5) Joan. V, 22, 23. —(6) In c. V, Jo. 27. — (7) Ibid. in 22.

Deum spectant tantum: ergo Deus solum judicandi habet potestatem.

Resp. dist. *maj.* Ad eum spectat, auctoritate *primaria*, praemium meritis... Conc. *maj.* Auctoritate secundaria, seu participata; nego. Et concessa *min.*, negatur, vel distinguitur eodem modo *consequentia*, vel *consequens*.

Obj. 2.° Ait ipse Christus (1): *Sedere ad dexteram meam vel sinistram non est meum dare vobis:* ergo caret Christus judicandi potestate.

Resp. 1.° Christus adjecit: *Sed quibus paratum est a Patre meo:* igitur Christus dabit, quibus dandum sit, sedere ad dexteram vel sinistram ideoque judicabit.

2.° *Non est meum dare...* principaliter, conc. Secundario, nego.

THESIS LXXVI.

Christus fuit estque Rex universi mundi, etiam quoad temporalia.

302. **Nota.** I.° In thesi loquimur de Christo, ut homine; quatenus enim Deo omnia ei convenire jura, quis dubitare possit?

Nota. II.° Neque sermo est de potestate et dominio indirecto: talem enim, haud dubio, habet potestatem supremam, tamquam Summus Sacerdos et Pontifex; cum omnia temporalia inservire debeant spiritualibus (quatenus opus sit), uti animae subjicitur corpus.

Sermo est igitur tum de jurisdictione, tum de dominio directo et proprie dicto, non quidem humanitus, sed altioribus suscepto titulis.

Nota. III.° Quidam negant, habuisse Christum eam regiam potestatem; ut Sotus, Bellarminus, Valentia etc. Alii affirmant, ideoque potuisse Christum de rebus omnibus temporalibus decernere, reges mutare etc. Ita S. Thomas (2), S. Antoninus, Molina, Vasquez, Suarez, (3), etc., etc.

303. Prob. 1.° In SS. Literis Christus dicitur passim Rex: sed rex, in sensu obvio et communi, significat potestatem temporalem; ergo.

Confirm. 1. Dicitur distincte Rex et Sacerdos: ergo sicut habuit proprie spiritualem potestatem, ita et temporalem.

Confirm. 2. Vocatur Christus (4): *Rex Regum, Dominus dominantium; Princeps regum terrae.* Jam vero nemo dubitat, reges istos et

(1) Matth. XX, 23.—(2) Q. 2. 2, a. 1, ad 3; et q. 59, a. 4; et de Regim. princ. l. 3, c. 12.—(3) Disp. 48, *de Incarn.* Sec. 2.—(4) Apoc. XIX, 16; I, 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

dominantes terram, potestatem prae se ferre temporalem; ergo et Christus eorum est Rex et princeps temporalis: quae enim est prudentia, vel quae necessitas fingendi diversos sensus in eadem voce ejusdem sententiae?

Confirm. 3.° «Ipse Dominus ait universim (1): *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra*. Vel ergo potestas regia directa non est potestas, vel data fuit Christo.

304. 2.° Athanasius docet (2): «Est autem ille qui judicat »omnem terram, verus universorum Rex et Dominus noster, Jesus »Christus, Filius Dei.»

S. Chrysostomus, in illa Pauli (Hebr. I.), *Quem constituit haeredem*, ait: «Haereditatis utitur nomine, ut duo per hoc »ostendat; et quod proprius sit Filius, et quod dominationis illi »nulla contingat amissio; haeredem autem omnium dicit, mundi »totius.»

Et Anselmus (ibid.) «Quem ipse Pater secundum humani»tatem constituit... possessorem omnium creaturarum et totius »mundi dominum.»

S. Thomas (3) ait: «Nascitur (post antiquas Monarchias) qui »fuit verus Rex et Sacerdos et verus Monarcha; unde post resurrec»tionem suam apparens discipulis suis dixit: *data est mihi omnis »potestas*... Quod quidem ad humanitatem oportet referre, secun»dum Augustinum et Hieronymum, quia de Divinita»te nullum est dubium, quin semper habuerit.»

305. 3.° Unio hypostatica secum fert omnem dignitatem et excellentiam; summam sanctitatem, sapientiam, Sacerdotium summum, dignitatem capitis omnium hominum et Angelorum: ergo et regiam potestatem et dominium rerum omnium.

306. Obj. 1.° In SS. Literis significatur. potestatem Christi spiritualem tantum esse; ut in Ps. 2. *Ego autem constitutus sum Rex... praedicans verbum ejus*.

Resp. Nego assertum. Textus laudatus, in primis, nihil evincit; si enim munus aliquod spirituale, puta praedicandi, regi alicui conferatur, nullatenus sequitur in eo munere sitam esse totam ejus regiam potestatem: sicut si rex fiat sacerdos, non ideo auctoritas regia in sacerdotalem mutatur. Deinde, in hebraico sic legitur: *Et ego constitui Regem meum super Sion, montem sanctitatis meae*. In his autem verbis dicitur Christus Rex a Deo constitutus, absque ulla limitante voce. Quae autem, puncto interposito, sequuntur tamquam a Christo dicta exhibentur: *Praedicabo ipsum verbum* (sta-

(1) Matth. XXVIII, 18. — (2) Apolog. *ad imperat. Constant.* n. 26. — (3) De Regim. Princ. l. 3. c. 12.

tutum, seu praeceptum, seu dogma); *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te: postula a me, et dabo gentes haereditatem tuam*... Haec autem amplitudinem illimitatam Regni Christi significare, potius quam limitationem ullam, patet.

Obj. 2.° Patres siluerunt de regno temporali Christi; de spirituali autem omnes loquuntur. Ergo.

Resp. Patres omnes; nego *ant*. Plerique; Subd. Eo quod negarent potestatem Christi regiam; nego: quia urgebat Christi Regnum spirituale, quod unice *exterius* Christus exercebat, defendere et suadere adversus Judaeos; conc.

Quod si aliqui PP. temporale Christi Regnum negarunt, de fastuoso et externo Regno loquuntur; non de vera regia potestate quam invisibiliter Christus exercuit et exercet.

307. Obj. 3.° Dicit Christus: *Regnum meum non est de hoc mundo* (1); et alibi: *Quis me constituit judicem?* ergo, ipsius Christi testimonio, terrena caret potestate.

Resp. ad 1.m testimonium cum Augustino (2): «Christus non »dicit regnum meum non est in hoc mundo, sed de hoc mundo.» Item, S. Cyrillus (3): «Christus se quidem regem esse non ne»gavit, verum quippe loqui decebat: sed imperii Caesaris non hos»tem clare ostendit, cum suum regnum terrenum haud esse signi»ficat... Quodnam autem istius rei profert argumentum? Nempe »quod nec satellitibus unquam usus esset; nec defensoribus...»

Ex his autem patet pro nostra sententia haec facere. Christus accusabatur *ut homo*, quod se verum *in temporalibus* regem diceret: sed id «Christus non negavit, quia verum loqui decebat:» ergo. Quemadmodum Christus *ut homo* non aequalem sed minorem se esse dixit Patre; et noluit *ut homo* appellari bonus; *unus est bonus Deus:* ita accusatus *ut homo*, quod se diceret proprie et vere regem *in temporalibus*, negasset sane calumniam, si verus rex non fuisset. Atqui non negavit, sed modum tantum et originem exposuit, ut eluceret non adversari Caesari: *Tu dicis, quia rex sum ego: regnum meum non est de hoc mundo; si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent*... Verbo: Pilatus et Judaei eum accusabant et ajebant, quod se diceret *regem temporalem*. Ipse fassus est: *Tu dicis, quia Rex sum ego*. Non negemus ergo nos, cum Judaeis, quod negare Christus noluit.

Ad 2.m testimonium idem respondeas. Non negavit Christus se potestatem judicandi habere, cum *omne judicium* a Patre accepisset (4): sed *de origine* fecit quaestionem, ut declinaret litem illam

(1) Jo. XVIII, 36; Luc. XII, 14.—(2) Tract. 115, in Jo.- (3) In Joan. l. 12 c. 10.—(4) Jo. V, 22.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

et calumnias vitaret, quia non erat visibilis et ab hominibus mundana et legalis ejus potestas, sed altioris originis: *Quis me constituit judicem*?

308. Obj. 4.° Numquam usus est potestate regia: ergo eam non habebat.

Resp. 1.° Numquid usus est artibus omnibus, scientiis et linquis? Numquid legatus regius uti debet omnibus quibus munitur facultatibus? Propheta (1) Christo dicebat: *Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime*. At noluit uti, sed alia potius virtute: *Specie tua et pulchritudine tua, intende, prospere procede et regna*.

Causas autem quod noluerit Christus, cum apparatu, uti suo in temporalia regio dominio, vide apud D. Thomam (2).

Resp. 2.° Nego *ant*. Christus enim usus est potestate regia, cum adorari et accipere munera a Magis, ut Rex Judaeorum, voluit; deinde, cum se liberum a tributis solvendis declaravit; cum milites, sacerdotes, principes judaeorum in horto primum repulit atque prostravit, praecepitque eis, ut sinerent discipulos liberos abire. Denique usus est regio suo dominio, ait Angelicus Doctor, dum principes seculi permisit dominari, (ibid. c. 13, et 16) et vices suas gerere.

309. Obj. 5.° Christus exemplum perfectae paupertatis praebere voluit; ergo dominium non habuit temporale. Resp. Dist. *ant*. Paupertatis in usu rerum: conc. In dominio eminenti; nego suppositum: non enim pauper, sed ditissimus fuit quoad tale dominium.

Quod spectat ad dominium humano innixum jure, utrum illud Christus habuerit non inquirimus. Prae oculis tamen habere oportet, dominium rerum temporalium non esse imperfectionem moralem, per se loquendo, sed per accidens; quatenus occasione illius vel a cogitatione coelestium avertimur, vel rebus facile abutimur possessis. Hac de causa, cum proclivi ad malum simus, ad nostram spectat perfectionem non tantum usum rerum, quoad fieri possit, sed et proprietatem exuere; Christi autem consummata sanctitas et perfectio non illam exigebat humani dominii privationem: ergo neque haec requirebatur ut nobis perfectae paupertatis praeberet exemplum. Imo luculentius nobis illud exhibebat, dum summam amplectebatur rerum penuriam verus existens rerum omnium Dominus.

Obj. 6.° Favet haec sententia Judaeorum errori, quod, scilicet, futurus erat Messias dominator terrenus: ergo non est defendenda.

Resp. Dist. *ant*. Favet per se; nego. Per accidens, seu ex ignorantia et malitia, propter quam excaecati fuere; transeat. Numquid negabimus omnes fidei veritates et Scripturas, quia illis fere omnibus haeretici et impii in suam abusi sunt ruinam?

(1) Ps. XLIV, 4, 5.– (2) De *Regim. Princ.* l. 3, c. 14, 15.

THESIS LXXVII.

Christus D. secundo veniet in gloria et potestate magna; Antichristum et imperium ipsius delebit; et electos servabit.

Nota. Supponimus judicaturum Christum D. singulos homines statim post mortem, et tandem omnes universim post generalem resurrectionem: hic ab hisce quaestionibus particulatim evolvendis consultum duximus abstinere. Vide supra Thes. LXXV.

310. I.ª Pars, quae fide constat, probr.

1.° Ex symbolis fidei: sic in *Constantinop.*: «Et iterum venturus »est, cum gloria, judicare vivos et mortuos.»

2.° Apud Matthaeum legimus (1): *Tunc parebit signum Filii hominis in coelo, et tunc plangent omnes tribus terrae, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli, cum virtute multa et Majestate*. Vide etiam c. XXVI, 64; et Act. Ap. III, 20; et alibi passim. Daniel quoque (2) id praevidit, quem conferas cum Apocalypsis cap. XIX, 11, 12.

3.° Athanasius (3) ait: «Secundum quoque et gloriosum »vereque divinum ejus ad nos adventum ex iisdem (SS. litt.) per»discere poteris, cum, scilicet, non in vili forma, sed in propria »gloria; non in humili statu, sed in sua majestate; nec iterum pas»surus, sed suae crucis fructum... omnibus redditurus veniet.»

Hieronymus (4) pariter: «Duos esse Christi adventus Do»mini Salvatoris, et omnia Prophetarum docent volumina, et Evan»geliorum fides... Primum in humilitate, secundum in gloria.»

S. Hippolytus (vel alius antiquus P. sub ejus nomine) ait (5): «In Dei ac Patris dextera sedet, ac rursus, in mundi con»summatione, judex manifestandus est. Necesse est ut ejus prae»cursores manifestentur... Hi itaque venientes praedicabunt futu»ram Christi in coelis apparitionem, facientque signa, ut vel sic »convertant hominum animos.»

Pars II.ª probatur.

311. **Nota.** Etiamsi fide constet Antichristum a Christo D. interficiendum, tamen non certo liquet, utrum corporaliter praesens vel in *ostensione virtutis* tantum, Christus illum sit occisurus. En, de quaestione hac, quid censeat P. Gregorius Valentia (6).

(1) XXIV, 30.–(2) VII, 13, 14.–(3) *De Incarn.* n. 56.–(4) Ad Algas. q. 11.–(5) L. *Demonstr. de Christo et Antichr.* n. 46.–(6) De *Incarnat. div. Verbi.* Disp. XI, q. 2, p. 2.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS ®

«Dubium autem est; an illic Antichristus interficiendus sit ab »ipsomet Christo, corporaliter illuc adveniente, ut volunt Da»mascenus (libro 4, capite. 27) et Anselmus (2 ad Thes»sal. 11): An vero ministerio Angelico, ex Christi imperio, ut »vult Divus Thomas (2 ad Thessal. II, Lect. 2). Nam »Damasceno et Anselmo suffragatur modus loquendi »Isaiae et Apostoli; scilicet quoad Christus *spiritu labio»rum suorum*, seu *spiritu oris sui*, id est, efficacitate suae vocis, in»terficiet Antichristum et *destruet illum, illustratione* ac fulgore »suae praesentiae et adventus, ad modum, scilicet, quo, voce et »splendore suo, convertit et postravit Paulum.

«Divo autem Thomae suffragari videtur Daniel, qui sta»tim ac dixit in fine, cap. XI. *Veniet usque ad summitatem ejus, et »nemo auxiliabitur ei;* subjunxit in capit. XII. *In tempore illo con»surget Michaël, Princeps magnus*, etc. Itaque quod ait Aposto»lus, *Spiritu oris ejus* etc., interpretatur D. Thomas sig»nificare non vocem sed *praeceptum* Christi, quod dabitur Michaëli »Archangelo de interficiendo Antichristo. Et quod Apostolus »ait: *Destruet eum illustratione adventus sui*, interpretatur de morte »secunda, quam inferet Antichristo Dominus per sententiam dam»nationis in judicio. Sed quamvis ista sententia D. Thomae »improbabilis non sit; tamen videtur sententia Damasceni et »Anselmi Scripturae conformior, neque habere ullum in»commodum.»

Prob. 1.° Apostolus ait (1): *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jesus interficiet* (ἀναλώσει, consumet) *spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui.*

S. Joan. (2), descripta majestate adventus Christi, dicit: *Et vidi bestiam et reges terrae et exercitus eorum... Et apprehensa est bestia et cum ea Pseusedopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos qui acceperunt characterem bestiae... Vivi missi sunt in stagnum ignis ardentis sulfure; et caeteri occisi sunt de gladio sedentis super equum, qui procedit de ore ipsius*, scilicet Christi. Daniel (3) etiam praedixit; omnem potestatem in terra Chrito tradendam, et tunc *Antichristi* et iniquorum regnum conterendum prorsus.

312. 2.° Hieronymus (in Dan. c. VII, v. 11) ait. «In uno »Romano imperio, propter Antichristum blasphemantem, omnia »simul regna delenda sunt; et nequaquam terrenum imperium erit, »sed sanctorum conversatio et adventus Filii Dei Triumphantis, de »quo dicitur: *Et ecce in nubibus coeli quasi Filius hominis.*»

(1) II *Thessal.* II, 8.—(2) Apoc. XIX, 19, 21.—(3) VII, 14, 26.

Augustinus (1), dicit: «Eam plagam, qua percutiendi sunt »Ecclesiae persecutores, veniente jam Christo, quos viventes inve»niet super terram, quando interficiet Antichristum spiritu oris »sui, non esse ultimum supplicium impiorum.»

Damascenus ait quoque (2): «Antichristus, in regni quidem »sui, vel tyrannidis potius, praeludiis, bonitatis speciem prae se fe»ret. Cum autem rerum potitus fuerit, tum Ecclesiam Dei persequu»turum... Ac tum Dominus.... quemadmodum sancti Apostoli in »coelum euntem viderunt, hoc est, Deus perfectus et homo perfec»tus, cum gloria et potentia veniet, ac peccati hominem, perditio»nisque filium oris sui spiritu interficiet.»

S. Chrysostomus, eodem loquitur sensu (3): «Antichristus »vacans invadet imperium, hominumque et Dei imperium aggre»dietur rapere. Sicut Medorum imperium a Babyloniis, Babylonio»rum a Persis, Persarum a Macedonibus, Macedonum a Romanis; »ita hoc quoque ab Antichristo, et ille a Christo (evertetur) et non »amplius retinebit. Et hoc cum magna evidentia nobis tradit Da»niel... sicut enim ignis si tantum invaserit parva animalcula, »ante suum adventum, etiamsi sint procul, torporem injicit et con»sumit: ita Christus quoque, jussu solo et praesentia, Antichris»tum de medio tollet.»

Pars III.ª probatur.

313. Primo **nota**: cum Dominus Antichristum ejusque exercitus ac regnum deleverit, non statim locum habebit mortuorum universalis resurrectio et mundi finis. «Debemus firmis»sime credere, ait B. Alcuinus (4), in libro *de vita An»tichristi*, quod cum Antichristus occisus fuerit, non statim veniet »ad judicium Dominus.., Quantum temporis spatium postea fiat, »quamvis arbitror quod nullus sit qui sciat, sed in dispensatione »Dei maneat, qui judicabit saeculum per ignem... tamen Augus»tinus in ep. *Nolumus vos ignorare*, multa declarat, et Hiero»nymus in ep. ad Minervium, dat nobis magna scientiae »documenta.» Et quidem S. Joannes in Apoc. (c. XX) a morte Antichristi ad generalem resurrectionem longum constituit tempus, sub voce *mille annorum*. Daniel autem (c. XII, v. 12) significat faustissima, expleto aliquo temporis spatio, post Antichristum eventura; uti et Hieronymus (in Dan.) notavit: «Quare »autem post interfectionem Antichristi, quadraginta dierum silen»tium sit, divinae scientiae est.» Illa sane interfectio Antichristi et exercituum ejus, atque iniquissimi imperii subversio, initium

(1) *De civit. Dei*, l. 20, c. 12.—(2) L. 3, c. 27.—(3) In epist. 2.m ad Thes. c. II, hom. 4.—(4) Vel Adso Abbas, ut nonnulli censent critici..

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS ENLACE
INSTITUTO GENERAL DE INVESTIGACIÓN

quoddam ac praeludium erit judicii Jesu Christi, qui venturus est judicare vivos et mortuos, uti aperte a Daniele dicitur et exponit Hieronymus: «*Et judicium sedebit, ut auferatur potentia »et conteratur et dispereat usque in finem* (c. VII, v. 26): Hoc de »Antichristo, id est, de cornu parvulo, quod grandia loquebatur, »quia regnum ejus destruendum sit in perpetuum.» Quod si illa Antichristi destructio initium erit judicandi, necessum est ut aliquod incertum tempus excurrat, quod non potest uno vel paucis definiri diebus, ut Augustinus docet: «Quod ergo in confessio»ne ac professione tenet omnis Ecclesia Dei veri, Christum de coelo »esse venturum ad vivos et mortuos judicandos, hunc ultimum »diem dicimus, id est, *novissimum tempus*. Nam per quot dies hoc »judicium tendatur, incertum est: sed, Scripturarum more sancta»rum, diem poni solere pro tempore nemo qui illas litteras, quam»libet negligenter, legerit, nescit. Ideo autem, cum diem judicii Dei »dicimus, addimus ultimum vel novissimum; quia et nunc judicat, »et ab humani generis initio judicavit...» (1).

Ven. Beda (de *Ratione Tempor.* c. 68) ait: «Percusso autem »illo perditionis filio (Antichristo), et aeterna ultione damnato, non »continuo dies judicii (finalis) secuturus esse credendus est... Post »quantum vero tempus consummatae ejusdem persecutionis ven»turus sit, nemini prorsus scire conceditur.»

314. His positis, III. partem probemus, id est, quantam, qualemque salutem justus Judex J. C. Ecclesiae sit allaturus. Cardinalis Gotti, inter insigniores O. P. theologos jure laudatus, ait (2): «Sublato, et in infernum demerso Antichristo, nemo »prudens dubitare poterit, quin ejus fautoribus undequaque fuga »elapsis ac dispersis, Ecclesia per universas mundi regiones sere»nissima pace sit fruitura; et propterea in publicum rediturum ejus »exercitium, et gratiarum actionibus Deo totus orbis personabit... »Aeque tamen incertum est, quantum temporis sit effluxurum a »morte Antichristi ad finem mundi, et diem universalis judicii, de »quo diversi diverse loquuntur.»

Id quidem universim dicendum, sed enucleari ista singularie oportet.

315. 1.° Liberabit Christus Ecclesiam a tyrannide infidelium et iniquorum, solumque deinde a filiis ejus habebitur civile imperium. Societas hominum sine regimine subsistere nequit, ideoque fiet, ut, decurrente eo tempore ab Antichristi occisione usque in finem, *Regnum et potestas et magnitudo regni, quae est subter omne*

(1) De *Civit. Dei.* lib. 20, c. I.—(2) In 3 part. tract. XV, *de fine mundi*, q. II, d. 7, § 3.

coelum (totius terrae), detur populo sanctorum Altissimi (Daniel, c. VII, 27). Vide quoque S. Joannem (1), et Isaiam (2), et Amos (3): unde ait Ambrosius (4): «Sicut primus ad»ventus Christi propter redimenda peccata, ita et secundus propter »reprimenda delicta, ne plures, perfidiae errore, labantur.»

316. 2.° Eo tempore congregabuntur ad Ecclesiam Judaei omnes, qui non fuerint conversi, et cum Antichristo non perierint.

Etenim, ut probatum est supra (Thes. V), Judaei tandem sunt ad Christum convertendi; atqui Patres et Interpretes SS. Scripturarum communiter docent eos esse Antichristo fidem daturos: ergo, post occisum, ad Ecclesiam aggregabuntur.

317. 3.° Tunc quoque omnes convertendae gentes. *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terrae; et adorabunt in conspectu ejus universae familiae gentium; quoniam Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium* (5). Et in ps. LXXI describuntur quae, veniente Domino ut judice, accidere debeant: *Benedicentur in ipso omnes tribus terrae; omnes gentes magnificabunt eum.* V. Isai, II, 1-6.

Hieronymus (ea verba exponens Christi *alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili*) ait (6): «Quando omnia fuerint desperata, »tunc in gentem fortissimam congregabuntur. Quae, licet ex parte »in Ecclesia quotidie videamus expleri, tamen in mundi consum»matione plenius complebuntur, et in secundo Salvatoris adventu.» »S. Maximus Taurin. (Homil. 2.da *Hiemali*) ait: Corus«cante Salvatore Antichristus effugatur, nec ulterius poterit disse»minare iniquitatis suae tenebras, cum lumen veritatis effulserit.»

318. Gentium omnium, simul cum Judaeis, conversionem Apostolus significavit (7): *Si delictum eorum divitiae sunt mundi, et diminutio eorum divitiae gentium: quanto magis plenitudo eorum?... Si enim amissio eorum, reconciliatio est mundi: quae assumptio, nisi vita ex mortuis?* Quae clare commentans Estius ait: «Si, inquit Apostolus, Judaeorum abjectio per occasio»nem valuit ad reconciliationem gentium cum Deo: quid dicemus »de assumptione Judaeorum, qua nimirum assumentur a Deo ad »gratiam Evangelii et ad salutem in fine seculi; nisi quod ea mul»to magis sit profutura gentibus ac toti mundo ad novitatem vi»tae ex morte peccati?» Eodem modo S. Chrysostomus (8): «Nam si, inquit, tunc cum impegerunt, tot ex illis (gentibus) sa»lutem nacti sunt; et si cum illi ejicerentur, tot sunt vocati; cogita

(1) Apoc. XX. – (2) II, 1-6.—(4) IX, 11, 12. — (3) In Luc. lib 10, 17 — (5) Ps. XXI, 28, 29. — (6) In Isai. LX, 22. — (7) Rom. XI, 12, 15. — (8) Hom. XIX, n. 3, ep. ad Rom.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»quid futurum sit, quando illi conversi fuerint. Non enim dixit, »quanto magis conversio eorum, vel mutatio eorum, vel correctio »eorum; sed, *quanto magis plenitudo eorum;* id est; quando omnes »accedent. Hoc porro dixit ostendens, tunc fore amplitudinem gra»tiae ac doni Dei, ac fere totum dandum esse.» Unde Alapide concludit, eamdem sequens literalem et obviam interpretationem: «Si de malo, quod per se adversatur bono, puta, de Judaeorum in»credulitate, per accidentariam occasionem divina Sapientia tan»tum elicuit bonum... Quanto magis ex bono, quod per se ordina»tur ad bonum, puta, ex Judaeorum fide et conversione, eliciet »idem Deus ingens bonum, puta, gentium in fide propagationem »et confirmationem; ut ita per Judaeos totus mundus ad florentem »optimumque statum, adeoque ad salutem et gloriam aeternam »perducatur? En quam Apostolus facit Gentibus desiderabilem »Judaeorum fidem et conversionem!» Catechismus Romanus (1) de hac gentium et judaeorum conversione intelligit illas Isaiae praedictiones (c. XLIX, 18; c. LIV, 2-5, et c. LX): nam, cum dicimus, *adveniat regnum tuum*, petimus ut haec compleantur et ad exitum perducantur. Cum igitur ab Apostolorum tempore *mysterium iniquitatis operetur*, et impediat opus gratiae, dicendum est; Antichristo jam sublato, tunc conversionem Judaeorum et Gentium implendam.

Ambrosius illa Joan. exponens verba (2), *In nomine Patris veni et non me suscepistis; si alius venerit...* ait: «Significans »Judaeos in Antichristum credituros, qui in Christnm credere no»luerunt» (3). Quapropter manifestum est, post Antichristi interitum ea esse complenda, quae a tot prophetis de eorum conversione fuere praedicta; haec autem quam sint praeclara et magnifica, etiam erga Gentes omnes, quicumque vel semel prophetas legerit non ignorat (Vide supra, Thes. V).

319. 4.° Denique, eximia a Christo afferenda salus et benedictio, cum regnum subvertet Antichristi, praeclaris significatur figuris: tum Apoc. c. XIX et XX; tum in Ps. XXI et LXXI; tum Luc. XXI, v. 28: *His autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

Haec omnia paucis complexus est Augustinus (4): «Nullus »igitur dubitat, per Jesum Christum, tale quale istis sacris Litteris »praenuntiatur, futurum esse novissimum judicium... In illo ita»que judicio, vel circa illud judicium, has res didicimus esse ven»turas: Eliam Thesbitem; fidem Judaeorum; Antichristum

(1) Pars IV, *de secun. petit.* n. 12.—(2) V, 43.— (3) In Ps. 43, n. 19.—(4) *De civit. Dei*, l. 20, c. ult.

»persecuturum; Christum judicaturum; mortuorum resurrectio»nem; bonorum malorumque diremptionem; mundi conflagratio»nem ejusdemque renovationem. Quae omnia quidem ventura esse »credendum est: sed quibus modis et quo ordine venient, magis »tunc docebit rerum experientia, quam nunc valet consequi ad per»fectum hominum intelligentia. Existimo tamen eo, quo a me com»memorata sunt, ordine esse ventura.»

SCHOLIA.

I. *De signis Adventus Christi Dni.*

Praecipua Adventum Christi praenuntiantia signa a SS. Literis et SS. Patribus haec notantur.

320. 1.m Praedicatio Evangelii apud omnes gentes. Nam dixit Christus D. (1): *Et praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus; et tunc venit consummatio.*

Communis PP. interpretatio in his certum agnovit instantis Adventus Christi signum; adeo ut, cum plures eorum crederent praedicatum Evangelium ubique fuisse, hinc Adventum quoque Christi instare affirmarent: scilicet, maximam Asiae latitudinem, vastissimas Africae regiones, Oceaniam duasque Americas non agnoscebant. Unde Origenes (2) negabat fuisse ubique praedicatum Evangelium: «Si quis temere dicere vult praedicatum jam esse »Evangelium in toto orbe in testimonium omnibus gentibus, con»sequenter dicere poterit, jam finem venisse: quod dicere temerita»tis est magnae, et hominis non intelligentis, quae Paulus ad »Thessalonicenses, epist. 2.ª dicit: *Nequis vos seducat...*» Unde et Suarez (3): «Quocirca inter signa propria futuri judicii hoc »videtur esse primum (praedicatio Evang. in toto mundo) et ante »omnia implendum. Post impletam hanc universalem praedica»tionem Evangelii, non multo post, futurum Antichristi adven»tum, et ultimam Ecclesiae persecutionem.» Cfr. Augustinum, epist. 199 ad Hesychium episc. (a. 80), n. 46.

321. 2.ª Magna apostasia, seu a fide discessio. Id Paulus indicat (4): *Ne terreamini quasi instet dies Domini... Quoniam nisi venerit discessio primum...* Et Christus D. (4) significavit: *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?*

Hieronymus confirmat (5): «Et ut credas in consummatione »seculi deteriora nobis eventura quam evenerunt Judaeis, audi

(1) Matth. XXIV, 14.— (2) In Matth. XXIV.— (3) *De Incarn.* Pars 2.ª Disp. 56, sec. 2.—(4) II Thes. II, 2, 3.—(5) Luc. XVIII, 8.—(6) In Hierem. hom. 14.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DE LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»Salvatorem in Evangelio praedicantem.» Affert aliqua testimonia et prosequitur: «Tantaque incredulitas in universo humano genere futura est, ut Salvator noster loqueretur: *Putas veniens Filius ho-*»*minis*...» Deinde adjicit: «Si illos (Judaeos) gloriantes esse se oli-»vam bonam et de radice Patriarcharum, Abraham, Isaac et Jacob, Christus clementissimus Deus, pro suo merito, eradica-»vit; quanto magis neque nobis parcet, si similia fecerimus.» Respicit, nempe, Hieronymus ad ep. ad Rom. (c. XI), ubi de incredulitate Gentilium agit Apostolus et Judaeorum.

Verum, quis non perspiciat ingentem Gentium a vera fide discessionem, eamque quotidie accrescere, ac tantam esse ubique seductionem ut in dies necessario magis magisque compleri oporteat? Reges ac principes omnes vel bellum, sub regno Antichristi consummandum, adversus Christum agunt, vel saltem, Regni Christi jura pro nihilo habentes, agere permittunt.

322. 3.m Tertium signum, (communiter a PP. notatum) est Romani Imperii extinctio. Et sane, in illis Apostoli verbis (1) signum istud intellexere PP. plures: *Non retinetis, quod cum adhuc essem apud vos, haec dicebam vobis? et nunc quid detineat scitis, ut reveletur in suo tempore. Nam mysterium jam operatur iniquitatis: tantum, ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat.* Antequam vero Romanum extinguatur imperium, prius in plura dividendum regna edocuere PP. et Interpretes, tum ex Daniele (2); tum ex Apoc. (3). Vide etiam Chrysostomum, supra, in II.ª parte Theseos, (n. 311.)

323. 4.m Aliud signum proximum Adventus Christi erit tyrannicum Antichristi regnum, et *tribulatio illa magna*, qualis numquam fuerat, ex generali orta seductione et subsequenti persecutione. Ita Paulus (ibid.): *Nisi venerit discessio primum et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur et extollitur adversus omne quod dicitur Deus*, non instabit Adventus Domini.

Ex dictis autem in II.ª parte Theseos, hoc signum futurum esse, perspicuum est.

324. 5.m Elias quoque et Henoch adventum praecedent Christi.

«Haec assertio, ait Suarez (4), est de fide, aut fidei valde pro-»xima.» Et Vega (5), item: «Non posse, absque errore in fide, »negari venturos Enoch et Eliam temporibus Antichristi.»

Et quidem, hos prophetas significari per illos duos testes, de qui-

(1) II Thess. II, 5-7.—(2) II, 40, 41; VII, 23, 24...—(3) XVII, 12.—(4) *De Incarn.* pars 2.ª, disp. 55, sec. 2.—(5) In Apocalyp. XI, comm. V, sec. VI.

bus S. Joannes (1); quemadmodum et Antichristum per illam bestiam quae ascendit ab abysso; docet D. Thomas cum S. Gregorio (2) et pluribus aliis doctoribus. Quoad Henoch autem dicit Ecclesiasticus (3): *Henoch placuit Deo et translatus est in paradisum, ut det gentibus poenitentiam.* Verum quoad Eliam clariora sunt Scripturae testimonia: Malachias enim ait (4): *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies* Domini *magnus et horribilis:* de qua re et Ecclesiasticus (5): *Qui scriptus est in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filios, et restituere tribus* Jacob. Verum clare id docuit Christus D. (6): *Elias quidem venturus est, et restituet omnia.* Quapropter, quod Joannes, in Spiritu Eliae, in primo Christi praestitit adventu, id ipse Elias praestabit in secundo. Ita Hieronymus in comment. S. Matthaei (c. XI et XVII) et Patres universim. Vide S. Augustinum, qui hunc Eliae adventum inter fidei articulos credendos refert (n. 318.)

Nota: alia adventus Domini in Evangeliis notantur signa. Vide Matthaeum (c. XXIV), Lucam (c. XXI), Marcum (c. XIII), Joannis Apocalypsim (c. VI, XVII, et XVIII).

II. *De Antichristi notis.*

325. Primum notandum, quod inter Auctores non conveniat, futurus ne sit Antichristus physica vel moralis persona. Quod persona erit particularis significare videtur Apostolus (7), dum ab eo appellatur: *homo peccati*, ὁ ἄνθρωπος; *filius perditionis*, ὁ υἱὸς; *ille iniquus*, ὁ ἄνομος.

Quod, è contra, moralis futurus sit persona, innui videtur cum ipse Apostolus ait; *mysterium jam operatur iniquitatis*, (ibi v. 7.): Et S. Joannes ait (8): *Omnis spiritus qui solvit Jesum ex Deo non est; et hic est Antichristus, de quo audistis quoniam venit, et nunc jam in mundo est.* Et rursus (3): *Filioli, novissima hora est; et sicut audistis quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt: unde scimus quia novissima hora est... Hic est Antichristus, qui negat Patrem et Filium.*

In Apocalypsi (9) depingitur Antichristus tamquam horribilis bestia, septem habens capita et decem cornua: quid sint autem cornua, ipse explicat Joannes, nempe: esse reges terrae bellum adversus Agnum moventes. Haec autem personam quamdam moralem, sectam, seu iniquam societatem aperte significant. Commu-

(1) Apoc. XI, 3, 7.—(2) Moral. l. 9, c. 3.—(3) XLIV, 16.—(4) IV, 5.—(5) XLVIII, 10.—(6) Matth. XVII. 11.—(7) II Thess. II 3, 8.—(8) I Jo. IV, 3.—(9) Ibid. II, 18, 22.—(10) C. XIII, XVII.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

nius tamen PP. et interpretes personam quamdam singularem in telligunt nomine Antichristi.

326. Utraque admitti potest opinio nisi *exclusive* intelligatur. Si enim sola singularis foret persona, non elucet, quomodo adeo crudelem et universalem adversus christianos moveret persecutionem: ideoque necessario concedi debent *antichristi multi*, ut loquitur S. Joannes, sub uno capite Antichristo. Si vero excogitemus formidabilem sectam, vel sectarum consortium, cui reges erunt addicti, uti cornua capitibus bestiarum, quarum sunt arma et instrumenta; quemadmodum ipse Joannes (1), Antichristum exhibet; tunc etiam caput aliquod supremum, vel praeses summus, cui omnes volentes, vel nolentes, pareant, concedere oportet. Ubi enim est multitudo caput aliquod unum, vel de jure vel de facto, necessarium est; praesertim, si multitudo aggregatio sit iniquorum, qui, nisi tyrannica intercedat potentia, nullatenus convenire inter se valent.

327. 1.° Primus Antichristi character (sive moralis, sive physica fuerit persona) erit insignis ejus iniquitas, ita ut omne jus susque deque se posse subvertere existimet. *Putabit quod possit mutare tempora et leges* (2): ὁ ἄνομος, ait Apostolus; *ille iniquus*, seu, *sine lege*.

2.° Secundus erit impietas, seu odium in Deum; ideoque in quamlibet religionem, praecipue autem in veram, id est, Catholicam; qua de causa nomen ejus propheticum est, Antichristus. *Extollitur se supra omne quod dicitur Deus* (3). *Sermones contra Excelsum loquetur* (4). *Aperuit os suum in blasphemias ad Deum* (5).

3.° Character quoque Antichristi futurus est, magna imperii ejus latitudo. *Data est illi potestas in omnem tribum et populum, et linguam et gentem;* ajunt S. Joannes (6), et Daniel propheta (7).

328. 4.° Omnem potestatem, etiam religiosam, sibi arrogabit, et summum obsequium, seu cultum, sibi deberi contendet: *Ita ut in templo Dei sedeat;* ecce summam in religione auctoritatem, (el Estado Dios): *Ostendens se tamquam sit Deus*, en supremum cultum (8). Item (9): *Faciet ut quicumque non adoraverint imaginem bestiae occidantur. Faciet omnes habere characterem in dextera manu sua, aut in frontibus suis; ne quis possit emere, aut vendere, nisi qui habet characterem,*

(1) Apoc. XIII, XVII. – (2) Dan. VII, 25. – (3) II Tes. II, 4.—(4) Dan. VII, 25.—(5) Apoc. XIII, 6.—(6) Ibid. 7. – (7) VII, 23, 24. – (8) II Thessal. II, 4. – (9) Apoc. XIII, 15-17.

aut nomen bestiae, aut numerum ejus. A fortiori summam docendi auctoritatem sibi Antichristus vindicabit, nec aliud nisi ab eo procedens patietur magisterium.

329. 5.° Alius erit Antichristi character, quod primum per seductionem et hypocrisim prosperabitur, deinde autem vi et coactione omnes sibi subjiciet. *Quasi oculi hominis erant in cornu isto, et os loquens ingentia* (1). *Datum est ei os loquens magna* (2). *Cujus est adventus* (initia dominationis) *in omni seductione iniquitatis, iis qui pereunt, eo quod charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent* (3). His innuit Apostolus, quid et qualia reapse futura sint illa *magna*, illa *ingentia* quae os Antichristi loquetur; stultis scilicet, vanis, mundanis, incredulis, erunt *magna;* ideoque post Antichristum adibunt allecti magnis vocibus *scientiae, dominationis, indefiniti progressus, divitiarum, fraternitatis universalis, aequalitatis omnium, libertatis*, etc. Ad haec accedent prodigia mendacia *secundum operationem Satanae* (4), *ita ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi*. Etenim illa jam adeo evulgata spirituum infernalium evocatio, quae antiquum hisce temporibus suscitavit Paganismum, ad regnum Antichristi nunc viam sternit, et postea majoribus prodigiis omnes, *qui pereunt*, eidem subjiciet. Illud vero: *Quasi oculi hominis;* clare indicat ementitam philanthropiam, et rationalismum, quibus bestiales suos sensus, quasi foliis, velabit Antichristus. Nam quia se, merum hominem, Deum esse contendet, non poterit nisi talia proferre, quibus hominis naturam super-exaltet. «Si autem oculi hominis, ne mireris: ete»nim talia loquitur. Homo est;» Chrysostomus ait (in Dan.). Damascenus autem: «Atque in regni quidem sui, vel tyranni»dis potius, praeludiis, bonitatis speciem prae se feret, (libertatem, »fraternitatem praedicando.) Cum autem rerum potitus fuerit, tum »vero Ecclesiam Dei persequetur, perversitatemque suam omnem »depromet» (5).

330. 6.° Denique adjuvabitur Antichristus ad suam erigendam tyrannidem a pluribus falsis prophetis, id est, hypocritis hominibus; qui spiritum evangelicae mansuetudinis effingentes, et revelatam veritatem adulterantes, stultos et timidos sub illius ditionem perducent: praetexentes, scilicet, humilitatem, mansuetudinem, charitatem erga omnes et tolerantiam, et vitandi majora mala necessitatem. Ideo B. Joannes, (6) sub figura bestiae, cornua duo habentis *si-*

(1) Dan. VII, 8. — (2) Apoc. XIII.— (3) II Thess, II, 10.— (4) Ibid. 9; et Apoc. XIII, 14; Matt. XXIV, 24. – (5) L. 4, *Fidei*, c. 27.—(6) Apoc. XIII, 11.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

milia agni, hos falsos prophetas descripsit: «Quia per hypocrisim »sanctitatis eam, quam in se veraciter Dominus habuit singula»rem, sibi inesse, et sapientiam mentitur et vitam. Ista bestia, id »est, praedicantium multitudo, si aperte loqueretur, agno similis »non appareret; sed assumit agni speciem, ut draconis exerceat »operationem.» (D. Greg. l. 33, Mor. c. 36).

331. 7.° Eo tempore Antichristi, reges adeo vilescent ac depravabuntur, ut ei subdantur, fiantque ipsius instrumenta ad expugnandam Christi D. Ecclesiam. Hinc reges illi a S. Joanne (1) cornua Bestiae seu Antichristi appellantur: *Decem cornua, quae vidisti, decem reges sunt... Hi unum consilium habent, et virtutem et potestatem suam Bestiae tradent. Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos; quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum... Et decem cornua, quae vidisti in Bestia, hi odient fornicariam, et desolatam facient illam, et nudam, et carnes ejus manducabunt, et ipsam igni cremabunt.*

332. 8.° Probabilis admodum est quoque Regni Antichristi character, quod super Romani Imperii ruinas struetur. Plures id docent PP. Uti S. Chrysostomus (2): S. Hieronymus etiam (3); «Ergo dicamus »quod *omnes* Scriptores Ecclesiastici tradiderunt: in consummatio»ne mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem »futuros reges qui orbem Romanum inter se dividant, et undeci»mum surrecturum esse regem parvulum, qui tres reges de decem »regibus superabit... Quibus interfectis, etiam septem alii reges »victori colla submittent... Est homo peccati, filius perditionis, »ita ut in Templo Dei sedere audeat faciens se quasi Deum.» Haec et probat Augustinus (4). Martyr autem et ep. sanctus Hippolytus (5) ait: «Cum prope conciderit imperium hoc, sive »etiam in contemptum abierit, et in decem diademata resolutum »sit; tunc Antichristus velut ipsum curaturus ac renovaturus sit.» Sic quoque Auctor sapiens et eruditus tertii vel quarti seculi, in ep. 2.m ad Thesal. c. II; (inter Ambrosii opera).

(1) Apoc. XVII, 12, 13.—(2) Supra, n. 303.—(3) In *Daniel.*—(4) *De Civit. Dei*, l. 10, c. 19.—(5) *Demonstr. de Christo* et *Antichr.* n. 49.

CAPUT V.

De Incarnationis necessitate, et Christi cum ordine rerum connexione

333. **Nota.** In I hujusce synopsis capite, extrincece, et quasi ante vestibulum, divinae sapientiae domum, Christum, scilicet, contemplati sumus, prout de Eo locuti sunt prophetae. In II autem et III superne seu a priori, per causas nempe, tum intrinsecas tum extrinsecas, celsitudinem operis, quod in *brachio suo* divina complevit Potentia suspeximus. Deinde, in IV capite, Filii Dei exquisivimus cognitionem a posteriori, seu per effectus, tum particulares tum generales, ad quos Illius perfunditur virtus et perfectio. Superest, ut de Christo D. aliquid disseramus, quatenus, ex divina Oeconomia, cum universo rerum ordine connectitur.

ARTICULUS I.

De Incarnationis necessitate.

THESIS LXXVIII.

Conveniens fuit Incarnationis mysterium, non autem absolute necessarium, sive metaphysice, sive moraliter.

334. I.ª Pars clare patet ex iis, quae, supra (Thes. XLVII et XLVIII), agentes de causa finali Incarnationis diximus.

Hoc tamen notandum, quod convenientia de qua agitur non est quasi *lucrum* concipienda, seu bonum aliquod, quo Deus intrinsece accrescat; est enim *Summum bonum*, et quodlibet aliud bonum est illius summae bonitatis participatio; sed ut bonum extrinsecum summe dignum, quod Deus in eo efficaciter complacuerit. Ad rem Augustinus (1): «Cujus bono in tanta humilitate venit tanta »sublimitas? Nullo utique suo; sed magno, si credimus, nostro.»

Adversus hanc primam partem non nullae urgent difficultates, paucis solvendae.

(1) Serm. 185 (a. 62, de divers.) c. I.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

milia agni, hos falsos prophetas descripsit: «Quia per hypocrisim »sanctitatis eam, quam in se veraciter Dominus habuit singula»rem, sibi inesse, et sapientiam mentitur et vitam. Ista bestia, id »est, praedicantium multitudo, si aperte loqueretur, agno similis »non appareret; sed assumit agni speciem, ut draconis exerceat »operationem.» (D. Greg. l. 33, Mor. c. 36).

331. 7.° Eo tempore Antichristi, reges adeo vilescent ac depravabuntur, ut ei subdantur, fiantque ipsius instrumenta ad expugnandam Christi D. Ecclesiam. Hinc reges illi a S. Joanne (1) cornua Bestiae seu Antichristi appellantur: *Decem cornua, quae vidisti, decem reges sunt... Hi unum consilium habent, et virtutem et potestatem suam Bestiae tradent. Hi cum Agno pugnabunt, et Agnus vincet illos; quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum... Et decem cornua, quae vidisti in Bestia, hi odient fornicariam, et desolatam facient illam, et nudam, et carnes ejus manducabunt, et ipsam igni cremabunt.*

332. 8.° Probabilis admodum est quoque Regni Antichristi character, quod super Romani Imperii ruinas struetur. Plures id docent PP. Uti S. Chrysostomus (2): S. Hieronymus etiam (3); «Ergo dicamus »quod *omnes* Scriptores Ecclesiastici tradiderunt: in consummatio»ne mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem »futuros reges qui orbem Romanum inter se dividant, et undeci»mum surrecturum esse regem parvulum, qui tres reges de decem »regibus superabit... Quibus interfectis, etiam septem alii reges »victori colla submittent... Est homo peccati, filius perditionis, »ita ut in Templo Dei sedere audeat faciens se quasi Deum.» Haec et probat Augustinus (4). Martyr autem et ep. sanctus Hippolytus (5) ait: «Cum prope conciderit imperium hoc, sive »etiam in contemptum abierit, et in decem diademata resolutum »sit; tunc Antichristus velut ipsum curaturus ac renovaturus sit.» Sic quoque Auctor sapiens et eruditus tertii vel quarti seculi, in ep. 2.m ad Thesal. c. II; (inter Ambrosii opera).

(1) Apoc. XVII, 12, 13.—(2) Supra, n. 303.—(3) In *Daniel.*—(4) *De Civit. Dei*, l. 10, c. 19.—(5) *Demonstr. de Christo* et *Antichr.* n. 49.

CAPUT V.

De Incarnationis necessitate, et Christi cum ordine rerum connexione

333. **Nota.** In I hujusce synopsis capite, extrincece, et quasi ante vestibulum, divinae sapientiae domum, Christum, scilicet, contemplati sumus, prout de Eo locuti sunt prophetae. In II autem et III superne seu a priori, per causas nempe, tum intrinsecas tum extrinsecas, celsitudinem operis, quod in *brachio suo* divina complevit Potentia suspeximus. Deinde, in IV capite, Filii Dei exquisivimus cognitionem a posteriori, seu per effectus, tum particulares tum generales, ad quos Illius perfunditur virtus et perfectio. Superest, ut de Christo D. aliquid disseramus, quatenus, ex divina Oeconomia, cum universo rerum ordine connectitur.

ARTICULUS I.

De Incarnationis necessitate.

THESIS LXXVIII.

Conveniens fuit Incarnationis mysterium, non autem absolute necessarium, sive metaphysice, sive moraliter.

334. I.ª Pars clare patet ex iis, quae, supra (Thes. XLVII et XLVIII), agentes de causa finali Incarnationis diximus.

Hoc tamen notandum, quod convenientia de qua agitur non est quasi *lucrum* concipienda, seu bonum aliquod, quo Deus intrinsece accrescat; est enim *Summum bonum*, et quodlibet aliud bonum est illius summae bonitatis participatio; sed ut bonum extrinsecum summe dignum, quod Deus in eo efficaciter complacuerit. Ad rem Augustinus (1): «Cujus bono in tanta humilitate venit tanta »sublimitas? Nullo utique suo; sed magno, si credimus, nostro.»

Adversus hanc primam partem non nullae urgent difficultates, paucis solvendae.

(1) Serm. 185 (a. 62, de divers.) c. I.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

335. Obj. 1.° Deus ab aeterno convenientissime fuit: ergo nulla potest ei accedere convenientia ex Incarnatione.

Resp. Dist. *ant.* Quoad suam felicitatem seu convenientiam intrinsecam: conc. Quoad communicatienem suae bonitatis externam et manifestationem attributorum; nego.

Obj. 2.° Deus per incarnationem sumpsit formam servi, exanivit se: sed qui apparet servus et nequam est contemptibilis; ergo Deus per incarnationem contemptibilem potius quam gloriosum se exhibuit.

Resp. Dist. *min.* Est contemptibilis, si qualis apparet talis sit; conc. Si tantum appareat; subd. Est contemptibilis in se, et apud recte judicantes; nego *min.* Apud eos qui stulte judicant, transeat. *Formam Dei non violavit servi forma*, ait Leo. (Serm. 7 *de Nativ.*)

Obj. 3.° Saltem Incarnatio est positive disconveniens Patri et Spiritui S., ergo simpliciter Deo non conveniebat. *Ant.* prob. Posita Incarnatione, majorem debemus Filio amorem quam Patri et Spiritui Sancto: nam assumendo naturam, patiendo, moriendo etc. plura nobis contulit beneficia quam Pater et Spiritus; licet enim voluntas fuerit communis trium Personarum, tamen actiones et passiones et incarnatio fuerunt propriae et personales Verbi. Sed cui plura debentur beneficia major debetur amor: ergo Incarnatio derogat dignitati Patris et Sp. Sancti.

Resp. Nego *antec.* Ad probationem; nego *maj.* et dist. *min.* Cui plura debentur beneficia, major debetur amor; si major deberi possit, transeat; si non possit, nego. Etenim Deo, tum propter se tum propter ipsam Incarnationem, passionem, mortem Christi, etc., quae, *communi* Personarum amore et voluntate, collata nobis beneficia fuere, debemus omnem amorem possibilem; *majorem* ergo Filio debere non possumus: cum autem dicitur, quod ille *solus* incarnatus, passus, mortuus sit, etc., id solum probat pluribus titulis, non autem efficacioribus, eumdem amorem Filio tribuendum.

336. Obj. 4.° Verbum per Incarnationem mutatur; ergo saltem illi incarnari non convenit. *Ant.* prob. Mutari est aliter se habere; sed post Incarnationem Verbum aliter se habet; ergo Verbum...

Resp. Nego *ant.* et deinde dist. *maj.* Aliter se habere in deterius vel perfectius; conc. *maj.* Alias, nego *maj.*

Inst. 1.° Vere actuatur Verbum per unionem cum humanitate; ergo perficitur. Dist. *ant.* Actuatur proprie; nego; denominative; conc. *antec.*

Ins. 2.° Intrinsece uniri humanitati, est aliquid positivum; ergo Verbum non denominative solum actuatur.

Dist. *ant.* Est aliquid positivum, quo se habeat Verbum per modum termini unionis; conc. Per modum subjecti; nego *ant.* Deinde, nego *consequens* et *consequentiam.* Etenim subjectum unionis, sane, *proprie* actuatur; terminus autem *denominative* tantum.

Nota: «Hanc esse potissimam difficultatem hujus mysterii, quae »vix potest humano ingenio satis explicari; quamvis possint argu»menta utcumque dissolvi.» Ita Suaretius (1).

337. II.ª Pars prob. Praenotandum: metaphysice necessarium illud est, quod nullo modo potest non esse: physice necessarium, quod sine miraculo impediri nequit: moraliter necessarium; id cujus oppositum, licet possit citra miraculum esse, tamen prudenter suspicari nequeat.

Prob. 1.° Juxta Scripturas et Patres, Incarnatio Filii Dei est ingens beneficium divinae Bonitatis, propter quod summum ei debemus grati animi amorem. Sed non ita esset, si foret metaphysice necessaria: ergo non est. Unde ait Augustinus (2): «Quae »major gratia Dei nobis potuit illucescere, quam ut habens Unige»nitum Filium, faceret eum hominis filium, atque ita vicissim ho»minis filium, faceret Dei Filium? Quaere meritum, quaere causam, »quaere justitiam; et vide utrum invenias nisi gratiam.»

Prob. 2.° Deus est essentialiter infinite perfectus et beatus. Sed si esset metaphysice connexus cum opera Incarnationis, non posset talis esse; quippe quia a re penderet extrinseca et creata. Ergo Incarnatio non est necessaria.

338. Obj. 1.° Ex essentia sua Deus est summe inclinatus ad sui communicationem. Sed summa inclinatio, quam nulla major vel aequalis inclinatio impedit, necessario inducit terminum. Ergo.

Resp. Dist. *maj.* Est Deus summe inclinatus ad sui communicationem ad intra; conc. Ad extra; subd. Summe inclinatus *entitative;* conc. In ratione inclinationis *formaliter* sumptae; nego *maj.* Nam illa inclinatio ad extra est libera, et cum indifferentia. Ad *min.* autem dicendum, quod si inclinatio sit summa *formaliter* inducit sane terminum; aliter, minime.

Obj. 2.° Concil. Francoford. ait: «Credamus Deum om»nia velle quae meliora sunt.» Sed melius esse Incarnationem fieri quam secus, res est aperta: ergo nequit non esse.

Resp. Dist. *maj.* Quae meliora sunt absolute; nego. Quae meliora seu magis congrua sunt divinae providentiae; concedo. Cum enim auctor sit Deus actualis ordinis seu providentiae, quod magis huic congruit ordini, id Deum voluisse existimare debemus.

339. Prob. III.ª Pars.

1.° Augustini ratione: «Ubi nulla indigentia, nulla necessi-

(1) Disp. VIII, sect. 4, n. 18: de *Incarnat.* – (2) Serm. 185 (a. 19 de temp.) c. 3.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

»tas; ubi nullus defectus, nulla indigentia; nullus autem defectus »in Deo; ergo nulla necessitas.» (L. 83 QQ, XXII.)

2.° Quod fit ex morali necessitate, non reputatur magnum beneficium, aut quid mirabile. Sed talis nobis proponitur in Scriptura et Patribus Incarnatio: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum...* (1). *Sic Deus dilexit mundum...* (2). «Oh admirabile commercium... De Virgine nasci dignatus est:» (canit Ecclesia): ergo. *Maj.* constat experientia: Si rex honorem vel munus alicui impertit, si subditus regi in re militari inservit, si quis bona sua aliis cedat, etc., et fiant haec morali necessitate, nullatenus amoris argumentum vel insigne judicatur beneficium.

3.° Si esset Deus moraliter necessitatus ad Incarnationem, non esset perfecte beatus ab intrinseco; violenter se haberet sine illa: sed haec repugnant infinitae Dei perfectioni et pleno in res omnes dominio. Ergo non est moraliter necessaria.

340. Obj. 1.° *Numquid oblivisci poterit mulier infantem suum? Ego autem non obliviscar tui* (Isai. XLIX, v. 5). Ergo plusquam mulier ad filium est Deus necessitatus ad nos amandum.

Resp. dist. *consequens:* supposita sua libera providentia; conc. Antecedenter; subd. Quatenus id significat infinitudinem *entitative* divinae bonitatis; conc. In ratione inclinationis et neccessitatis; nego.

Obj. 2.° Melius est esse Incarnationem quam non esse: sed divina voluntas cum divino intellectu concordat; ergo Deus magis inclinatur ad hoc ut sit Incarnatio, quam ut non sit. Subsumo; sed non possumus prudenter suspicari, quod Deus resistat suae sanctissimae et summe rationabili voluntati: ergo.

Resp. 1.° Hoc nimis probare; scilicet, Deum obligari ad optimum in quolibet genere.

2.° Dist. *min.* Concordat cum intellectu practico, nempe, dictante hoc vel illud volendum; conc. Speculativo, ita ut, velit quod intellectus judicat melius; nego. Deinde nego *consequentiam:* Deus enim *ex se* non est magis ad unum quam ad aliud inclinatus; sed indifferens existit, ut inclinando complaceat vel in motivis quae effulgent pro Incarnatione, vel in iis quae stant pro opposito.

341. Obj. 3.° Actus, quo nollet Deus Incarnationem, non foret ita perfectus et bonus ac ille, quo voluit illam: sed debemus judicare Deum perfectissime agere: ergo. Resp. Dist. *Maj.* Non esset ita bonus quoad modum agendi; nego *maj.* Quoad rem volitam, subd. Quoad rem volitam principaliter; nego: quoad rem volitam secundario; transeat. Nam in utraque voluntate sive Incarnationis, sive oppositi, amat se Deus summo et perfectissimo amore; hic autem amor, in quolibet decreto libero implicitus, actum infinite perfectum constituit, ita ut perfectior esse nequeat, sive hoc, sive illud decernat.

(1) Jo. IV, 9.—(3) Jo. III, 16.

Obj. 4.° Dei perfecta sunt opera: sed mundus sine Christo esset valde imperfectus. Ergo. Resp. Dist. *min.* Esset imperfectus relative, et quoad modum faciendi; nego. Absolute, et quoad rem factam: conc. Potest, nempe, artifex perfecte et sapienter agere, licet non in auro, sed in luto operetur.

THESIS LXXIX.

In hypothesi quod condignam satisfactionem exigeret Deus ab hominibus, necessarium erat Incarnationis mysterium.

342. **Nota** I.° Poterat Deus tum culpas, tum poenas nobis misericorditer remittere, vel è contra, nos juste in aeternum damnare, quatenus eligeret vel suam ostendere misericordiam, vel exaltare sanctitatem et justitiam: magis autem Dei effulsisset gloria si utrique simul attributo satis esset factum, ita ut justitia et misericordia sancto elucerent complexae osculo. Id quidem fieri posse divina cognovit sapientia, exequi autem summa decrevit bonitas.

Nota II.° Satisfactio differt a restitutione in eo, quod haec ad aequalitatem respicit jurium, et exinde res, non personas: satisfactio vero respicit offensas, inde autem personas. Meritum aequalitatem exigit cum mercede, quam persona promisit; satisfactio aequalitatem obsequii cum offensione personae illata.

Nota III.° Nonnulli AA., ut Scotus, Soto, etc. existimant, posse puram creaturam de condigno satisfacere pro alieno peccato. Alii id concedunt in ea hypothesi, quod creatura gratiam haberet infinitam, si haec sit possibilis. Vazquezius docet, posse creaturam pro mortali satisfacere, si remittatur ei debitum, quod peccato contraxit, carendi auxilio supernaturali. Nos innixi communiori D. Thomae, Suarezii, Ripaldae etc. sententia, thesim probabimus. Vide S. Thomam pro hac re (1).

343. Prob. 1.° ex Adriano I. (epist. *ad Episc. Hispan.*): «Sicut peccata nostra non tolleret, si ipse peccatum haberet, ita »adoptionis gratiam nobis non tribueret, si ipse, propter hominem »quem assumpsit, necessarium eguerit ut gratiam adoptionis ac»ciperet.» Ex quibus ita: ad nos Deo reconciliandos non sufficiebat peccator, neque simplex homo, neque homo qui esset tantum filius

(1) P. 3, q. 1, a. 2, ad. 2.

UNIVERSIDAD PONTIFICIA COMILLAS DIRECCIÓN CENTRAL DE BIBLIOTECAS

Dei adoptivus: Ergo requirebatur Filius Dei naturalis, ideoque Incarnatio.

Italiae episcopi, in libello a Conc. Francofor. approbato et ad Hispanias misso, ajunt: «Deus erat in Christo non per gra»tiam, quemadmodum in caeteris sanctis, purisque hominibus, sed »essentialiter per naturam. *Deus*, inquit Apostolus, *erat in »Christo mundum reconcilians sibi*. Quo igitur pacto nobis adop»tionem tribuit filiorum, si ipse necessarium eguit ut sibi habe»ret?... Ipse essentialiter vita est, idcirco nobis vitam aeternam in»dulsit.» Aperte igitur docent, necessariam fuisse Incarnationem, ut posset homo aliquis nos Deo reconciliare.

2.° Basilius (1) dicit: «Manifestatus est in carne... ut adop»tionem filiorum reciperemus. Itaque si Domini in carne adventus »non fuit, non dedit pro nobis Redemptor pretium morti...» Et in ps. XLVIII. «Solus Homo-Deus pro nobis omnibus Deo dare potest »placationem. Unum inventum est sufficientissimum, quod in pre»tium animae nostrae datum est.

Et S. Cyrillus (2). «Si non esset Deus, quomodo ipse et »solus sufficiet ad hoc ut sit pretium?» Athanasius, (ep. ad *Adelphium:*) «Neque enim res creata rem creatam posset salvam »facere, quemadmodum nec res creatae a re creata potuissent crea»ri, nisi Verbum Creator fuisset.»

S. Augustinus ait (3): «Neque per ipsum liberaremur »unum Mediatorem Dei et hominum hominem Jesum Christum, »nisi esset et Deus.» Et alibi (4): «Nisi infirmitas esset, medicum »necessarium non haberet.»

Didymus Alexan. (5): «Nemo de horum numero legatorum »(non propheta, non patriarcha, non Moyses) potest esse sal»vator, indigens et ipse eo qui salutis largitor verus est. Nam et »Angeli, quamquam spiritus sint, non sunt tamen auctores salu»tis... Quapropter proprio Filio non parcens Pater, tradidit eum in »mortem, ut redimeret omnes, qui captivi tenebantur.»

344. 3.° Non potest satisfieri pro offensa ex genere suo gravi per obsequia ex genere suo levia. Sed offensa lethalis est ex genere suo gravis respective ad Deum, et obsequia purae creaturae sunt ex genere suo levia sub eodem respectu: ergo creaturae satisfactio non potest condigna fieri.

Min. prob. Obsequium decrescit respective ad Deum iisdem capitibus ex quibus crescit offensa: nam offensa crescit ex eo quod Deo debetur omnis honor, et valde repugnat contemptus; item ex vili-

(1) Epist. 261, *ad Sozopol.*—(2) L. 1, *ad Regin.*—(3) *Enchir.* c. 108.—(4) *De Trinit.* l. 13, c. 10.—(5) L. *de Spir. S.* n. 47.

tate offendentis, quia eo major est contemptus quo vilior persona offendens. Obsequium, è contra, decrescit ex iisdem capitibus: ergo offensa lethalis est ex genere suo gravis etc.

345. Obj. 1.° Patres laudati non videntur loqui absolute, sed secundum praesentem providentiam: nam dicunt, necessarium esse sanguinem Christi, mortem etc. Ergo.

Resp. Dist. *Ant.* Quoad modum redemptionis non loquuntur absolute; conc. Quoad ipsam redemptionem; nego. Dicunt enim requiri Hominem-Deum, et nullum alium sufficere.

Obj. 2.° Qui facit quantum facere potest, facit quantum debet; qui autem facit quantum debet, vere satisfacit. Atqui per contritionem perfectam homo facit summum, quod potest, pro peccatis: ergo satisfacere per illam potest.

Resp. Dist. *maj.* Facit quantum debet *facere:* conc. Quantum debet *facere et pati;* nego. Et similiter distincta *min.* negatur *consequentia.*

Peccator ex offensa, seu contemptu Dei, tenetur *pati* ejus aversionem et condignas poenas, donec per aequale obsequium satisfaciat. Contritio autem non est obsequium aeque placens, ut displicet offensa, licet homo nequeat plus facere: debet ergo *pati*, licet non debeat plus facere.

Obj. 3.° D. Thomas (1) ait: «Satisfactio accipit quamdam »infinitatem ex gratia.» Resp. in ordine ad meritum; conc. In ordine ad offensam; Subd. Ut sit satisfactio congrua; conc. Condigna; nego.

ARTICULUS II.

De Connexione Mysterii Incarnationis cum praesenti rerum ordine.

THESIS LXXX.

Deus voluit Incarnationem per illam primam intentionem, seu decretum, quo voluit se ad extra communicare.

346. **Nota** I.° Multae sunt in hac re theologorum sententiae opposita defendentium. Alii putant non extituram Incarnationem, deficiente Adae peccato. Verum etiamsi istud peccatum non fuisset, si tamen extitissent alia hominum peccata, venturum Christum

(1) 4, dist. 15, q. 1, a. 2, ad 1.m

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

censent alii AA. Nam Scripturae et PP. non minus testantur, venisse propter omnia alia diluenda peccata. Putant tamen plures DD. incarnatum fuisse Verbum etiam nullo permisso peccato: quia propter alios fines, praeter peccatorum redemptionem, venit quoque Christus.

347. **Nota** II.° Duplex connexio potest considerari in decreto Incarnationis cum tali vel tali facto, aut fine; puta, adoptione filiorum, satisfactione pro peccatis, rerum conditione etc.: connexio formalis, et arguitiva. 1.ª connexio est intrinseca, ideoque deficiente facto, vel fine, deficit decretum et quidquid pendet a decreto. Sic decretum mortis in Adamum pendebat a transgressione, et non fuisset mors nisi fuisset peccatum. 2.ª connexio est moralis seu congruentiae. Ita passim Scriptura et PP. exempla divinorum decretorum, seu judiciorum, nobis proponunt, ea de causa, ut prudenter existimemus quid nobiscum facturus sit Deus: sic hortatur nos Paulus (1).

348. Prob. thesis 1.° Apostolus ait (2): *Omnia in ipso* (Christo) *constant... ut sit in omnibus ipse primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Atqui nec in Christo omnia constarent, neque in omnibus primatum haberet, si, eo praetermisso, creationem ceterarum rerum Deus decrevisset: ergo.

2.° Athanasius (3): «Jure merito Verbum in nostram ve»niens carnem, in eaque principium viarum in opera sua crea»tum (4), hac ratione, ut erat in ipso Patris voluntas, fundatur ante »aevum, ne vetustate conficeremur... Sic enim vitam minime flu»xam licebit consequi, constanterque in Christo vivemus... Ac que»madmodum si quis sapiens architectus domum statueret aedifica»re, simulque in animo haberet eamdem, si forte postea destruatur, »reficere: ille utique prius praepararet necessaria; itaque fieret ante »domum ipsam ejus instaurationis praeparatio. Haud aliter nostrae »salutis renovatio in Christo ante nos fundata est, ut in ipso quo»que refici possemus. Quapropter consilium et propositum ante ae»vum paratum est: tunc autem effectum opus est, cum exegit ne»cessitas et Salvator advenit. Nam ipse Dominus instar omnium »nobis in coelis erit, cum nos in aeternam vitam admittet.» Vide etiam Cyrillum, supra (Thes. XLVII).

349. 3.° In universo rerum ordine Christus primum locum tenet (supra Thes. LXXIV); et finis primarius Dei, scil., suae bonitatis communicatio, et gloria ipsius extrinseca, maxime, imo infinite, in Christo completur. Atqui minus rationem decet, quod dica-

(1) Hebr. II, 3.—(2) Colos. I, 17.—(3) Orat. 2, *contra Arian.* n. 76.—(4) Prov. VIII, 22.

mus, id Deum in prima rerum intentione praetermisisse, quod in iisdem maxime vult et amat: ergo voluit Incarnationem, etc.

350. Obj. Misit Deus Filium suum ut nos redimeret. Sed redemptio supponit peccatum, et ordinem naturalem ac supernaturalem in quo fuerat homo constitutus: ergo in prima rerum intentione noluit Deus Incarnationem.

Resp. Dist *maj.* Intentione primaria et absoluta; nego: secundaria et conditionata; conc.

THESIS LXXXI.

Deus voluit Incarnationem et omnes res creatas primario propter Jesum Christum.

351. **Nota.** Deum propter homines mundum hunc condidisse, Incarnationem autem propter nostram salutem, ut supra diximus, nec non propter fines alios, decrevisse, supponimus: Christum autem principalem omnium rerum extitisse in mente divina finem, hic defendimus.

1.° Apostolus ait (1). *Ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.. Ut sit in omnibus ipse primatum tenens; quia in ipso complacuit totam plenitudinem inhabitare.*» Jam vero, finis est prima causa a qua pendent, et in qua nituntur ea quae ab agente procedunt. Si ergo Christus in omnibus primatum tenet, est omnium rerum primarius finis; si omnia in ipso constant, est finis cujuslibet alius creaturarum finis.

352. 2.° Christus est causa finalis justificationis hominum, ut docet Tridentinum (2); et praedestinationis, juxta Paulum (3). Sed alia dona naturalia ordinantur ut media ad finem supernaturalem: ergo Christus est finis primarius et rerum naturalium et supernaturalium. Inde intelligi possunt Apostoli verba: *Omnia vestra sunt, sive* Paulus *sive* Apollo, *sive* Cephas, *sive mundus, sive vita, sive mors, sive praesentia, sive futura. Omnia enim vestra sunt: vos autem Christi; Christus autem Dei.*

3.° Deus constituit Christum *ad dexteram suam in coelestibus... super omne nomen quod nominatur, non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro*, ut dicit Apostolus (4): ergo inter res omnes creatas nulla est finalis causa quae Christo, ut primario fini, non subjiciatur: primum enim simpliciter locum, inter omnia creata, Christum habere Apostoli verba significant.

(1) Coloss. I, 17.—(2) Sess. VI, c. 7.—(3) Rom. VIII, 29.—(4) Ephes I, 20, 21.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

4.° Denique, tunc res ultimo complentur cum suum assequuntur finem, ut est manifestum. Atqui in mysterio Incarnationis est rerum omnium complementum, ut testatur S. Hippolitus: «Totum nostrum redemit genus; intellectualium substantiarum » coeli ordines ad immutabilitatem stabilivit; omnium rerum in »eum consummatio est: τῶν ὅλων ἐστὶν εἰς αὐτὸῦ ανακεφαλαίωσις.» (De *Theol.* et *Incaruat.* Serm. 2).

THESIS LXXXII.

Si homo non peccasset, Verbum fuisset vi praesentis decreti incarnatum.

353. Prob. 1.° Si homo non peccasset, non ideo defecissent ea omnia quae a peccato non pendent; puta, existentia hominis, gratia, Angeli, mundus etc. Ergo neque defecisset Christus, propter quem omnia facta sunt vi praesentis decreti.

2.° Si, homine non peccante, nequiret esse Incarnatio vi praesentis decreti, Deus decrevisset Christum voluntate connexa cum peccato hominis: sed hoc dici nequit: ergo. *Min.* prob. Valuntas Dei non potest connecti cum peccato hominis nisi permissive, seu hypothetice. Sed Deus decrevit Christum voluntate absoluta: ergo dici nequit decrevisse Deum Incarnationem, voluntate cum peccato hominis connexa. *Major* est aperta. *Min.* patet ex Thes. praeced. Repugnat enim finem universalem rerum esse conditionatum.

354. Obj. Uno ac simplici decreto Deus universum rerum ordinem cum Christo decrevit: sed si homo non peccasset, non extitisset praesens rerum ordo: ergo neque fuisset praesens decretum, neque vi illius Verbum foret incarnatum.

Resp. Dist *min.* Non extitisset praesens rerum ordo, quoad ea quae absolute Deus decrevit, nego. Quoad illa quae voluit permissive, seu hypothetice; conc. Deinde dist. *conseq.* Non fuisset praesens decretum, ut absolutum, nego. Ut hypotheticum, seu permissivum; subd. Ut permissivum in actu primo; nego. Ut permissivum in acto secundo, conc.

Inst. Ergo non est unum et simplex Dei decretum. Resp. Dist. *conseq.* Non est simplex absolute, seu quoad finem; nego. Conditionate seu quoad modum assequendi finem; conc. Deus enim fuisset finem absolutum, licet homo non peccasset, assequutus.

THESIS LXXXIII.

Vi praesentis formalis decreti Incarnationis non fuisset eadem facta, si Deus peccatum impedivisset.

355. 1.° Deus uno et simplici decreto absoluto universum rerum ordinem cum Christo decrevit. Atqui impediente Deo peccata, non extitisset praesens rerum ordo: ergo neque fuisset praesens decretum, neque vi illius potuisset esse Incarnatio. *Maj.* supponitur ex tract. *de Deo* (1); patet ex Thesi LXXX et LXXXI, et breviter probatur. Decernendo Incarnationem, ea ratione Deus decernebat quatenus est talis participatio divinae bonitatis, non solum substantialiter, sed etiam in scientia, in amore, in potestate et meritis. Sed scientia, amor, potestas et merita Christi connexionem habebant cum universo rerum absolute decreto ordine: ergo Deus uno et simplici... *Maj.* patet: quia propter unionem hypostaticam Christo necessario debebatur plenissima scientia, perfectissimus amor, et plena potentia ac primatus in omnia. *Min.* constat ex dictis in praecedentibus (2).

356. 2.° Credendum est eo modo Deum decrevisse Incarnationem, qui divinorum attributorum manifestationi et Christi gloriae magis congruebat. Sed si homo non peccasset, Deo impediente ruinam, non ita elucerent divina attributa et Christi gloria in Redemptoris et mediatoris munere. Ergo non fuisset Incarnatio vi praesentis decreti, si Deus impedivisset peccatum.

Obj. Videtur ergo quod propter Incarnationem voluit Deus esse peccatum. Sed hoc est absurdum. Resp. Nego *major*. Non enim voluit, sed permissit, seu non impedivit peccatum ob Incarnationem. Permittit enim mala, ait Augustinus, ut majora educat bona.

THESIS LXXXIV.

Si decretum Dei non fuisset peccati permissivum, arguitive dicimus factam tum etiam Incarnationem fuisse (3).

357. Prob. Praeter finem redemptionis, quam voluit Deus in hypothesi peccati futuri, propter alios plures fines voluit Deus absolute Incarnationem; nempe, propter ipsum Christum, divinam gloriam, communicationem sui, adoptionem filiorum, omnium rerum fundamentum, etc. ut supra diximus (4). Sed permanentibus pluribus gravissimisque Incarnationis causis absolutis, etiamsi una deficiat conditionalis, arguere debemus illam extituram. Ergo. *Min.* prob. «Quidquid vera ratione connaturalius occurrit, hoc scias »fecisse Deum bonorum omnium Conditorem;» ait Augustinus (5). Sed permanere effectum dum sufficientissimae ac abso-

(1) De *Deo Creatore*, n. 152, 154, 159, Disq. VI. — (2) Thes. LV, LXXIII, LXXIV, LXXV, LXXVI.—(3) V. supra, n. 338.—(4) Thes. XLVII, XLVIII.—(5) *De Liber. arbitr.* l. 3, c. 5.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ® DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

lutae ejusdem causae existunt, est secundum veram rationem connaturalius: ergo permanentibus pluribus...

358. Obj. 1.° Nazianz. Greg. (1) ait: «Quae autem humanitatis a Deo propter nos susceptae causa extitit? Profecto ut »nobis salus pararetur. Quid enim aliud causae afferri potest?

Resp. 1.° cum D. Thoma (2): «Ad ea quae in contrarium »objiciuntur responderi potest, secundum aliam opinionem, quod »auctoritates illae loquantur de adventu in carne passibili; non de »adventu in carne impassibili.»

Resp. 2.° Non fuit alia causa necessaria; conc. Sufficiens; nego. Ut enim supra diximus, posito quod Deus justam satisfactionem ab hominibus exigeret, necessaria erat Incarnatio: istud causae genus respicientes aliqui PP. dixerunt, solum nostram salutem Incarnationis causam fuisse.

Obj. 2.° Augustinus dicit (3): «Si homo non periisset, Fi»lius hominis non venisset.»

Resp. Dist. seu explico: non venisset quia, in praesenti providentia, decretum Adventus Christi habet connexionem cum permissione peccati; conc. Quia ostendat praesens providentia quod, homine non peccante, Christus secundum aliam non venisset providentiam: nego.

(1) Or. 30, 2.—(2) 3, dist. 1, q. 1.—(3) Serm. 8, *de Verb. Apost.*

A. M. D. G.

APPENDIX.

Saepe S. Cyrilli Anathematismos in ultima laudavimus Disquisitione; quare eos subjicimus, cum lumen in pluribus quaestionibus perfundant.

ANATHEMATISMI CYRILLI.

Nota. Anathematismos istos Synodus III. suscepit, IV. in acta retulit, et V. defendit.

Can. 1. Si quis non confitetur, Deum esse veraciter Emmanuel, et propterea Dei genitricem sanctam virginem: peperit enim secundum carnem carnem factum Dei Verbum, secundum quod scriptum est: Verbum caro factum est; anathema sit.

Can. 2. Si quis non confitetur, carni secundum substantiam (1) unitum Dei Patris Verbum, unumque esse Christum cum propria carne, eundem scilicet Deum simul et hominem, anathema sit.

Can. 3. Si quis in uno Christo dividit substantias post unitionem, sola eas connexione conjungens, quae secundum dignitatem fit, vel etiam auctoritatem et potestatem, ac non potius conventu, qui per unitatem factus est naturalem, anathema sit.

Can. 4. Si quis in personis duabus vel subsistentiis eas voces, quae in Apostolicis scriptis continentur et Evangelicis, dividit, vel quae de Christo dicuntur a sanctis, vel ab ipso, et aliquas quidem ex his velut homini, qui praeter Dei Verbum specialiter intelligatur, aptaverit, illas autem tanquam dignas Deo soli Dei Patris Verbo deputaverit, anathema sit.

Can. 5. Si quis audeat dicere, hominem Christum Theophorum, id est Deum ferentem, ac non potius Deum esse veraciter dixerit, tanquam filium per naturam secundum quod Verbum factum est caro, et communicavit similiter ut nos carni et sanguini, anathema sit.

Can 6. Si quis dicit, Deum esse vel Dominum Christi, Dei Patris

(1) Versio antiqua hic can. 2, 3, vocem ὑπόστασιν per *substantiam* reddidit; idem habetur Syn. V, can. 13. Retinuimus, quod et Petavius l. 6, de Incarn. c. 17, ad anath. 2. Cyrilli tuetur. Unio hypostatica substantialis vel essentialis dicitur in quantum istae voces Nestorianorum accidentali unioni opponuntur. Est sane unio ista substantiarum, sed per subsistentiam.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Verbum, et non magis eundem ipsum confitetur Deum simul et hominem, propterea quod Verbum caro factum est, secundum Scripturas, anathema sit.

Can. 7. Si quis velut hominem Jesum operante Deo Verbo dicit adjutum, et unigeniti gloriam tanquam alteri praeter ipsum existenti tribuit, anathema sit.

Can. 8. Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo, et conglorificandum et nuncupandum Deum, tanquam alterum cum altero (nam cum syllaba superadjecta haec cogit intelligi) ac non potius una supplicatione veneratur Emanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit.

Can. 9. Si quis unum Dominum Jesum Christum glorificatum dicit a Spiritu Sancto, tamquam qui aliena virtute per eum usus fuerit et ab eo acceperit efficaciam contra immundus spiritus, posse et coram hominibus divina signa perficere, ac non potius fatetur ejus proprium Spiritum, per quem divina signa explevit, anathema sit.

Can. 10. Pontificem et Apostolum confessionis nostrae factum esse Christum, divina Scriptura commemorat. Obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo et Patri. Si quis ergo Pontificem et Apostolum nostrum dicit factum non ipsum Dei Verbum, quando caro factum est et homo juxta nos homines, sed velut alterum praeter ipsum specialiter hominem ex muliere, aut qui dicit, quod pro se obtulisset semetipsum oblationem, et non potius pro nobis solis, (non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit), anathema sit.

Can. 11. Si quis non confitetur, carnem Domini vivificatricem esse, et propriam ipsius Verbi Dei Patris, sed velut alterius praeter ipsum, conjuncti eidem per dignitatem, aut quasi divinam habentis habitationem, ac non potius vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi cuncta vivificare valentis, A. S.

Can. 12. Si quis non confitetur, Dei Verbum passum carne, et crucifixum carne, et mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundum quod vita est et vivificator ut Deus, A. S.

INDEX ALPHABETICUS

Numerus romanus indicat Disquisitionem; arabicus, paragraphum; aliquando *pagina* citatur.

A

Actio; VI, 80. 130. Actio ad extra est communis: VII, 148. Actio creativa; VI, 18, 19. Actus purus, 11.
Adventus Christi primus; VII, 68: Secundus in gloria; 310: Signa adventus; 320.
Aeternitas quid sit: IV, 64; Dei, ibid. Rerum creatarum; VI, 24, 27, etc.
Amor; IV, 250. Amor amicitiae; 251. Amor concupiscentiae, 251.
Amor Dei necessarius; IV, 215. Liber; 233. Amor Spiritus Sanctus; V, 247.
Angelorum Caput Christus; VII, 295: pro ipsis meruit; 293.
Anima rationalis erat in Christo; VII, 85: simul creata et assumpta; 107.
Antichristi notae; VII, 325: per hypocrisim prosperabitur, 329: per falsos prophetas et aliam bestiam agno similem; 330: reges eum adjuvabunt; 331: illum ejusque imperium Christus delebit; 310.
Appetitus sensilis Christi subdebatur rationi; VII, 197.
Assumptio humanitatis a solo Verbo facta; VII, 150.
Assumptio et unio in quo differunt; 152.
Attributorum divinorum distinctio; IV, 142.

B

Baronii improbatur opinio; V, 68, (pag. 160.)
Beatitudo creaturae; VI, 45, 48.
Bonitas ipsa est Deus; IV, 39: et ultimus finis creaturarum; VI, 45: summus finis *cui* Creatoris et entium rationalium; 47, 48. Bonum quid est; 56: bonum honestum; 58: morale; 58.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Verbum, et non magis eundem ipsum confitetur Deum simul et hominem, propterea quod Verbum caro factum est, secundum Scripturas, anathema sit.

Can. 7. Si quis velut hominem Jesum operante Deo Verbo dicit adjutum, et unigeniti gloriam tanquam alteri praeter ipsum existenti tribuit, anathema sit.

Can. 8. Si quis audet dicere assumptum hominem coadorandum Deo Verbo, et conglorificandum et nuncupandum Deum, tanquam alterum cum altero (nam cum syllaba superadjecta haec cogit intelligi) ac non potius una supplicatione veneratur Emanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit.

Can. 9. Si quis unum Dominum Jesum Christum glorificatum dicit a Spiritu Sancto, tamquam qui aliena virtute per eum usus fuerit et ab eo acceperit efficaciam contra immundus spiritus, posse et coram hominibus divina signa perficere, ac non potius fatetur ejus proprium Spiritum, per quem divina signa explevit, anathema sit.

Can. 10. Pontificem et Apostolum confessionis nostrae factum esse Christum, divina Scriptura commemorat. Obtulit enim semetipsum pro nobis in odorem suavitatis Deo et Patri. Si quis ergo Pontificem et Apostolum nostrum dicit factum non ipsum Dei Verbum, quando caro factum est et homo juxta nos homines, sed velut alterum praeter ipsum specialiter hominem ex muliere, aut qui dicit, quod pro se obtulisset semetipsum oblationem, et non potius pro nobis solis, (non enim eguit oblatione, qui peccatum omnino nescivit), anathema sit.

Can. 11. Si quis non confitetur, carnem Domini vivificatricem esse, et propriam ipsius Verbi Dei Patris, sed velut alterius praeter ipsum, conjuncti eidem per dignitatem, aut quasi divinam habentis habitationem, ac non potius vivificatricem esse, quia facta est propria Verbi cuncta vivificare valentis, A. S.

Can. 12. Si quis non confitetur, Dei Verbum passum carne, et crucifixum carne, et mortem carne gustasse, factumque primogenitum ex mortuis, secundum quod vita est et vivificator ut Deus, A. S.

INDEX ALPHABETICUS

Numerus romanus indicat Disquisitionem; arabicus, paragraphum; aliquando *pagina* citatur.

A

Actio; VI, 80. 130. Actio ad extra est communis: VII, 148. Actio creativa; VI, 18, 19. Actus purus, 11.
Adventus Christi primus; VII, 68: Secundus in gloria; 310: Signa adventus; 320.
Aeternitas quid sit: IV, 64; Dei, ibid. Rerum creatarum; VI, 24, 27, etc.
Amor; IV, 250. Amor amicitiae; 251. Amor concupiscentiae, 251.
Amor Dei necessarius; IV, 215. Liber; 233. Amor Spiritus Sanctus; V, 247.
Angelorum Caput Christus; VII, 295: pro ipsis meruit; 293.
Anima rationalis erat in Christo; VII, 85: simul creata et assumpta; 107.
Antichristi notae; VII, 325: per hypocrisim prosperabitur, 329: per falsos prophetas et aliam bestiam agno similem; 330: reges eum adjuvabunt; 331: illum ejusque imperium Christus delebit; 310.
Appetitus sensilis Christi subdebatur rationi; VII, 197.
Assumptio humanitatis a solo Verbo facta; VII, 150.
Assumptio et unio in quo differunt; 152.
Attributorum divinorum distinctio; IV, 142.

B

Baronii improbatur opinio; V, 68, (pag. 160.)
Beatitudo creaturae; VI, 45, 48.
Bonitas ipsa est Deus; IV, 39: et ultimus finis creaturarum; VI, 45: summus finis *cui* Creatoris et entium rationalium; 47, 48. Bonum quid est; 56: bonum honestum; 58: morale; 58.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

C

Causa efficiens; VI, 6: causa efficiens omnium; 1.
Causa exemplaris omnium; 33. Causa finalis omnium; 39.
Causa prima; IV, 5, 6. Causa mundi; 8, 9. Causa creativa; IV, 12, 16, 17, etc.
Christus Messias; VII, 71. Christus Deus; VII, 75. Christus homo; 82. Filius Dei; 156: Naturalis; 157. Christus, in quantum homo, Filius Dei; VII, 162. Non est filius adoptivus; 159. Christi persona divina; 97. Et Verbum Dei; VII, 100. Habet duas existentias; 119.
Christus filius Mariae; VII, 165. Christi genealogia; 176. Habuit duas naturas; 89: unicam Personam; 97. Christus habuit omnem scientiem; VII, 205: Omnes virtutes; 222: Omnia dona Spiritus S. 227: Omnes gratias gratis datas; 230. Omnem sanctitatem; 139, 143.
Christus habuit libertatem arbitrii; VII, 209: Fuit capax praecepti; 214: Impeccabilis; 218. Nullam imperfectionem habere potuit; 230: Capax meriti infiniti; 253: et satisfactionis infinitae; ibid.
Christus caput omnium creaturarum; VII, 295. Judex vivorum et mortuorum; 299. Rex universi mundi, etiam quoad temporalia; 302. Sacerdos summus; 289. Sacrificium obtulit in cruce pro omnibus; 268. Christi satisfactiones; 263, 266.
Christi corpus perfectum et bene dispositum; VII, 243. Passibile; 246. Surrexit a mortuis; 252.
Circuminsessio divinarum Parsonarum; V, 254.
Comprehensio; IV, 76; extensiva, intensiva; 77.
Concursus Dei cum causis secundis; VI, 78. 169. Concursus in actu secundo; 88: In actu primo; 89. Concursus simultanens; 88. Concursus Dei cum causis liberis; 89. Concursus simultanei parentes; VI, 98. Connexio Dei cum possibilibus; IV, 162.
Conservatio creaturarum; VI, 111. Creare est Dei proprium; 12, 16. Creatio non fuit ab aeterno; 24. Creatio aeterna repugnare videtur; 27.

D

Danielis prophetia de Messia; VII, 54, etc. Decreta Dei; IV, 191. Decretorum liberorum constitutiva; 240, etc. Decretum unicum et universale; VI, 152, 158.
Dei nomen, quid indicat? IV, 11. Dei existentia; ibid. Dei essentia; 143: physica: ibid.: metaphysica; 139. Dei existentia videri et

credi potest; IV, 4. Non est per se nota quoad nos; 12. Non est a priori demonstrabilis, sed a posteriori; 14. Dei comprehensio quid exigat; 79. Dei et creaturarum transcendentalis differentia; VI, 11. Dei potentia et virtus in actu primo; 180.
Dei scientia; IV, 147, 159; futurorum conditionatorum; 180. Singularium; 170. Deus se ipsum necessario amat; 215. Creaturas libere; 233. Amat justos amore amicitiae; 251, etc.
Deus est substantia, spiritus, intelligens; IV, 28, etc. Summe perfectus; 34: Infinitus; 38. Omnipotens; 45: Summe justus sanctus, misericors; 55: Inmutabilis, aeternus, immensus; 62. Incomprehensibilis, ineffabilis, 71: Invisibilis; 87: supernaturaliter visibilis; 96. Simplicissimus, 40. Connexus cum possibilibus; IV, 162.
Deus est causa efficiens rerum; VI, 1. Solus Creator, 12, etc. Causa exemplaris omnium; 33: et finalis; 39. Causa distinctionis rerum; 50. Causa permissiva malorum; 56: Motor omnium causarum; VI, 119. Quomado omnes movet; 127. Deo repugnat quaevis potentialitas; V, 11.
Distinctio attributorum Dei; IV, 142: V, 30. Distinctio realis, modalis, formalis, rationis, virtualis; V, 115, etc. Distinctio realis duplex, positiva et negativa; VII, 118. Distinctio et differentia naturarum in Christo; VII, 89.
Dona omnia Spiritus S. in Christo; VII, 227. Duratio quid sit? VI, 28.

E

Ecclesiae caput Christus; VII, 295. Ens necessarium est unicum; IV, 18. Esse objectivum et reale; VI, 7. Essentia Dei physica; 134, metaphysica; 139. Essentiae et attributorum distinctio; 142. Essentia Dei ab existentia non distinguitur; IV, 20, etc. Essentia et existentia creaturarum, quo pacto, distinguuntur; VI, 4, etc.
Exemplar rerum omnium; VI, 33.
Existentia quid est? IV, 20.
Existentia duplex in Christo; VII, 119.

F

Filiatio; V, 194. Filiatio naturalis; VII, 157. Filiatio naturalis duplex; 164. Filiatio adoptiva; 160. Filius est Deus; V, 55, (pagina 154). Sapientia; 64, (pag. 158); est Primogenitus; 66, (pagina 159).
Finalis causa; VI, 39. Finis operantis, operis, finis qui, finis cui; 39, 40. Finis Incarnationis; VI, 172, 182. Finis rerum omnium; VI, 39.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Fons Divinitatis Pater; V, 196. Fundamentum rerum omnium est Christus; VII, (Prooem. pag. 313), 182, 346, 351.
Futuritio; formalis, illativa; IV, 176. Futuritio contingentium non constituitur decreto absoluto Dei; 180. Futurorum praesentia acternitati Dei; 183.

G

Genealogia Christi; VII, 176. Generatio divina; IV, 231, etc. Generatio per Mariam quomodo terminata ad Verbum; VII, 168, etc.
Gentium vocatio per Messiam; VII, 11. Gratia Christi; 143. Infinita; 146. Gratiae omnes *gratis datae* concessae Christo; 234.

H

Homo Christus; VII, 82. Humanitas integra; 85.
Hypostasis quid significat? V, 140, 143, 145, 147; VI, 92.
Hypostatica unio; VII, 93, etc.

I

Idiomatum communicatio; VII, 127, 131. Impeccabilitas Christi; 218, 230.
Imperfectio nulla in Christo; 330. Imposibile; IV, 163. Incarnatio totius Trinitatis opus; VII, 148. Incarnatio cum ordine connectitur universali; 346. Incarnationis finis; 179. Incarnationis necessitas; 334, 342.

J

Jacobi prophetia; VII, 41, etc. Jesus Christus verus Messias; 71. Judae facta promissio; 38, etc. Judaei a Messia reprobandi; 14. Credent in Antichristum; 318. Judaei convertentur; 16. Judex Christus: 299.

L

Libertas indiferentiae seu a necessitate, et libertas coactionis; VII, 209, 212. Libertas quam postulat indeterminationem; IV, 192. Libertas nequit stare cum praedeterminatione extrinseca; ibid. Libertas non oritur ex defectu activitatis, sed ex perfectione potentiae; VII, 210. Libertas in Christo; 209. Libertas in Deo; IV, 233.

M

Malum quid est? VI, 56. Malum morale, inhonestum; 58. Malum non est forma positiva; 59.
Maria Mater Christi; VII, 165. Maria Mater Dei; 167.
Maria semper Virgo; 170, 177. Maternitas Mariae quomodo ad Deum terminata; 168, etc.
Mediator Dei et hominum Christus; VII, 289. Merita Christi; 253, 259, 261. Meruit ex rigore justitiae; 281.
Messiae nomen; VII, 1, 44. Messias promissus; 2. Messiae munera; 8, etc. Messiae characteres; 28, etc. Messiae adventus et tempus; 35, 51, 54. Messias passurus et resurrecturus; 65. Messiae persona; 71.
Miracula physice Christus operabatur; IV, 238.

N

Nativitates naturales Christi quot numerantur; VIII, 164.
Natura in Christo duplex; VII, 89. Natura humana Christi integra; 85. Natura divinarum Personarum una et eadem; V, 88.

O

Objectum cognoscenti connaturale; IV, 92. Objectum formale, materiale, intentionale; 149. Objectum formale sive intentionale divini intellectus; 150, 151, etc. Objectivum esse et reale; VI, 7.
Operationes duae in Christo; VII, 186. Operatus est Christus miracula etiam physica virtute; 238. Opera singula Christi fuerunt infinitae perfectionis; 233.

P

Pater est Deus; V, 51, (pag. 153). Paternitas; 194. Pater ingenitus; 195: Est Deitatis principium; 196.
Peccatum in Christo impossibile; VII, 218.
Persona quid est?; VII 92. Personae formalitas perfectione positiva completur; 108: si in negatione reponatur, divina maternitas non explicatur; 168, 169.
Personarum in Deo pluralitas; V, 2. Earumdem Processiones; 17. 23. Relationes; 44. Personae divinae sunt consubstantiales; 88, 103. Personarum unitatis et distinctionis mysterium; 115. Personarum constitutio et proprietates; V, 148.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN ®
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

Persona Christi una tantum; VII, 92, 104: Divina est et ipsa Verbi Persona; 97, 100, 150.
Possibilia; IV, 158, 159: quomodo a Deo cognoscuntur; 159. Possibilium cum Deo connexio; 162. Potentialitas Deo repugnans; VI, 11. Potentia activa, passiva; IV, 45, 52. Potentia Dei; VI, 196.
Praecepti capax Christus; VII, 137.
Praedestinatio; VI, 137: Ab usu dependens liberi arbitri 141: Immutabilis; 142. Praedestinationis axiomata; 149. Praedestinationis systemata; 150, etc. De praedestinatione mens S. Thomae; 173.
Praedeterminatio et praemotio; VI, 96. Praemotio physica juxta S. Thomae sententiam; 97.
Principium producendi ad intra; V, 176. Propietatum divinarum perfectio; V, 172, 181.
Providentia; VI, 104. Providentia supernaturalis; 142.

R

Reale esse vel objectivum; VI, 7. Realis distinctio duplex; positiva et negativa; VI, 4; VII, 118.
Relationes divinae; V, 41: Sunt reales; 45: sunt perfectiones; 181.
Reprobatio negativa, positiva; VI, 167. Neminem positive Deus reprobat ante praevisum peccatum; 162. Reprobationis negativae causa; 167, 171, 178, 179. Pro reprobis etiam mortuus est Christus; VII, 271.
Rex universi mundi Christus; etiam in temporalibus; VII, 302.

S

Sacerdotium Christi; VII, 268, 289. Sacrificium in Cruce; 268. Sacrificio pro se non eguit Christus; 276. Sanctitas Christi; 139, 143. Sanguis Christi pretium totius orbis; 259. Satisfactiones Christi; 263, 266. Satisfecit ex rigore justitiae; 281.
Sardicensis Conc. declaratio fidei vindicatur; V, 68, [pag. 160]. Scientia Christi; VII, 200, 202, 205. Scientia Dei; IV, 147, etc. Scientiae divinae motivum; 149, 151. Scientia divina singularium; 170. Scientia conditionatorum; 180, 197. Scientia media; 190, 202. Scientiae divinae signa; 202. Scientia reflexa; 207.
Scientia divina est causa rerum: non illa quae dicitur *visionis;* VI, 180. Scientia simplicis intelligentiae è divina pendet voluntate; 189.
Species impressa et expressa; IV, 112. Utrum detur species in Dei visione; 112, 115.
Spiratio activa; V, 53. Spiritus Sanctus Deus; 82. Spiritus Sanctus

est amor; 247. Spiritus Sanctus non est Filius; 219, etc. Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio; 255.
Suaretius quid sentit de S. Thomae auctoritate; VII, *Prooem.* (pag. 314). Subsistentia in Christo unica; VII, 92, 104; simplex et composita; 123.

T

Thomae S. auctoritas; VII, *Prooem.* (pag. 314). Thomae S. mens de distinctione inter essentiam et existentiam; VI, 4, etc.; item, de duplici in Christo existentia; VII, 122: Item, de praedestinatione; 173. Item, de praemotione physica VI, 97, 127.
Tempus quid sit? VI, 29. Tempus aeternum repugnat; VI, 29, etc.

U

Unio et Assumptio differunt; VII, 152. Unio hypostatica; 92, 133. Unio in Christo non est secundum naturam; 89: sed secundum personam; 92. Unio hypostatica post mortem; 248, 251.
Unum dupliciter dicitur; IV, 40.
Unum est ens necessarium; IV, 18. Unus omnino Deus, seu simplicissimus; 40.

V

Verbum divinum; V, 23, 210. Verbum divinum ex quorum cognitione procedit: 211, etc.
Virtus ad Deum videndum; IV, 101, etc. Virtus Christi ad miracula; VII, 238. Virtus seu potentia Dei in actu primo; VI, 180, etc. In actu secundo 202. Virtutes omnes in Christo; VII, 122.
Visio intuitiva quid est? IV, 87. Visionis differentia in beatis; 85. Visionis principium *quod;* principium *quo;* 102. Principium extrinsecum; 107. Visio Dei quidditativa; 124. Visio divinorum consiliorum; 126. Visio creaturarum in essentia divina; 129, 132.
Voluntas Dei; IV, 214. Voluntas a potentia distinguitur; VI, 136.
Voluntatis divinae actus diversi; IV, 247. Voluntates duae in Christo; VII, 186, 191. Voluntas Christi libera; 209.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

PÁG.	LIN.	ERRATA	CORRIGE
35	9	que	quae
44	24	alteris	alterius
52	26	essentia	essentiae
74	3	scientia	scientiae
83	4	fecerant	fecerat
93	13	causa	causam
109	27	tantam	tantum
136	10	Sabellanis	Sabellianis
148	24	quot	quod
163	23	adversos	adversus
165	16 et 18	ope rari	operari
167	34	testimoniunt	testimonium
169	37	versione	versiones
182	31	habead	habeat
191	7	multam	multum
203	15	hac	haec
234	9	perfectior	perfectius
234	35	nonulli	nonnulli
247	24	vida	vide
268	37	produit	producit
277	8	corollariam	corollarium
278	39	sufficientur	sufficienter
288	28	non	nos
290	21	ergo	erga
332	10	Dei?	Dei
357	29	ad	ab
378	28	conceptum	conceptuum
380	24	nature	natura
382	3	habeat	habebat
393	21	hypostaticae	hipostatice
396	13	Filli	Filii
400	13	et substantia	ex substantia
401	40	episcopus	episcopos
428	27	Thesis LV	LIII
434	36	es	est
439	5	chimoericum	chimaericum
449	25	cum	eum
453	8	augustiis	angustiis
461	21	aeternum	aeternam
466	16	partes	partis
467	36	Christuum	Christum
495	26	ανζρωπος	ανθρωπος
500	7	exanivit	exinanivit
512	11	Emanuel	Emmanuel
512	16	immundus	immundos

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

CAPILLA ALFONSINA
U. A. N. L.

Esta publicación deberá ser devuelta antes de la última fecha abajo indicada.

B839
C3
v.2

45004

AUTOR
CASAJOANA, Valentini P.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS